

GR
33
TOM

SUMMA THEOLOGICA S. THOMAE AQUINATIS

QUINTI ET ANGELICI ECCLESIAE DOCTORIS
ORDINIS PRAEDICATORUM

EDITIO RECENS PARTHENOPEJA

CETERIS CUNCTIS ACCURATIUS A MENDIS EXPURGATA,

Appendicibus pro Ecclesia Sancta Dei Venerabilis P. SERAPHINI
CAPPONI A PORRECTA,

Notis historicis, ac dogmaticis P. JOANNIS NICOLAJI,

Dissertationibus critico-apologeticis P. BERNARDI MARIE DE RUBEIS

*Ejusdemque Annotationibus variantem alicubi Textus lectionem
signantibus, nec non Indicibus copiosissimis, & appositis
aucta, ornata, illustrata.*

PARTIS TERTIAE TOMUS TERTIUS.



BLIOTECA GOMEZ PABLO
R: 228 258

N E A P O L I M D C C L X V I .

Expensis GREGORII, & MICHAELIS STASI

Typis JOSEPHI RAYMUNDI

SUPERIORUM FACULTATE, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

111

FR. JO: FRANCISCI BERNARDI MARIÆ
D E R U B E I S
O R D I N I S P R Æ D I C A T O R U M
D I S S E R T A T I O P R Æ V I A

De imperitia in Historiæ factis , inepte ac falso imputata
Sancto Thomæ Aquinati.

C A P U T I.

*Methodum in Historia factis recensendis a Sancto Thoma Aquinate servatam
scite declarant, ac vendicant Nostrates, aliique Viri docti .
Validiores qua agi possunt, indicantur vindicia.*

1.



istoriæ Ecclesiasticæ facta suis in Operibus non raro enarrat , aut indicat Sanctus Thomas, quæ severiore tandem crisi cum discussa fuerint, aut dubia inventa sunt, aut certe falsa . Hinc vero ab audacioribus quibusdam Criticis hominibus *de Historia imperitia* Aquinas accusatus . Egregias vindicias egerunt Nostrates , aliique Viri docti , quas minime suggestit nimia erga Sanctissimum Doctorem observantia, sed utique Methodus prudentissima exposcebat, quam sibi in hisce rebus proposuit servandam Sapientissimus Thomas.

Hanc novissime ad examen vocavit criminationem *Michael a Sancto Joseph*, Hispanæ Jesu Redemptoris Familiæ alumnus, in *Bibliographia Critica-Sacra, & Profana*, Parte IV. Verbo, *Sanctus Thomas de Aquino*. Ait vero pag. 408., *Critici* accusationes Divo Thomæ intentant ex *Historia, & Chronologia* parum accurata cognitione, quam in illius *Scriptis* deprehendere se credunt, desumptas . Sed illas efficaciter jam refutarunt Viri graves, & eruditi e Sacra Dominicânum Familia : & præsertim *P. Joannes Nicolajus* in suis laudatissimis Annotationibus ad Textum Sancti Thomæ . *P. Natalis Alexander* Tomo III. *Hist. Eccl. Dissert. I. Seculo II. Cardinalis Raymundus Capisuechius*, *Controversia VII. Quæst. unica* . *Jacobus Echarde* Tomo II. de *Scriptoribus Ord. Præd.* pag. 345. *Gravesonus* de *Vita Christi Dissert. XXI. §. 2.* & in *Triade Dissertationum Dissert. II. . . .* Novissime *R. P. Hyacinthus Segura* in sua *Critica*, *Discursu VII. §. 5. De vera intelligentia Noticiarum historicarum, qua in Operibus Angelici Doctoris inveniuntur*, exacte ac prudenter de hac re differit. "

De *Hyacintho Segura*, ejusque laudato Opere, hæc addiscimus ab eodem Michaele a Sancto Joseph, Parte IV. citata : „ *Segura Hyacinthus*, Hispanus Alonenſis, Sacri Ordinis Prædicatorum, liberalium artium ac Sacræ Theologiæ Lector, Vir claro ingenio præditus, & omnimoda selectaque eruditione excultus, stylo brevi, sed minime perfunctorio, modestoque & accurato criterio, ac dictione perspicua & inaffectata, scripsit in gratiam præsertim studiosæ juventutis, materna scilicet lingua, Opus inscriptum (latine :) *Cynosura Critica, cum regulis certioribus ad discernendum verum a falso in Historia.* "

Quod attinet ad *Historias*, quæ in Sancti Thomæ Operibus recensere leguntur; laudati Scriptoris iudicium est apud eundem Michaellem loco prius citato: „*Quamquam Historia*, ac proinde etiam *Chronologia* cognitione Theologus indigeat, ne ejus ignoratione in varios errores labatur, ut scite more suo dixit *Canariensis Episcopus*, (Melchior Canus;) tamen ipsius muneris non est, singula facta historica accurate discutere; præsertim ubi non de *Historia*, sed de *doctrina theologica* ex professo tractat. Tunc enim culpandus dumtaxat esset Theologus, si facta *dubia*, *incerta*, aut *fabulosa*, tamquam vera & explorata admitteret, inque suffragio comprobaret. Bene tamen posset, prorsus irreprehensibiliter, nihil de *veritate*, aut *falsitate factorum* decernens, ipsa ut vera permittere: & permitta solum historiæ veritate, quid *sub tali hypothesi theologice dicendum sit*, tradere ac docere.... *Facta historica*, quæ attinguntur a *Divo Thoma*, ab ipso communiter non admittuntur, sed solum mittuntur: non probantur, sed dumtaxat non rejiciuntur, ut dubio aut argumeto proposito locus relinquatur; & quæ dari possit, *supposita veritate*, responsio vel solutio designetur. Hunc modum procedendi satis esse Angelico Præceptori familiarem sufficienter norunt, qui ipsius scripta accurate versarunt... Neque aliquis putet, *inutilem esse hanc procedendi methodum*: nam ex quorundam falsorum permissione magis perspicua redditur veritatis expositio, (ac veræ doctrinæ usus indicatur;).... Si bene *Divi Thomæ* mens perscrutetur, & contentus verborum perpendatur, ne unum quidem locum invenire erit, cui *tradita regula* applicari non possit: dicique non queat satis probabiliter, *Divum Thomam non absolute, sed tantum hypothetice* fuisse locutum de hoc, vel illo facto historico.. Secus tamen sentiendum est, cum *Divus Thomas* conclusionem aliquam, aut sententiam suam *facto historico* probat: tunc enim credendum est, illum *facti veritati* assensum præbuisse, illudque ut veram in suæ *Doctrinæ* confirmationem allegasse. Sunt enim facta certissima: sunt etiam, de quibus varie sentire, prudentibus, doctisque Viris licet.

II. Hanc sine dubio ab Aquinate methodum passim servatam, comperiat quisque in eisdem Operibus versatus: eademque ex methodo validissimas circa *facta historica quadam*, quæ dubia sunt, aut etiam falsa, promi vindicias nemo non videt. Exempla nonnulla, quæ objiciuntur, licet diligentius expendere: quæ sane mihi videntur evincere, non solum Thomam historica facta, quæ legebat, enarrasse, & ex *hypothesi factorum* egregias tradidisse theologicas doctrinas; verum etiam in ipsis factis recensendis usum esse criterio, ac satis indicare falsitatem se in aliquibus olfecisse, aut deprehendisse. Validiores istas, quas propono, Sancti Thomæ vindicias jam aggredior.

C A P U T II.

Præcipuas duas affert Sanctus Thomas Patrum sententias de tempore cadis puerorum Innocentium, quas conciliare studet cum sacra Scriptura textu. Animadversiones.

Cur tertiam aliam prætermiserit? Historica quadam facta ab aliis inventa refert. Falsitatem in aliquibus deprehensam indicat.

I. PRIMUM profero exemplum, quod tempus cadis Innocentium parvulorum, ab Herode Magno Judæorum Rege jussu, spectat. Thomæ verba sunt III. P. Qu. XXXVI. Art. VI. ad 3., Dicendum, quod de apparitione stelle, qua apparuit Magis, est duplex opinio. Chrysostomus enim super Matthæum, & Augustinus in Sermone Epiphaniæ, dicunt: quod *stella Magis apparuit per biennium ante Christi nativitatem*: & tunc præmeditantes, & se ad iter præparantes, a remotissimis partibus Orientis pervenerunt ad Christum *tertiadecima die a sua nativitate*. Unde & Herodes statim post recessum Magorum videns se ab eis illusum, mandavit occidi pueros a bimatu, & infra: dubicans ne tunc Christus natus esset, quando stella apparuit, secundum quod audierat a Magis. Alii vero dicunt, stellam apparuisse primo

DISSERTATIO PRÆVIA.

„ *mo, cum Christus natus est. Et statim Magi, visa stella, iter arripientes, longissimum iter in tredecim diebus peregerunt: partim quidem adjuti divina virtute, partim iter Dromedariorum velocitate. Et hoc dico, si venerunt ex extremis partibus Orientis. Quidam autem dicunt, eos venisse de regione propinqua, unde fuerat Balaam, cujus doctrinæ sectatores fuerunt: dicuntur autem ab Oriente venisse, quia terra illa est ad orientem partem terræ Judæorum. Et secundum hoc Herodes non statim recedentibus Magis, sed post biennium pueros interfecit. Vel quia dicitur interim accusatus, Romam venisse: vel aliquorum periculorum terroribus agitatus, a cura interficiendi puerum interim destitisse: vel quia potuit credere, Magos fallaci stellæ visione deceptos, postquam non invenerunt quem natum putaverant, erubuisse ad se venire, ut Augustinus dicit in Libro de Consensu Evangelistarum. Ideo autem non solum bimos pueros interfecit, sed etiam infra: quia, ut Augustinus dicit in quodam Sermone Innocentium, timebat ne puer cui sidera famulantur, speciem suam paulo supra ætatem, vel infra transformaret.*“

Suam in hoc loco peritiam sine dubio prodit Aquinas, tum quia Veterum expositiones, quæ feriebantur, accurate enarrat, inventasque historicas narrationes colligit omnes: tum quia suas addit animadversiones, quæ nonnullas aut magis declarat, aut emendat: tum denique quod omnes cum Sacræ Scripturæ Textu conciliat. Similem servat methodum in Commentario in Evangelium Matthæi. Inter causas, quæ pro dilatione cædis post duos annos legebat apud Authores, affert nonnullas in Summa Theologica prætermittas. Verba sunt: „ Alii autem dicunt, quod isti non sunt occisi eodem anno, sed post duos annos. Sed quare tantum distulit? Triplex ratio redditur a diversis. Una est, quia a principio putabat, quod Magi fuissent decepti, & quod nihil invenissent: sed postquam audivit multa verba de Christo a Zacharia, & Simeone, & Anna, tunc motus fuit ad quærendum. Alii dicunt, quod hoc fecit ex cautela: timebat enim, ne puerum quem quærebat, parentes occultarent; unde primo voluit eos assecurare. Alii, quod occupatione impeditus, quia misit post Magos usque ad Taxum Ciliciæ, & fecit incendi naves eorum. Item fuit occupatus, quia citatus fuit Romæ, accusatus a suis: & sic post reversionem, incepit sævire.“ Hæc refert Aquinas, quæ legebat apud diversos, quin alterum præferat alteri, solumque faciat; & hæc prima vindictarum ejus optima ratio.

II. Nonnullas addere præstat animadversiones in eas, quas pro sententia priorè affert ille Augustini, & Chrysostomi auctoritates. Sub Augustini nomine Sermonem citat in Epiphania Domini: illum nampe qui incipit: *Sicuti dies hodiernus*, ac prostat in Ascetarum Sammarzororum Parisiensium Editione, Tomo V. in Appendice num. CXXXI. indicata ab Aquinate verba sunt num. 3. *Ferme biennio visa est. . . . Dicit aliquis e illam Stellam biennio apparuisse, unde monstratur? Evangelii verba recedamus. . . . A bimatu? infra occidit infantes. . . . Quare a bimatu, & infra occidi parvulos jussit? Evangelista non tacens: Secundum tempus, inquit, quod exquisierat a Magis. Ecce, unde ostenditur, non tunc primum apparuisse stellam, quando natus est Christus. . . . sed biennii tempore prænuntiatione fulsisse sidera. Editorum adnotatio est: Sermonem istum Lovaniensibus fuisse dubium, supposititium Verhino, & Vindingo; ac ipsos demum primos esse, qui illum in Appendice collocaverint. Pro Augustiniano ipsum habuit, Thomas cum ceteris, qui ætate sua litteris ac eruditione florebat: ineptumque foret, Aquinatem ita sententia notare.*

Laudat etiam Joannem Chrysostomum. Is vero ait Homilia VII. in Matthæum num. 3. *Videtur mihi stella diu ante apparuisse: quia enim multum temporis in itinere insumpturi erant Magi; ut nato statim adessent. . . . stella multum antea sese ostendit. Sive integri, sive incompleti biennii, quod Christi nativitatem præcesserit, ratio sumitur ex itineris longinquitate. Thomæ satis fuit; definitum abs Chrysostomo tempus indicare. Item in Opere in Matthæum, quod Imperfectum dicitur, ac Sanctissimo Patri olim adjudicabatur, legimus Homilia II. *Proficiscentibus autem eis, per biennium* ap-*

apparuit stella. Hæc noverat, allegabatque ecclesiastica monumenta peritissimus Thomas.

III. Duplex Veterum innotescit opinio: aliorum prima, qui *bimatum* in Scriptura expressum ducunt a biennio ante Christi nativitate: aliorum altera, qui numerant ipsum, sive completum, sive incompletum, ab ipsa nativitate. Tertia jam viget interpretatio: Stellam apparuisse nato Domino, Magorum iter spatio dierum tredecim confici potuisse, eorumque post recessum infantes occisos: veritatem autem Herodem, ne fortassis antea natus esset Rex Judæorum, quam illi stellam vidissent, ea sibi arte consulendum putasse; ut laxatis crudelitatis fibulis interficerentur pueri *jam bimii*. Hanc sententiam silet Aquinas. Cur eam vero indicaret, quæ sua ætate nondum excogitata fuisse videtur?

Veluti novam interpretationem affert, ac declarat Baronius ad Annum I. Christi num. XXXII. sibi que gratulatur, quod ea verba *A bimatu & infra*, sic intellexerit, quemadmodum pridem exposuerat unus *Cornelius Jansenius, Episcopus Gandavensis*. Quid etiam? quod Viri docti eam judicarunt minus probabilem, ac refutarunt. Ita *Cornelius a Lapide* in Commentario: ubi secundam ab Aquinate memoratam opinionem adprobans: *Herodem non statim, (inquit) nec eodem anno, quo venerunt & abierunt Magi, occidisse infantes: sed anno sequenti, qui est secundus a nato Christo, ideoque infantes bimulos occidisse*. Testis adducitur *Epiphanius*, cujus hæc verba sunt. Hæresi LI. Alogorum num. X., Quippe 33. anno Herodis natus est Dominus: ejusdemque „ (anno) 35. venerunt Magi: denique 37. Imperii anno moritur Herodes. “ Et „ num. IX. precedente „ Herodes animo reputans, postquam Magi alia via discesserunt, in illa infantium turba deprehendi puerulum illum, atque interfici posse crediderat; quotquot in agro Bethleemítico forent, a bimatu & infra jussit occidi. Ex „ quo quis non videat tum, cum Magi venerunt, bimulum fuisse puerum? “ Par est *Eusebii* sententia in Chronico, ubi anno post Christum natum secundo adnotatum legimus: *Herodes cum Christi nativitatem Magorum indicio cognovisset, universas in Bethleem pueros jussit interfici*. Hæc indicare operæ pretium fuit, ut innotesceret pro sua Thomam peritia novisse in ea, qua de agimus, re Veterum sententias & chronologiæ modos: neque vero minus ejus erat, accuratiores chronotaxes conficere, quas Viris doctissimis post secula tandem debemus.

IV. Cur vero ad biennium post natam Christum *Innocentium* eadem distulerit Herodes, ut secunda relata sententia tonet, diversas causas asserunt diversi, ex historiis dubio procul ineptis ac falsis desumptas. Eas Thomas recitat omnes in *Commentario in Matthæum*, aliquas tantum in *Summa Theologica*. Ita vero legebat ipse in Glossa: „ Verisimile est post annum, & quatuor dies a nativitate Christi Herodem in pueros delatasse. Quod forsitan ideo distulit, quia Romam profectus est, vel ibi accusatus, vel ut Romanos consuleret super his, quæ de Christo dicebantur. “ Legebat etiam apud *Petrum Comestorem* in Historia Scholastica Capite XI. Herodes cum de „ nece puerorum disponderet, citatus est per epistolam ab Augusto Cæsare, ut Romam „ iret, accusationi filiorum responsurus. Tamen *Josephus* dicit, quod Alexandrum filium suum secum Romam traxerit. . . . Qui cum iter faceret per Ciliciam, audiens „ naves Tharsensium Magos traduxisse, in spiritu vehementi combussit naves Tharsis. „ (Roma reversus,) confirmatus in regno certius, quam prius; mittens occidit omnes pueros &c. “

Hæc eadem habet *Lucas Tudenfis* in Chronico, quod ætate Thomæ elucubravit: eademque narrat *Vincencius Bellovacensis*, ex Petro Comestore desumpta, in Speculo Histor. Libro VII. Capite XCIII. Sed his omnibus cautior Thomas, ea quidem ipsa refert veluti ab aliis enarrata, non adprobat. Hinc mirari quammaxime subit, *Franciscum Bivarium* in Commentariis in Fl. *Lucii Dextri* chronicon scribere potuisse: *Sancium Thomam approbante quod multi dicunt, quod Herodes interim accusatus Romam ierit*.

V. Quinimo in ejusdem Historiis, quæ ferebantur, fabulam & falsitatem olfecisse, aut deprehendisse Sanctum Doctorem, gravia sunt indicia. Ac primo *incendium navium Tharsis*, quibus vehi debuerant *Magi*, quod in Commentario in Mattheum memoratur, prætermittum est in *Summa Theologica*, quam extremis vitæ annis doctior affectu Thomas elucubravit.

Causam illam dilationis, quia *accusatus Herodes, Romam ire debuit*, commentum vocat Baronius ad Annum Christi I. num. XLVIII. *omnino confictum*. Falsum id esse ait *Josephi testimonio*: „ Constat quippe (ex Libro XVI. Antiquit. Capite VII. VIII. „ & IX.) *Herodem* tempore Regni sui *Romam bis concessisse*. Primo quidem non „ *accusatus a Filiis*, sed potius ipse *accusaturus filios*, illuc se contulit, indeque in Pa- „ *læstinam reversus*. . . . *Cæsaream* in honorem *Cæsaris* dedicavit. „ Hæc vero juxta „ *chronologicos Usserii calculos* contigerunt anno X. & XI. ante æram vulgarem: „ „ quod certe tempus temporis Natalis Domini aptari non potest; Et multo minus po- „ „ *sterior ejusdem Romam adventus*, cujus idem *Josephus* (ibidem Capite XIII.) me- „ „ *nit*, ut recte intuenti veritas se ante oculos offert, „ Hanc Romanam Herodis „ *profectionem tertiam* vocat Usserius, ac illigat cum anno octavo ante æram vulgarem, ac sine dubio etiam ante verum Christi natalem.

Ineptam vidisse Thomam causam hanc, ex prædicta profectione Romana sumptam, colligo ex comparatione ipsius *Commentarii in Mattheum* cum *Summa Theologica*. Loco priore ait: *Item fuit occupatus, quia citatus fuit Roma, accusatus a suis*. Ait vero posteriore in loco: *Vel quia dicitur interim accusatus, Romam venisse*. Modus est loquendi, qui Thomam indicat, historiolum quidem ab aliis narratam recitare se voluisse, sed ineptam, ac falso dilatare Innocentium cædi applicatam sine dubio novisse. Non ita cante ante Aquinatem scripserat Hugo de Sancto Caro: *Distulit*, inquit, *post annum, & quatuor menses: quia intermedio tempore Romam profectus est, accusatus a filiis suis*. His quæ narrabat, fidem tribuisse videtur ille: at Aquinas, *dicitur*, ait, *fide omni sua prudentissime suspensa*. Post Aquinatem minus etiam cautus eandem causam narrat Nicolaus de Lyra: *Fuit Herodes impeditus ab executione hujus facti, quia citatus est ad Curiam Romanam ad petitionem suorum filiorum*. . . . *Eundo autem Romam, & remanendo in Curia, & redeundo in Judeam apposuit annum, & amplius*.

Pancis verbis causa illa ab Aquinate indicata, verisimilioribus ipse *dilatationis* rationes adducit, quas promittit ex Augustino, ineptis falsisque historiis minime innixas. Verba ejus descripsimus. Augustini autem verba sunt *de Consensu Evangelistarum* Libro II. Capite XI. „ Si hoc ergo movet, omitto dicere, quos „ *quantis occupationibus* regia cura distendi potuerit, & per plurimos dies ab illa inter- „ *ruptione vel averti omnino, vel impediri*. Neque enim *vero enumerari possunt cause* „ quibus hoc potuerit accidere: quas tamen multas & magnas esse potuisse, nemo ita „ *rerum humanarum inexpertus est, ut aut neget, aut dubitet*. Cujus enim cogitationi non „ *occurrat, quam multa alia terribiliora Regi nuntiari potuerint, seu vera, seu falsa?* „ Ut ergo hæc omittam, illud dico: posteaquam nihil Herodi *Magi* nuntiaverunt „ eum credere potuisse, illos *fallaci stelle visione deceptos*, erubuisse ad se redire: at- „ que ita eum, timore depulso, ab inquirendo, & persequendo pæro quievisse.

Interfectos post *Mariæ purgationem* infantes, Augustini sententia est. Causas istas poliori temporis dilationi accommodat Sanctus Thomas: hodieque sunt Viri docti, qui *Mariæ purgationem*, & quæ in Templo accidere, post annum & amplius differunt. Ex *Josepho* noværat Aquinas, extremos vitæ annos Herodem inter dissidia, & angustias, curasque magnas egisse. Hæc vero diligentioram instituit perquisitionem *de tempore*, quo vitam post natum Christum protraxerit Rex Judæus. Annos utique plures numerabant *Eusebius Cæsariensis, Epiphanius, & alii*: quibus etiam consentiunt recentes nostræ ætatis non pauci Scriptores.

C A P U T II.

*Joannem Evangelistam nubere volentem, vel etiam Sponsam in nuptiis Canæ Galilææ, refert Sanctus Thomas. Historia, quæcumque ea sit, expenditur: quæ id unum pro-
dit, nubere illum voluisse: eidemque addiderunt alii nuptiarum celebrationem.*

Hæc sibi nota fuisse indicat Aquinas: cautiusque scribit in Summa Theologica. Utrumque permittit: ac nihilominus Joannis virginitatem, quam Sancti Patres & ipse commendant, sustineri posse ostendit.

I. Imperitiæ vestitar Aquinati, quod aliquibus in locis enarret, Joannem Apostolum & Evangelistam nubere voluisse, ac imo sponsum fuisse in nuptiis Canæ Galilææ. Hanc vocat *Baronius* ad Annum Christi XXXI. num. 30. & insequenti, *historiam commentitiam, nuper excogitatum, ac ridiculam.*

Verba Thomæ sunt in Expositione Prologi, Hieronymo adscripti, in Evangelium Joannis: „ Joannem de nuptiis, volentem nubere, vocavit Deus: ab illis scilicet nuptiis, ad quas est invitatus Jesus cum discipulis suis, ubi mutavit aquam in vinum. “ Cum *Protonotario de Luca, & Bernardo Guidonis* in alia Dissertatione, sive Admonitione adnotavimus: *Postillam hanc a Sancto Thoma scriptam, maxime super quinque Capitula, stylo proprio: residuum vero dici reportatum, ipso legente, a Fratre Reginaldo socio ejus, & postea ab ipso Doctore correctum, & approbatum.* Sponsum in nuptiis Canæ Galilææ discrete hoc loco Joannem enuntiat Sanctissimus Doctor.

In quarto Sententiarum Libro Dist. XXVIII. Q. I. Art. IV. inquit *utrum consensus, qui facit matrimonium, sit consensus in copulam carnalem.* Negantem sententiam tenet. Hanc in Argumento profulorio, *Sed contra, faadet his verbis: Nullus consentiens in copulam carnalem est virgo mente, & carne: sed Beatus Joannes Evangelista fuit virgo mente, & carne: ergo non consentit in copulam carnalem.* Verba illa, *consensus nuptialis, initas abs Joanne nuptias indicant.* Hujusce Quæstionis argumentum amplissime pertractat *Comes Didacus Rubini* in Dissertatione Bergomi anno 1751. typis edita adversus *Clariss. Jo. Andreæ Iricum.*

Hæc de re agit demum Sanctus Doctor 2. 2. Qu. CLXXVI. Art. IV. ad 1. „ Dicendum, quod *perfectio* non solum paupertatis, sed etiam continentie, introducta est per Christum... Et ne alicui spes perveniendi ad perfectionem tolleretur, *assumpsit ad perfectionis statum etiam illos quos invenit matrimonio junctos.* Non autem poterat absque injuria fieri, quod viri uxores desererent; sicut absque injuria fiebat, quod omnes divitias dereliquerent. Et ideo *Petrum, quem invenit matrimonio junctum, non separavit ab uxore; Joannem tamen volentem nubere a nuptiis revocavit.* “ Quo in loco animadvertit, Joanni tribui voluntatem nubendi: initas ab eo nuptias non dici.

II. Historiæ, quæ ferebatur, narratio Thomæ innititur. Quæcumque vero ea sit, unam prodit Joannis voluntatem nubendi: nuptias contractas non exprimit. In *Præfatione*, non Augustini, sed incerti Authoris, quam post *Erasmum Lovanienses, & Alesius Sammauræi* præfixerunt genuino ejusdem Africani Doctoris Operi in Evangelium Joannis; hæc habentur: *Hic est Joannes, quem Dominus de fluvio nuptiarum tempore vocavit.*

Adnotandum proposit *Baronius: sic Augustinum (aut alium Authorem) dixisse, vocatum a nuptiis Joannem; non quod cum uxorem duxerit, eam relinqueret; sed quod eam prorsus non acceperit.* Priorem sensum tuetur *Raymundus Capisucchius* *Controversia XIII. inter Selectas Theologicas, Romæ anno 1670. typis editas: at vereor, id aliis Virum doctissimum persuasurum esse.*

Alia exstat *Præfatio* sine ullo Authoris nomine, apud *Venerabilem Bedam; sub nomine vero Sancti Hieronymi* apud sequioris ætatis *Interpres: in qua legitur: Hic est Jo-*

Joannes Evangelista, unus ex discipulis Dei, qui virgo a Deo electus est: quem de nuptiis, volentem nubere, vocavit Deus. Voluntatem, aut consilium nubendi habes, non ipsas nuptias. Ipsius Bedæ, qui cœpto octavo seculo florebat, verba sunt Homilia in die Joannis Apostoli, & Evangelista, inter Hyemates de Sanctis: „ Hunc
 „ (Joannem) præ omnibus diligit: qui virgo electus ab ipso, virgo in ævum per-
 „ mansit. Tradunt namque Historiæ, quod eum de nuptiis, volentem nubere, vocave-
 „ rit: & propterea quem a carnali voluptate retraxerit, potiore sui amoris dulcedine
 „ donavit. “

Antiquiora ecclesiastica Monumenta, quæ rem hanc exhibeant, inveniuntur nulla, præter apocrypha Apostolorum acta sub nomine Abdia, primi Babyloniorum Episcopi. Typis edita existant apud Jo. Albertum Fabricium in Codice Apocrypha Novi Testamenti, Parte II. Sic autem legimus Libro V. num. XXIII. „ Tu Domine, qui
 „ servulum tuum mundum a conjunctione femina prælitivisti; te Domine rogo, qui fe-
 „ stinanti mihi ad nuptias in juventute demonstrasti te; atque dixisti: Mihi necessa-
 „ rius es Joannes, operam tuam quero. Sed cum juventutis ardore visus essem non
 „ servare præceptum, & diffusus quod integritatem servare vix possem, animum ad nu-
 „ ptias appulsi: tu quasi bonus Dominus, agritudinem mihi corporis inferens,
 „ castigans castigasti me, & morti non tradidisti. Tertio quoque studentem nuptiis,
 „ impedimento leviori revocasti &c. “ Ex hoc fonte id haustum Viri docti observant
 quod brevius ac simplicius laudati Scriptores enarrant de Joannis voluntate nubendi, ipsoque a nuptiis per Jesum revocato. Hocce Baronius utitur testimonio adversum nuptias, quæ initæ a Joanne dicuntur: Quod si apocryphis, inquit interdum uti liceat; apud Abdiam habetur, eundem Joannem Christi persuasione numquam conjugium appetivisse.

Sed contractum hujusmodi conjugium a Joanne, ulla non produnt historica laudata monumenta, quæcumque ea sint. Scripturarum Interpretes voluntatem nubendi, quam Joanni tributam legebant, intellexere consensum nuptialem, ipsumque fecerunt Sponsum in nuptiis Cana Galilæa, conjecturis agentes, non ulla historica fide. Rem patefaciunt ipsi Interpretes, Nicolaum Lyranum seligo, cujus hæc verba sunt ad Caput II. Joannis 5. 1. Dicitur etiam communiter, quod istæ nuptiæ (in Cana Galilæa) fue-
 „ runt Joannis Evangelista: a quibus eum Christus vocavit ante consummationem
 „ matrimonii per copulam carnis Videtur, quod nuptiæ fuerint sue, quia Christus
 „ non legitur in aliis nuptiis fuisse. Hoc etiam videtur per hoc, quod Mater Jesu
 „ erat ibi, tamquam in nuptiis nepotis sui. “

Antiquiores addo Petrum Comestorem, & Rupertum Abbatem Tuitiensem, qui historiam quæ ferebatur, ab Interpretum excogitationibus distinguunt. At ille in Historia Scholastica Parte II. Capite XXXVIII. „ Quidam autemant, has nuptias fuisse Joan-
 „ nis Evangelista. Et ideo vocata est Maria, quia matertera ejus: & Dominus,
 „ quia consobrinus ejus. Et dicunt, quod Dominus eum volentem nubere, ex his nu-
 „ ptiiis vocaverit: quod non est certum. “ Alter ait Libro II. Commentariorum in
 „ Joannem circa finem: „ Hunc Joannem Evangelistam, relictis nuptiis: ipse enim
 „ istas fuisse nuptias (in Cana Galilæa,) opinio fere omnium est: ipsum Dominum
 „ sequi cœpisse arbitrantur. Tradunt namque Historiæ, quod eum de nuptiis, volen-
 „ tem nubere, vocavit &c. “

III. Hæc omnia pro sua peritia noverat Sanctus Thomas, tum quod Historiæ vulgata ferebat, tum Interpretum additamenta ad Historiam. In expositione Prologi, sub nomine Hieronymi, in Evangelium Joannis, ipse Evangelistæ voluntatem nubendi intelligit nuptias initas in Cana Galilæa: eisdemque in Commentario Sententiarum satis indicat, ubi consensum nuptialem juveni Apostolo tribuit. Cautiore sermone utitur in Summa Theologica, juxta fidem vulgatæ Historiæ solummodo referens: Joannem volentem nubere, a nuptiis Jesum Christum revocasse.

Cur vero utramque, & historiam, & adjectam interpretationem, non adhibuisset Thomas,

mas, ut quæ theologica dogmata illis permissis consona forent, ostenderet? Jam enim Apostoli Joannis fuisse nuptias, quæ in Cana Galilææ celebratæ fuerunt, Interpretum opinio erat, teste Ruperto Tuitiensi, fere omnium. Historiam quoque de Joannis voluntate nubendi ejulque a nuptiis avocatione, nobiles Scriptorum amplexi fuerant, laudatus Rupertus, Petrus Comestor, Venerabilis Beda, Author Prologi in Joannis Evangelium.

IV. Hisce vero adversari videbantur eximia præconia, quibus Joannis virginitatem commendabant Sancti Patres: modumque justæ concordiz proponere, ad Theologum Thomam spectabat. Patrum dicta primo loco expendere præstat. Sanctus Hieronymus Libro I. adversus Jovinianum num. 26. *Petrus Apostolus est, (inquit,) & Joannes Apostolus: maritus & virgo.* Melchior Canus Libro III. de Locis Theologicis Capite IV. utrumque *Mariti, & Virginis* attributum tribui Joanni debere censet: quod ejus judicium non ita facile adprobaverint alii. Sequitur Hieronymus ibidem: *Exposuit (generationem Verbi) virginitas: quod nuptia scire non poterant: Et ut brevi sermone multa comprehendam, doceamque cujus privilegii sit Joannes, imo in Joanne virginitas; a Domino virgine Mater virgo virginum discipulo commendatur.* Ait etiam in Caput LVl. *Isaiz: Talem fuisse Eunuchum, quem Jesus amavit plurimum, Evangelistam Joannem, Ecclesiastica tradunt Historia.*

Epiphanius Hæresi LVIII. contra Valesios num. 4. *Joannes, & Jacobus, Zebedæi filii . . . in virginitate persistentes, ac neque membra sua propriis amputantes manibus, neque copulati nuptiis.* Joannes Chrysostomus in Libro de Virginitate Capite LXXXII. *Joannes tum Baptista, tum Evangelista, uterque Virgo.* Ambrosius de Institutione Virginis Capite VII. num. 50. *Eadem (Maria Deipara) postea Joanni Evangelista est tradita, conjugium nescienti.* Cassianus Collatione XVI. cap. XIV. *Largiorem erga hunc (Joannem) superabundantiam amoris expressit, quam ei virginitatis privilegium, & carnis incorruptio conferebat.*

Hanc Patrum sententiam nihilominus pro evidenti non habuit Augustinus: veluti congruentem adoptat. Sic enim ait Tractatu CXXIV. in Evangelium Joannis num. 7. „ Sunt, qui senserint, & hi quidem non contemptibiles *Sacri Eloquii Tractatores, a Christo Joannem Apostolum propterea plus amatum quod neque uxorem duxerit, & ab incunte pueritia castissimus vixerit.* Hoc quidem in Scripturis Canonicis non evidenter apparet. Verumtamen id quod multum adjuvat congruentiam hujus sententia, quod illa per eum significata est (vita) ubi non erunt nuptia. “ Potuit ergo locum habere tum vulgata historia de Joannis voluntate nubendi; tum Interpretum opinio de nuptiis ab ipso Joanne contractis. Virginitati Joannis magis favere videtur Augustinus in Libro de Bono conjugali Capite XXI. num. 26. *Non est, inquit; impar meritum continentia in Joanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham qui filios generavit.* Quo tamen in loco intelligendum esse Joannem Baptistam, conjicit Tillemontius Nota I. in Joannem Evangelistam; quo etiam de Joanne Baptista intelligi solent Tertulliani verba de Monogamia Capite XVII. *Joannes aliqui, inquit, Christi Spado.*

Hæc omnia (iterum animadverto) cum nosset Thomas Aquinas, sapienter potuit, debuitque Historiam sæpeditam permittere, ac opinionem Interpretum, ac utrumque cum Joannis virginitate conciliare. Hanc summopere commendat & ipse Sanctissimus Doctor in Expositione Prologi sub nomine Hieronymi. Ait in Commentario Evangelii Capite XIII. Lectione IV. *Fuit magis dilectus a Christo propter tria: primo quidem propter munditiem puritatis, quia virgo est electus a Domino, Prologi verbis utitur,) & virgo in ævum permansit.* Et Capite XXI. Lectione V. *Eum speciali dilectione præ ceteris dilexit, & hoc propter tria . . . Secundo propter munditiæ puritatem, quia virgo fuit.* Et in III. Dist. XXXI. Qu. II. Art. III. Qu. III. *Joannes magis diligitur, quantum ad signa exteriora familiaritatis, & hoc propter quatuor causas . . . tertio propter castitatem.* Et in Summa Theologica III. P. Qu. XLV. Art. III. ad

4. Joan-

4. *Joannes* (excellens fuit) in privilegio amoris , quo a Christo diligebatur , propter suam virginitatem .

Obvia difficultas est : quomodo tam sublimis virginitas componi queat cum voluntate nubendi , quam vulgata Historia prodit : aut etiam cum nuptiis initis , ut opinabantur Interpretes ? Eam depellit Sancti Thomæ doctrina . Initas a Joanne si nuptias velis , animadvertite , ad eas non requiri *consensum in carnalem copulam* , ut ipse docet in IV. Dist. XXX. Qu. II. Art. I. Quæst. II. ad 3. & Dist. XXVIII. præcedente superius citata . Nimirum *requiritur consensus* (verbis utor Francisci Sylvii III. P. in Suppl. Quæst. XLVIII. Art. I.) *in potestatem illam sui corporis , alteri traditam in communem associationem vite , in qua talis copula continetur implicite : sed non requiritur propositum , nec etiam virtuale , ejusdem copulæ* . Hujusmodi fuit Josephi conjugium cum Maria Virgine : & sic *Virgo Maria tam animi , quam corporis virginitatem semper retinuit* . Vide laudatam Rubini Dissertationem . Tales etiam fuisse Joannis nuptias inspirante Deo , ac suadente Christo , dicendum est .

Verum Sanctus Thomas in *Summa Theologica* unam in Joanne indicat *voluntatem nubendi* , aut simplex animi consilium , quod virginitati non obstat : ab eoque juxta vulgatam Historiam addit , *revocatum fuisse a Jesu Christo* . Hinc etiam Authores *Præfationum in Evangelium Joannis* , & Venerabilis Bedæ , qui eam afferunt Historiam , simul enarrant , *Joannem virginem a Deo electum* . Jam vero satis innotescunt Aquinas nostri peritia , criterium , theologica doctrina .

C A P U T IV.

Historia de Trajani Imperatoris anima , precibus Sancti Gregorii Magni liberata ab inferis , refert Sanctus Thomas : deque modo , quo id fieri potuerit , theologicè describit . Latini , & Græci Scriptores , qui factum illud litteris mandarunt . Veluti fabulam explodunt Viri docti . Natalis Alexandri vindicta pro Sancto Thoma Aquinate . Satis indicat ipse Thomas , historia falsitatem seprehendisse .

I. **V**ulgata illa narratio sequitur de anima Trajani Imperatoris precibus Sancti Gregorii Magni ab inferis liberata , quam nimia credulitate excepisse Sanctum Thomam Aquinatem inquirunt . Loca profero , ubi hac de re Sanctissimus Doctor verba facit . In primo Sententiarum Libro Dist. XLIII. Quæst. II. Art. II. inter Argumenta prolusoria num. 2. hæc habentur : *Legitur , quod ad preces Beati Gregorii Dominus Trajanum Imperatorem idolatram , & ob hoc in inferno damnatum , ab inferis revocavit , & vitæ restituit* . In Solutione ad 5. ait ille : „ Dicendum , quod idem est de Trajano , qui forte post trecentos annos suscitatus est , ac de aliis qui post unum diem suscitati sunt . De omnibus enim dicendum est , quod non finaliter damnati erant . Præciebat enim Deus , eos Sanctorum precibus a pœnis liberandos , & vitæ restituendos : & sic ex liberalitate bonitatis suæ ei vitam contulit ; quamvis æternam pœnam meruisset . “ Authores infra memorandi sunt , penes quos hæc legebantur .

In quarto Libro Dist. XLV. Quæst. II. Art. II. num. 5. Objectio est : „ *Damasce-nus* in eodem Sermone (*de Mortuis*) narrat , quod Gregorius pro Trajano orationem fundens , audivit vocem sibi divinitus illatam : *Vocem tuam audivi , quod veniam Trajano do* . Cujus rei , ut Damascenus dicit in dicto Sermone , *testis est Oriens omnis : & Occidens* . “ Reponit Aquinas ad 5. „ *Quod de factò Trajani hoc modo potest probabiliter æstimari : quod precibus Beati Gregorii ad vitam fuerit revocatus : & ibi gratiam consecutus sit , per quam remissionem peccatorum habuit , & per consequens immunitatem a pœna* . Sicut etiam apparet in omnibus illis , qui fuerunt miraculose a mortuis suscitati : quorum plures constat fuisse idolatras , &

damnatos fuisse . De omnibus enim similiter dici oportet , quod non erant in inferno finaliter deputati , sed secundum præsentem iustitiam priorum meritorum : secundum autem superiores causas , quibus prævidebantur ad vitam revocandi , erat de eis aliter disponendum . Vel dicendum secundum quosdam , quod anima Trajani non fuit simpliciter a reatu pœna absoluta ; sed ejus pœna fuit suspensa ad tempus ; scilicet usque ad diem iudicii . Nec tamen oportet , quod hoc fiat communiter per suffragia : quia alia sunt quæ lege communi accidunt , & alia quæ singulariter ex privilegio aliquibus conceduntur .“ Historiam a Damasceno narratam spectat solutio prima : altera eidem aptatur historiz , quam alii quidam refertur . Isti vero infra innotescunt .

Pauca demum , quæ ad rem hanc attinent , verba sunt Sancti Doctoris Quæst. VI. de Malo Art. VI. ad 8. *Quamvis Trajanus esset in loco reproborum , non tamen erat simpliciter reprobatus : predestinatum enim erat , quod precibus Gregorii salvaretur . In Argumento citatur Damascenus in quodam Sermone de Mortuis .*

II. Præfatam Trajani historiam Aquinas referens , fide nitebatur Joannis Damasceni , qui ætate illa credebatur Author *Orationis de iis , qui in fide dormierant* . Exitit ea græce , & latine apud Michaëlem Lequienum Tomo I. Operum Damasceni . Hæc habentur num. XVI. „ *Gregorius Dialogus* ; Senioris Romæ Episcopus . . . cum per strajani delictorum condonatione ad animarum amantem Dominum fudit . Moxque hujusmodi vocem divinitus emissam audivit : *Preces tuas exaudi , ac Trajano ignosce : tu vero posthac cave , ne preces mihi pro impiis offeras* . Quodque hoc verum sit , atque ab omni criminatione alienum , totus Oriens Occidentisq; testatur . „ Octavo seculo florebat Damascenus .

Orationem hanc ad severum examen vocat Leo Allatius in Diatriba de Joanne Damasceno , quæ apud Lequienum inter Prolegomena primum locum tenet . Hanc (inquit ille num. XXVII.) omnes quotquot post Damascenum scripsere , dummodo illius meminerint , Damasceno vindicant . Scriptorum judicia , & suspiciones affert : ac primus ille demum libere pronuntiat , *Orationem* illam Damasceni non esse . Allatio suffragatus est Franciscus Combefisius in Auctario Novo Tomo II. Annotatione postrema ad *Orationem Historicam in Festum restitutionis imaginum* ; qui tamen mentem mutavit , (Lequieno adnotante in *Admonitione in Damascenicam Orationem* , de qua agimus) quando in Bibliotheca Patrum Concionatoria *Orationem* illam latine edidit , ac præfatione ornavit . Allatii sententiam propugnata laudatus Michael Lequienus tum in *Admonitione* citata , tum in *Dissertatione Damascenica* quæta .

Satis mihi fuerit hoc loco animadvertere ; ad imperitiam Thomæ Aquinatis referri non posse , si pro genuino Damasceni facta habuerit ille hoc opus : quod omnium fere ad ætatem usque nostram iudicium fuit . *Veterem Latinam Orationis translationem* , quam Sanctus Thomas adhibuit , reperire se nusquam potuisse adnotat Lequienus . At in aliis *Dissertationibus* nostris Thomæ diligentiam jam ostendimus , ut *Opera Græcorum Patrum* , quæ latine translata fuerant , perquireret , & consuleret : aut eadem ut nova translatione a Consodalibus latio donarentur , curaret .

Seculo nono *Vitam Sancti Gregorii Magni* elucubravit Joannes , ex Monacho Cassipensis Diaconus Romanæ Ecclesiæ . Historicum Trajani factum refert Libro II. num. 44. quod legerat (ut ait) penes Anglorum Ecclesias : idest in Monumentis , quæ in Ecclesiis Anglorum servabantur . Quæ lato Sermone narrat , paucis verbis excerpta hæc sunt : „ *Gregorius per forum Trajani procedens , iudicii ejus , quo viduam consolatus fuerat , recordatus , atque miratus est . . . Ad Sancti Petri Basilicam cum pervenisset , tamdiu super errore clementissimi Principis deslevit , quousque responsum sequenti nocte ceperit , se pro Trajano fuisse auditum : tantum pro nullo ulterius pagano preces effunderet* . Factum illud in dubitum vocat Joannes Diaconus . Si quid autem veri insit , illud ita accipiendum adnotat : *ut Gregorii precibus non fuerit Trajani anima*

anima ab inferno liberata, & in paradiso reposita, sed ab inferni solummodo cruciatibus liberata; quod videlicet potest videri credibile &c. Hunc sine dubio locum Aquinati notum fuisse, patet Responso secunda, quam habet in IV. Dist. XLV. Quæst. II. Art. II. ad 5. *Vel dicendum secundum quosdam, quod anima Trajani non fuit simpliciter a reatu pœna absoluta: sed ejus pœna fuit suspensa ad tempus.* Peritiam Thomæ jam vides.

Brevem aliam *Sancti Gregorii Vitam* Bohandus edidit ad Diem XII. Martii, quam elucubratam ait *ab Authore Synchrono, sed Anonymo.* Liberatæ ab inferis animæ Trajani precibus Gregorii Magni refertur Historia num. XXVII. eodem fere modo, quo eam postea Joannes Diaconus narravit. Opus istud *Paulo Diacono*, celebri Longobardorum Historiæ Scriptori, qui seculo octavo profecto florebat, adjudicant, ac vindicant *Mabillonius* seculo I. Benedictino, & inter *Vetera Analesta* pag. 498. in Editione Parisiensi in folio, ac *Editor* doctissimus *Operum Sanctissimi Pontificis Tomo IV.* ubi nonnullæ solvuntur difficultates, quæ adversari videntur.

Dubium nihilominus movet *Lequenus* in Præfatione Generali in novam *Operum Damasceni* editionem num. XX. „ *Joannes Diaconus*, (inquiens) nonnisi *ex Anglorum, & Saxonum traditione* perhibet, Sanctum Pontificem dum publice procederet, fuis ad Deum precibus impetrasse, ut *Trajani Imperatoris* anima ab inferni suppliciis eriperetur: adeoque *Joannis aetate*, nulla alia *Roma*, aut *apud Italos* monumenta exitabant, quibus ea liberatio adstrueretur. Quo circa in dubium veri possit, num *Vita altera Gregorii brevior*, in qua perinde liberati Trajani mentio fit, *Paulo Diacono*, & *Monacho Cassinensi* tribui debeat; cum certam sit Joannem Diaconum adornatam a *Paulo Gregorii Vitam* præ manibus, dum Historiam suam scriberet, habuisse & consuluisse. “ Sine dubio *Joannes Diaconus* adornatam a *Paulo Vitam* se consuluisse, satis indicat *Libro IV. num. XCIX. Cujus (Gregorii) meritum*, inquiens, *quousque mundi hujus orbita volvitur, ut cum Paulo Viro disertissimo scitear, semper accipiet incrementum &c.* At hæc eadem leguntur verba in *Vita breviori*, de qua agimus, in fine: *Ceterum quamdiu mundi hujus orbita volvitur, ejus laudabile meritum semper accipit incrementum &c.* Cur ergo Trajani liberationem, quæ in eadem Vita legitur, memoret *Joannes Diaconus* abs se descriptam *ex Anglorum Monumentis*? Adnotaverim ego: *Joannem* *Libro II. a num. 33. agere de Anglorum conversione*: & num. 41. *de Gregorii miraculis, quæ penes Anglorum Ecclesias vulgo legebantur.* Quidni Trajani factum inter ea miracula locum habuerit? Illud ergo *ex Anglicanis monumentis*, ex quibus alia decerpebat, promere, voluit Joannes: quod ceteroqui in *Vita a Paulo* adornata, eidemque Joanni nota, exstabat.

Quidni etiam inter hæc *Anglorum historica monumenta* locum habeat *Venerabilis Bedæ Vita Sancti Gregorii Magni*, quam *Guillelmus Cave* recenset inter ejusdem Opera anecdota *ex Bibliotheca Collegii Mertonensis*? Ipse Joannes in Præfatione memorat, *Sancti Gregorii acta* vulgata jam esse *apud Saxones, & apud Langobardos*: apud illos fortasse, quæ *Beda* elucubravit; apud istos, quæ *Paulus Diaconus* composuerat. *Operum Sancti Gregorii Editor Sammaureus* adnotat in Præfatione *de Tripliei Vita Sancti Gregorii* num. XIII. Specimina quædam *Vita*, quæ *Beda* tribuitur, & in *Collegio Mertonensi* adservatur, curante *Mabillonio*, accepisse a *Thoma Gals*: agnovisseque, *Vitam* illam eandem esse cum *breviori Pauli Diaconi lucubratione*. Hinc Joanni Diacono perinde fuit *Monumenta Anglicana* citare, ac ipsam *Vitam Pauli Diaconi* inter ea *Monumenta* repertam. *Baronius* ad Annum DCIV. num. XXX. duos tantum ejus Trajani Historiæ, quos noverat, Scriptores laudat, Joannem Damascenum, & Joannem Diaconum. Scriptores innotescunt, quorum fide nitebatur Trajani Imperatoris liberatio ab inferni cruciatibus.

III. An vero admitti ea debeat, cum litteris mandata fuerit a *Viris laudis præconio dignissimis*? An eandem crediderit *Sanctus Thomas*? Quætionem primam dirimit *Baronius* loco citato, vulgatam Historiam rejiciendo, tamquam fabellam excogitamam.

tam . Consentit *Natalis Alexander* Seculo II. æræ Christianæ Dissertatione I. pluribus ostendens, factum quod narratur, apertissimis repugnare Sancti Gregorii documentis quæ in ejus Operibus occurrunt . In Eandem sententiam concedit Doctissimus Asce-
ta Sammauræus, Operum Sancti Pontificis Editor, Tomo IV. in Vita abs se concin-
nata Libro III. Capite X. a num. V. Neque solum pro commentitia ipsam habent
Historiam; verum etiam effugia explodunt, a Joanne Diacono excogitata . Scriptores
alios, numero plures, & eruditione præstantes omitto, qui in eandem fabellam insurre-
xerunt . Hæc vero adnotasse, mea inter negotia erat .

IV. Ad Sanctum Thomam quod attinet, vindicias primo loco in medium profero
quas egit *Natalis Alexander* loco citato . „ *Sanctus Thomas* non asserit positive Tra-
jani liberationem ab inferis, precibus Sancti Gregorii impetratam: sed *supposita hi-*
storia, quam propter *putatissimi Damasceni* auctoritatem noluit rejicere; nec ipsi ac-
curatius expendere licuit propter librorum penuriam iis temporibus: ea respondit,
quæ *probabilius* responderi poterant . Neque enim solet Sanctus Thomas facta histo-
rica expendere, neque id sibi proposuit in *Summa*, & aliis Operibus: sed solum
quæstiones theologicas *scholastica methodo* pertractare . Unde cum argumentis respon-
det *historico facto* innixis; ejus responsiones *hypothetica* sunt dumtaxat, non *absoluta*.
Nec postulat summa, & angelica Sancti Thomæ eruditio, ut historias omnes ipsam
scivisse, existimemus: vel eas quæ passim suo tempore jactabantur ut veræ, ex-
pendere potuisse absque libris, quibus earum probaretur veritas, aut falsitas: vel ex-
aminare, ac discutere debuisse præter suum institutum, quo non *Tethicam*, sed *Scho-*
lasticam Theologiam tractabat: sed solum ut propugnemus, nihil melius aut solidi-
us responderi potuisse, *supposita factorum veritate*, quam quod ipse respondit. “ Pa-
ria differunt ceteri Sancti Thomæ Aquinatis vindices .

V. Validiores adhuc mihi videor, vindicias agere posse . Historiam scilicet illam
credidit numquam Aquinas: eamque, prout ferebatur, commentitiam existimabat .
Ac primo meminit ejus inter *objectiones* dumtaxat, quæ fieri ætate illa contra theolo-
gicum dogma solebant: eadem vero usus est numquam, ut quam tradebat theologiam
doctrinam, firmaret . Ipsius deinde historię, quæ objiciebatur, neque *veritatem suppo-*
nit: cum solutiones adhibeat, quæ factum evertunt, prout ferebatur .

Damascenus, & *Joannes Diaconus* inquit: Gregorium pro *Trajani delictorum con-*
donatione, aut *super errore ejusdem*, exauditum fuisse: *datamque Trajano veniam*. Hæc
non solum non adprobat, sed neque ut vera supponit Aquinas; imo tamquam falsa
explodit . Id unum præstat, ut si quid contigerit, quod cum sana doctrina consonum
sit, dicendum foret: 1. ad *vitam revocatum fuisse* Trajanum adeoque non ipsum *final-*
iter damnatum fuisse . 2. in vita restitutum egisse delictorum poenitentiam . 3. ad
hæc singularia facta minime requiri *Ecclesia suffragia* . Quis non videat, vulgatam hi-
storiam documentis Thomæ imminutam, & *eversam*? Quomodo ergo eam crediderit?

An vero crediderit *suscitationem Trajani*, quam proponit? Minime gentium . Ait
enim *Qui forte . . . suscitatus est* . Dubitationis particulam adhibet, ut illud unum in-
dicet, quod in ea historia admitti potuisset, si quid veri inesset eidem . Effugium ad-
dit Joannis Diaconi: *Animam Trajani*, adnotantis, *non dici ab inferno liberatam, sed a crucia-*
tibus inferni dumtaxat . Sed hocce addit ille effugium, *secundum quosdam*: suumque
minime facit . Neque præterea *absolute* hanc ab inferni cruciatibus liberationem ad-
mittit, sed *ad tempus*, scilicet *usque ad diem judicii*, si quidem permittenda foret .
Ita differentem Thomam prudens quisque jam probe novit, diligentius vulgatam hi-
storiam expendisse, eamque prout ferebatur inficiatum esse .

C A P U T V.

Panem azymum in Eucharistico Sacrificio, grassante Ebionæorum hæresi, intermissum fuisse in Ecclesia Latina, refert alicubi Sanctus Thomas cum ejus ævi Scholasticis.

Commentitiam Historiam rejiciunt Viri docti. Mabillonii de Sancto Thoma, aliisque Scholasticis prudens judicium. Commentum deprehendisse videtur Aquinas in Summa Theologica. De nonnullis Epistolis agitur, sub nomine Gregorii Magni ab eodem Aquinate citatis.

I. IN quarti Sententiarum libri Distinctione XI. agit Sanctus Thomas de panis azymi & fermentati usu in Sacrificio Eucharistico juxta Latinæ Ecclesiæ morem, ac disciplinam. Ait vero Qu. II. Art. II. Quæst. III. Videtur esse diversitas inter Græcos, & Latinos. Græci enim de fermentato, Latini de azymo conficiunt. Causa autem hujusmodi diversitatis est, quia Dominus in azymo confecit, ut ex tribus Evangelistis habetur manifeste: & ita in primitiva Ecclesia Apostoli celebrabant. Quem morem Romana Ecclesia ab Apostolis; qui ipsam fundaverunt, accepit.... Sed postea, ut dicit Leo Papa, imminente hæresi Ebionitarum, qui dicebant simul cum Evangelio legalia observanda, Sancti Patres, ne eis consentire viderentur voluerunt ad tempus, instinctu Spiritus Sancti, ex fermentato confici Sacramentum. Postea cessante illa hæresi, Ecclesia Romana ad pristinum morem rediit: Græci autem servare voluerunt morem ad tempus a Patribus introductum; addentes non posse confici, nisi ex fermentato. Ebionem, ejusque hæresim post excidium Jerosolymitanum emeruisse, Baronius adnotat ad Annum LXXIV. num. VI. Annum vero octavum Trajani, & Consulatum Candidi, ac Quadrati statuit Chronicon Alexandrinum, idest annum Christi 105.

Similia antea scripserat Alexander Alensis in Summa, Parte IV. Qu. XXXII. Art. II. Membro III. juxta editionem anno 1482. Norimbergæ curatam: eademque leguntur apud Sanctum Bonaventuram Dist. XI. Parte II. Art. II. Qu. I. His etiam in locis Leo Papa in testem adducitur. Quo tempore ad pristinum morem redierit, si tamen rediit; Ecclesia Romana, indicare videtur Martinus Polonus in Chronico: Hic (Alexander I.) statuit, ut vino aqua misceretur in Missa... & ut Oblatio fieret ex azymo. Romanam Sedem tenuit ille ab anno 108. ad annum usque 116. Rem hanc ita enarrat Platina: Oblationem quoque ex azymo, inquit, non ex fermentato, ut antea fieri mandavit... ut Ebionæis hæreticis calumniandi occasio auferretur. In causa calumniæ Ebionæis ablata errasse Platina videtur.

II. Hanc historiam, quam Scholastici litteris mandarunt, ad examen vocat Natalis Alexander in Historia Eccles. Seculi XI. & XII. Dissert. XI. Art. III. eamque rejiciendam jubet, utpote summo Veterum silentio falsitatis convictam, & absque ulla probatione ab Authoribus laudatis assertam. Scripserat etiam Cardinalis Joannes Bona Libro I. Rerum Liturgicar. Capite XXIII. num. V. Unde hæc prodierit historia, incertum est.... Eam Sanctus Thomas tribuit Leoni Papa: sed quis fuerit iste Leo, non dicit.... Apud antiquos Scriptores per mille annos nullum apparet vestigium.

Primus non est Thomas, qui Leonem Papam in testem vocaverit. Primum hujus nominis intelligunt aliqui: hujus nominis Nonum alii, sub quo cum Græcis habitæ fuerunt controversiæ. Nihil tamen simile in iis epistolis invenitur, quas Leo IX. ad Michaelem Cerularium Schismaticum scripsit: ac epistola non apparet ulla Leonis I. quæ simile quidpiam offerat.

III. An ergo historiolum cuderint Scholastici? Judicium afferro Joannis Mabillonii in Dissertatione de azymo, & fermentato Capite V. Verba sunt in fine: „Ætate Veterum Scholasticorum circumferebantur nescio qua Scripta, seu decreta Leonis, & Alexandri „ spuria certe, sed nondum notæ falsitatis: quibus adducti Authores Superiores, varias „ de

„ de azymo sententias tenuerunt . Forſan etiam qui dixere , *occasione hæreſis Ebionica*
 „ cantum fuiſſe , ut ceſſaretur ab azymo , huc inducti ſunt auctoritate *Sancti Epiphani*
 „ *ii* . Cum enim apud Epiphanium (Hæreſi XXX.) legerent , *Ebionæos* , erroris
 „ notatos , quod myſteria offerrent *in azymo* , & *aqua ſolum* ; azymorum uſum ea oc-
 „ caſione rejeſtum ab Eccleſia fuiſſe putaverunt . Et quia perſuaſum habebant , morem
 „ utendi azymis *apud Latinos* a Chriſti exemplo deſcendiſſe ; hanc demum inveni-
 „ erunt conciliandæ difficultatis viam , ut azymum *propter Ebionæos* ab Eccleſia rejeſtum ,
 „ ſeu intermiſſum dicerent , poſtea vero ceſſante hæreſi prædicta , reſtituatur . “

Æquiſſimum quis non videat Mabilionii iudicium . Hiſc vero colligitur , Veterum
 conjecturas de vario panis azymi uſu abiſſe tandem in hiftoriam , utique falſam . Ex-
 exemplum adest in *Joanne Evangelifta* , quem non ſolum nubere voluiſſe , ſed in nuptiis
 Canæ Galilææ fuiſſe ſponſum narrant . Ad Epiphanii verba quod attinet , nondum ſen-
 ſus eorum apud Eruditos compertus eſt . Conſule laudatum *Mabilionium* loco citato
 Capite X. *Bonam* loco pariter citato , *Martenium* de Antiquis Eccleſiæ Ritibus Libro
 I. Capite III. Art. VII. num. VIII. *Natalem Alexandrum* loco ſuperius memorato ,
Lequienum in *Diſſertatione Damascenica V. num. XXIX.* Colligi namque poſſe putant
 nonnulli , *fermentatum* panem autè *Ebionæam* hæreſim in uſu fuiſſe in Eccleſia Latina:
 alii pro *azymo* pugnant .

IV. Sed hanc Hiftoriam , quam Thomas junior in *Sententiarum Commentario* recen-
 ſuit poſt alios Scholaſticos , ſenior dereliquit in *Summa Theologica* , limatori extremæ
 vitæ ejus Opere . Inquiri III. P. Qu. LXXIV. Art. IV. *Utrum hoc Sacramentum de-*
beat confici ex pane azymo . Digniſſima ſunt animadverſione ejus verba . „ Circa mate-
 „ riam hujus Sacramenti duo poſſunt conſiderari : ſcilicet *quid ſit neceſſarium* , & *quid*
 „ *conveniens* . Neceſſarium quidem eſt , ut ſit *panis triticeus* , ſine quo non perficitur
 „ Sacramentum : non eſt autem de neceſſitate Sacramenti , quod ſit *azymus* , vel *fer-*
 „ *mentatus* , quia in unoquoque confici poſteſt . *Conveniens* autem eſt , ut unoſquisque ſer-
 „ vet ritum ſuæ Eccleſiæ in Sacramenti celebratione . Super hoc autem ſunt *diverſæ*
 „ *Eccleſiarum conſuetudines* . Dicit enim *Beatus Gregorius* in *Regiſtro* : *Romana Eccle-*
 „ *ſia offert azymos panes* , propterea quod *Dominus ſine ulla commixtione ſuſcepit carnis*
 „ *ſed Græca Eccleſia offert fermentatum* , pro eo quod *Verbum Patris indutum eſt car-*
 „ *ne* , ſicut *fermentum miſcetur farina* . . . Et tamen conſuetudo *de pane azymo celebran-*
 „ *di* , melior eſt : primo quidem propter institutionem Chriſti &c. Habes tamen & *con-*
 „ *ſuetudo Græcorum* aliquam rationem , & propter ſignificationem , quam tangit Grego-
 „ rius : & in *deſteſtationem hæreſis Nazarenorum* , qui legalia Evangelio miſcebant . “

Locum utramque compara , & expende . Utrobique *Latine* , & *Græca* Eccleſiæ mo-
 res varios , variamque diſciplinam exhibet : ac utrobique cauſam diverſitatis perquiri-
 Hanc repetit in *Commentario* ex illa Hiftoria , quæ ferebatur ; ſed eam omnino præter-
 rit in *Summa* . Addit vero litterales , & myſticas rationes plures : adductamque in *Com-*
mentario nec verbulo indicat . Cur vero ? Prædictæ ſcilicet hiftoriæ falſitatem deprehen-
 derat . Hæc autem Thomæ peritia eſt . *Nazarenis* , ſive *Nazareis* , quos memorat Aquina-
 ſus , proprios *Ebionitarum* errores imputat *Theodoretus* . Dubium eſt *Epiphanius* , num
 Chriſtum cum *Ebionitis* purum eſſe hominem dicerent . Non aliam eis nævum impin-
 git *Hieronymus* , niſi quod cum crederent in Chriſtum , legis tamen cæremonias tene-
 bant . Conſule *Lequienum* in *Notis ad Joannis Damasceni Librum de Hæreſibus* . Ab
 his ergo ut maxime differrent Chriſtiani Orientales , & Græci , *fermentato pane* uſos eſſe
 ab initio , conjectura eſt Sancti Thomæ .

V. Verba *Gregorii* , veluti ex *Regiſtro* ſumpta , aſſert ille . Eadem in aliis locis reci-
 tat : in *Catena aurea* , Capite XXVI. Evangelii in Matthæum : & in *Opusculo contra*
errores Græcorum . *Combeſſius* in *Bibliotheca Concionatoria* , in *Paſſione Domini* , ad
 hunc *Gregorii* locum , in *Catena aurea* deſcriptum , adnotat in margine : *Nuſquam hæc*
occurrunt : nec qui Latinorum azyma adverſus Græcos tutati ſunt , unquam produxerunt .

Labitur Vir doctus . Peritiſſimus *Miſhap* *Lequienus* in *Diſſertatione Damascenica V.*

num.

num. XLI. nos docet: prædictum Gregorii testimonium legi paulo fufius in *Tractatu contra Græcos, qui habitus est Constantinopoli in Aedibus Fratrum Prædicatorum*, anno 1252. Tractatum in lucem emisit Petrus Stevartius Ingolftadii anno 1616. Exstat etiam in Colonienfi, & Lugdunenfi Patrum Bibliotheca, & in Henrici Canifii Antiquis Lectionibus Tomo IV. in Editione a Jacobo Bafnagio curata. In ea parte, ubi agitur de Sacramento Altaris, testimonium Gregorii affertur: „ Audiant Græci fuper hoc *Beatum Gregorium in Dialogis*, (imo lege *Dialogum*, quo ipfum nomine Græci vocabant:) quæ, & qualia Sacramento detrahentibus responderit *Græco sermone*, cum in *Græcia translegatione fungeretur*. Dicit enim; *Solet plane moveri quæftio, quod in Ecclesia alii fermentatum offerunt, alii panes azymos . . . Unde fit, ut Romana Ecclesia offerat azymos panes, &c.* (ut fupra) Hæc funt verba Gregorii, quæ in *Vita ipfius Græco sermone* reperiuntur.

Animadverte 1. Verba illa fruſtra inquiri in *Regeſto Epiftoiarum*. 2. Ab Authoribus huiusce Tractatus deſcribi, veluti ſumpta ex *Vita ejus græce ſcripta*. 3. Eadem habuiſſe verba Gregorium, cum *legatione fungeretur* Constantinopoli, in aliquo colloquio. Sane *Photius* Cod. CCLII. excerpta refert *Vita Sancti hujus Pontificis*. An ergo ex illa ſumpta fuerint ſuperiora verba? Satis eſt, bona & optima fide egiſſe Aquinatem, Gregorii testimonium, quod ferebatur, adducentem: tametiſi indices, quandoque mendofos, ſequatur. Jacobum Echardum conſule, diligentiffime differentem de prædicto *Tractatu*. Tomo I. ad Annum 1252. & Jacobum Bafnagium in Præfatione.

C A P U T VI.

Mendofus index Silveſtri pro Silverio Romano Pontifice expenditur. Itemque Anglorum Epifcopi pro Epifcopo Auguſtodenſi. Ac demum Helena pro Irene Imperatrice.

MEndoſi indices occurrunt aliqui in *Summa Theologica*, quibus etiam hiftoriæ veritas depravatur. Ad examen vocandi ſunt, Ait Thomas 2. 2. Quæſt. CVIII. Art. I. ad 4. *Sylveſter Papa excommunicavit eos, qui eum in exilium miſerunt, ut habetur 23. q. 4.* Nempe *Gratiani decretum* citatur, *Cauſa XXIII. Qu. IV. Capite XXX. Guilifarius*, ut legitur. Quod utique Caput *Silveſtro* tribuebatur in Editionibus ante correctionem jufſu Gregorii XIII. adornatam: in qua ex tribus vetuſtis exemplaribus reſcriptum eſt nomen *Silverii*, ad univerſæ Eccleſiæ Pontificatum anno 536. eveſti. Huiusce Romani Pontificis tempora fatiſ indicat nomen *Guilifarii*, Capitiſ illius initium, qui & *Vilifarius*, & *Belifarius* dictus eſt: *Belifarius Patricius* videlicet, qui Juſtiniano Imperatori inſerviebat, agebatque contra Gothos in Italia.

Caput illud, quod incipit *Guilifarius*, deſumptum eſt ex Epiftoſa, ſub nomine *Silverii Papa ad Amatoreſ Epifcopum* vulgata. In ea legitur, in exilium *Silverium* miſſum fuiſſe, eique ſuſceptum in Sedem Romanam *Vigilium*: quod utique verum. Additur, latam in *Vigilium*, & *Belifarium*, alioſque complices excommunicationis ſententiam: quod etiam anathema latum in alia legitur *Silverii* Epiftoſa ad *Vigilium*. Tum vero ejuſmodi Epiftoſas commentitias eſſe, tum etiam commentitiam, quæ lata dicitur in *Vigilium* ſententia anathematiſ, Baronius docet ad annum DXXXIX. nam. V. & Pagius ad eundem annum num. III. Conſentiunt ceteri Viri doſti. Hinc duplex cubat error in citato ab Aquinate loco: primus, qui conſiſtit in mendoſo indice: alter, quo fabuloſa hiftoria proditur.

Ad primum quod attinet errorem: inquiri merito poteſt, an *Silveſtrum* ſcripſerit Thomas; an potius Amanuenſibus tribui mendum debeat? Conſtat utique, *Gratiani Decreti*, ex quo ſententiam prompſit Aquinas, editiones plures ac etiam Codices Mſ. habuiſſe *Sylveſtrum*; ſed vetuſta quoque exiſtiſſe Mſ. exemplaria, in quibus legitur *Silverius*, ut fidem faciunt peritiſſimi ſub Gregorio XIII. ejuſdem Decreti Editores. Quidni ergo poterint præſto eſſe Aquinati Codices bonæ notæ; in quibus legeret *Sil-*

veriam, non *Silvstrum*, & illam exscriberet, non istam? Facillimum quoque fuit, ut *Silverii* nomen, notis compendiaris exaratum commutaverint in *Silvstrum*, obstantes aut imperiti Librarii, sicuti in *Decreto*, ita in *Sancto Thoma*. Verisimillimæ sunt conjecturæ. *Summa Theologica* Codicem Ms. servat in Tabulario insigne Brixien. se Canonicom Capitulum: in quo scriptum legitur *Silar pp.*: quæ nota compendiaris cur non potius *Silverium* indicet, quam *Silvstrum*? Codicem diligentissime consultit Clariss. *Carolus Doneda*, curante Humanissimo Viro *Hieronymo Verdura*, *Neriani Oratorii* alumno dignissimo.

Ut utro se se res habeat de voce: historiam certe *Aquinas* inducit, quam habent pro commentitia Viri doctissimi. Hac de re instituire examen non vacat. At mirum non fuerit, fabulam deprehendi potuisse, post tot secula: post agnitam scilicet convictamque *Decretalium Epistolarum* suppositionem, quam Thomæ ætate olfecerat nemo: & postquam *Silverii*, & *Vigilii* acta severo discuti potuerunt examine, Veterum monumentorum luce præfulgente, quæ Thomæ ætate ignota erant. Verum enim vero solidissimam profert doctrinam *Aquinas*, quam ex illis *Silverii* actis, aliisque exemplis confirmat ille, ac illustrat.

II. Mendosus alius occurrit index 2. 2. Quæst. CLXXXIX. Art. I. num. 3. *Sed sicut Gregorius scribit Anglorum Episcopo, ut habetur in Decretis, Dist. 48. ordinatæ ad ordines accedendum est. &c.* Hæc sine dubio Gregorii verba reperuntur in Epistola CXI. Libri VII. Indict. II. juxta Romanam editionem, seu in Epistola CVI. Libri IX. apud Ascetam Sammauræum Editorem. In Editione Romana inscribitur Epistola, *Siagrio, Aetherio, & Desiderio Episcopis Galliarum*: In Parisiensi sedium nomina efferuntur, *Syagrio Augustodunensi, Aetherio Lugdunensi, &c.*

Verba illa sumpsit *Aquinas* ex *Decreto Gratiani*: in quo index prædictus diversimode expressus legitur in Codicibus, ac Editionibus. Apud *Turrecrematam* in Editione, quam *Iustus Fontaninus*, Archiepiscopus *Ancyranus*, anno 1726. curavit Romæ, hæc solum habentur: *B. Gregorius scribit, dicens. Gregoriana correctæ editio sic habet: Beatus Gregorius scribit Syagrio Episcopo, & aliis Episcopis*. Codices legere *Thomas* potuit, ubi scriptum esset: *B. Gregorius Ang. Episcopo*: eodemque modo indicem transcripserit. At notam illam *Aug.* legerint alii, & scripserint *Aug.* adeoque expresserint, *Anglorum Episcopo*; cum legendum foret, *Augustodunensi Episcopo*, idest *Siagrio*, qui primus in Epistolæ Gregoriæ titulo apparet: illum deturam *Anglorum Episcopum* intellexerint *Augustinum* notissimum; ad *Anglos* convertendos missum a *Sanctissimo Gregorio Pontifice*.

Ita conjecturas eudere licebat. *Brixienfis* memoratus Codex lectionem aliam habet, animadversione dignissimam. In eo non legitur, *Anglorum Episcopo*: Sed *Magis Episcopo*. Deforme nomen est, quod genuinum, ab *Aquinatate* sine dubio lectum scriptumque, indicat *Siagrii Episcopi*. Codicis vetustas colligitur ex titulo *Fratris Thome, nondum scilicet sacra donati apothecæ: Explicite Summa Secunda Secunda partis Fratris Thome de Aquino Ord. Fratrum Predicatorum*. Accedunt verba. *Et est Dni Jacobi de Astis de Mutina Capellani Dni PP. & ejus sacri Palatii Caus. Auditoris*. Apud *Ughellum* in Episcopis *Brixienfis* vocatur *Jacobus de Astis*. Correctio in margine prostat, *de Astis*: quam Codex noster confirmat. Sub *Joanne Papa XXII.* munere fungebatur *Auditoris Causarum sacri palatii*: adlectusque fuit in *Sedem Brixiensem* anno 1335. a *Benedicto Papa XII.* Laudatum *Ughellum* confunde.

III. Mendum enorme præferunt *Summæ Theologicæ* Editiones plures 2. 2. Qu. II. Art. VII. ad 3. Verba sunt: „ *Invenitur etiam in Historiis Romanorum, quod retinere Constantini Augusti, & Helena Matris ejus, inventum fuit quoddam sepulcrum, in quo jacebat homo, auream laminam habens in pectore, in qua scriptum erat: Christus nascetur ex Virgine, & ego credo in eum. O Sol, sub Helena & Constantini temporibus iterum me videbis.* ” Ita legitur in *Romana* sub *Pio V.* editione, & *Venetæ Domianei Nicolini* anno 1593. & *Antuerpiensi*, (seu potius *Coloniensi*)

aleni) Codicis Morelles anno 1612. & in aliis ejusdem *Summa* editionibus seorsim curatis: Enormis cubat error in nomine *Helena*: quem deterfam video, correctumque in Parisiensi Editione apud *Sebastianum*, & *Gabrielem Cranoisy* anno 1652. nomine *Irenis* substituto.

Factum refert *Baronius* ad Annum DCCLXXX. num. 8. ex *Theophane*, Græco Scriptore, in *Chronographia*, quæ locum habet in *Historia Byzantina* pag. 384. in Editione Regia Parisiensi, & pag. 305. in Veneta. *Irene* mater erat *Constantini*, qui *Leonis IV.* Imperatoris filius erat. Eandem inter Latinos narrat *historiam Sigebertus Gemblacensis*, qui suam *Cronographiam* ad annum usque 1112. perduxit. Verba sunt ad Annum 782. *Constantinopoli quidam laminam auream invenit &c.* Id evenisse *Theophanes* adnotat, ad longos *Thracia muros*. Eadem occurrit narratio ex *Sigeberto* sumpta apud *Vincencium Bellovacensem*, qui *Sancto Thomæ* æqualis fuit in *Speculo Historiali* Libro XXIV. Capite CLXXII. & apud *Martinum Polonum* in *Chronico*, quod in annum 1278. perducitur. Præter edita ejusdem *Chronici* exemplaria, Codices duos Mss. consulere licuit, qui *Constantinum*, & *Irenem* habet. *Historiam* denique refert *Ptolomæus Lucensis*, *Sancti Thomæ Aquinatis* discipulus, fidelissimisque socius ejus, in *Historia Eccl.* Libro XIV. Capite XXVIII. Testem citat *Richardum*. Hunc *Muratori* in *Præfatione* ad Opus *Ptolomæi* vocat *Monachum Cluniacensem*: ejusque *Historiam* pollicetur, se luci publicæ daturum. Fidem suam liberavit Tomo IV. inter *Antiquitates Italiz* mediæ ævi, ubi ejusdem *Richardi Chronicon* existit typis editum: non integrum ab exordio Mundi, sed quod reliquum est ab Imperio *Caroli Magni* ad annum usque 1162.

Historias Romanorum citat *Sanctus Thomas*: fortasse *Sigeberti Gemblacensis*, *Chronographiam*, aut *Richardi Chronicon* ab ipso etiam *Ptolomæo Lucensi* desloratum. Quidni etiam legerit *Vincencium Bellovacensem*, qui anno circiter 1264. vita mortali migravit. Itemque *Martinum Polonum*? in his *Irene mater Constantini* legitur, non *Helena*: illud ergo nomen, non istud, legebat, scribebatque *Sanctus Thomas*. Apud *Vincencium*, & *Ptolomæum* Imperatricis nomen hoc modo scriptum occurrit, *Hyrene*. Conjeci fortasse potest, ex ea littera initiali H. occasionem sumpsisse imperitos & obsecrantes *Librarios*, ut legerent, scriptoque manderent *Helenam*, nomen utique *Irene* notius.

Conjecturis opus non est. *Irenem* scripsisse *Thomam*, Codices Mss. evincunt. Mihi duo præsto fuerunt. Alter est num. CXVII in Veneta *Sancti Marci Bibliotheca*, stemmate *Cardinalis Bessarionis* ornatus: ubi *Hyrene* legitur. Codex alter est *Brixiensis*, quem superius memoravimus, nomen *Irenes* habens, ut datis ad me litteris admonuit laudatus *Hieronymus Verdura*. Similes alios existare Codices in *Bibliothecis* nullus dubito.

CAPUT VII.

Veterum Hereticorum nomina, quæ deformata leguntur in aliquibus Sancti Thomæ Operibus, emendantur. Menda sunt, quæ causam habent Librariorum imperitiam. Codex Mss. expensus.

I. **H**Æreses, quæ in Ecclesia christiana ortum habuere, recenset *Sanctus Thomas* penes omnes in suis *Operibus*, ac refellit. *Authorum*; qui eas invexerunt, adeo corrupta alicubi occurrunt nomina, ut mirum sit plures pluresque curari *Editiones* potuisse, quin ulla cura fuerit de mendis, quæ sane enormia sunt, emendandis. Inter *Dissertationes nostras*, quæ numerantur *Triginta*, ac simul junctæ *Venetis* prodierunt anno 1756. apud *Jo: Baptistam Pasquali*, de ejusmodi *sphalmatis*, quibus *Opusculum de Articulis fidei, & Sacramentis* conspurcaturum est, egimus in *Dissertatione VIII.* Capite II. Argumentum istud, ut hæc laboris nostri pars in *Præviis* etiam *Dissertationibus*, quæ singulis novæ *Thomæ Operum* editionis *Volaminibus* præmittuntur,

tur, locum habeat, iterum eo pertractandum consilio adsumo, quo Sancti Thomæ Opera imposteriorum expurgata edi possint, ac menda illa non Aquinati, sed Librariis tribui debere, certissime innotescat.

In *Opusculo*, quod juxta veterem ordinem numeratur *Quintum* in Romana sub Pio V. editione, agit Aquinas de *Articulis fidei*, & *Sacramentis Ecclesiæ*. Hæreses refellit orthodoxæ doctrinæ adversas, earumque *Authores* recenset. In nominibus fœda irrepressibile sphalmata, adnotavimus: quæ in Parisiensi *Opusculorum* editione anno 1656. detecta fuerunt studio, & cura *Petri Pelican*, patria & professione *Carnutensis*, Ordinis Prædicatorum. Novas addere curas nostras liceat.

In Expositione primi Articuli de *Essentia divina unitate*, tertius numeratur error *Atropomonistarum*, ponentium unum Deum; sed dicentium eum corporeum, & ad modum humani corporis formatum. Monstruosam rejice vocem: ac repone, *Anthropomorphitarum*. Genuinum nomen habet Aquinas 2. 2. Qui. CLXXXVIII. Art. V., In *Collationibus Patrum*, (collatio est X. Capite IV.) legitur, quod Abbas *Serapion* propter simplicitatem incidit in errorem *Anthropomorphitarum*: idest eorum, qui Deum habere humanam formam arbitrabantur. Idem nomen legitur in *Indice Universali in omnia Opera Divi Thomæ de Aquino*, quem continnavit Petrus Bergomenis. Opus in lucem prodit *Bononiæ* anno 1475. *Basilæ* 1478. *Venetis* 1497. *Romæ* 1535. & iterum 1570. qua ntor Editione.

Contra quartum Articulum, qui pertinet ad effectum gratiæ, per quam vivificatur Ecclesiæ a Deo, excogitatas refert hæreses plures Aquinas: „ Alii vero, (inquiens) „ qui *Passalonite* dicuntur, intantum silentio student, ut auribus, & labiis digitum „ apponant. *Passalos* enim græcæ, dicitur *palus*: & *Ranchos*, nasus. „ Legendum *Pelicanus* jubet *ρυγχος*, *Rynchos*: itaque *πατταλος*, *Pattalos*: ac demum, *πατταλορυγχί-
τας*, *Pattalorynchita*. Primæ vocis recta emendatio est: quæ sequuntur correctiones duæ, superfluz sunt. Lexica namque, & Græci Scriptores utrumque habent juxta variam dialectum, *Pattalos* & *Passalos*, *Pattalorynchita* & *Passalorynchita*. Sanctus Augustinus Hæresi LXIII. sic ait: „ *Passalorynchita* intantum silentio student, ut naribus „ & labiis suis digitum apponant, ne vel ipsam taciturnitatem voce præripiant, quando tacendum esse sibi arbitrantur: *πάσσαλος* enim græcæ dicitur *palus*, & *ρυγχος* *nasus*. „ Cur autem per *palum* digitum significare maluerint, a quibus hoc nomen compositum; nescio: cum græcæ & dicatur *digitus δάκτυλος*, & possint utique *Dactylorynchita* multo evidentius nuncupari. „ In Augustino legebat Aquinas, *Rynchos*: imperiti Librarii expresserunt *Ranchos*. Fuerit etiam typorum mendum.

Ibidem decimus error est *Priscianistarum*, (& in aliis editionibus *Priscianistarum*,) & etiam *Mathematicorum* dicentium: homines fatalibus stellis obligatos. Mendum utrumque corrige, quod irrepsit pro vero nomine *Priscillianistarum*: quos in *Hispanja*, (ait Augustinus Hæresi LXX.) *Priscillianus* instituit. Cur etiam *Mathematici* dicti fuerint, docet ibidem Sanctus Pater: „ Adstruunt etiam (inquiens,) fatalibus stellis homines „ colligatos, ipsumque corpus nostrum secundum duodecim signa cœli esse compositum: „ sicut hi, qui *Mathematici* vulgo appellantur, constituentes in capite Arietem, Tau- „ rum in cervice &c. „ Ex hoc fonte sua hauriebat Sanctus Thomas. Germanum nomen occurrit Libro III. contra Gentes Capite LXXXV. num. 13. *Priscillianista hujusmodi erroris etiam rei fuerunt, ut dicitur in* (Augustini) *Libro de Hæresibus*. Ita scilicet in Editione Romana sub Pio V. & Veneta Dominici Nicolini anno 1593. In Indice Petri Bergomatis V. *Hæresis*, num. 96. dicuntur *Priscianista*: quod est indicio, aut imperitis Librariis, aut oscitantibus Typothetis tribui mendum debere. Præ manibus habeo Venetam *Summa Theologiæ* editionem anni 1501. in qua *Priscillianista*, non geminata Littera L. occurrunt.

Eodem in loco duodecimus numeratur error, quo implicati referuntur *Texerarecochita*, idest *Quartodecumani*, qui dicunt *quartadecima luna Pascha esse celebrandum, quosumque die septimana occurreret*. Quis vocabulum ferat opicum, barbarum, deformatum-

tumque? Hæretici appellari debent *Tessaresdecasita*, *τεσσαρεσκαιδεκαίται*, idest *Quartodecimani*. Vide Epiphanium Hæresi L. ac Augustinum Hæresi XXIX. Voces hujusmodi compendiaris fortasse notis exatatas minus recte cum legere, tum transcribere poterunt minus periti Librarii. In Catalogo Hæreticorum, quem concinnavit Bernardus Lutzenburgius, edito Coloniae anno 1537. cum mendo bis legitur vox illa, *Tesseresdecasita*, & *Tesseresdecaticæ*. Mendosa proprie non est vox, *Quartodecimani*: sed *Quartodecimanos* Thomam scripsisse, nullus dubitaverim.

Parte II. de *Sacramentis Ecclesie* inter errores catholicæ fidei dissonos primus recensetur *Solentianorum*, qui *baptismum in aqua non recipiunt, sed solum baptismum spirituales*. Absonam vocem spongia dele. Hæretici dicendi sunt *Seleuciani*, seu *Herminiani*, ut ait Augustinus Hæresi LIX. ab *authoribus Seleuco, vel Hermia: qui elementorum materiam, de qua factus est mundus, non a Deo factam dicunt, sed Deo coeternam, . . . Baptismum in aqua non accipiunt.*

Adversus Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum secundus error est *Arrodnicarum*, qui offerunt in Sacramento hoc panem & caseum. Nomen esse *Artotyritarum*, docent Epiphanius Hæresi XLIX. & Augustinus Hæresi XXVIII. Ita vero errantes homines vocatos adnotat Epiphanius num. 2. quod ad celebranda mysteria sua *ἀπτον, arton* (panem,) καὶ *τύρον, tyron* (caseum) adhibent. In *Summa Theologica* III. P. Qu. LXXIV. Art. I. vox est *Artotyritarum*: eandemque ex *Opusculo*, quod emaculamus, citat Petrus Bergomas in Indice generali, V. *Hæresis*, num. 55.

Ibidem sequitur tertius error *Cataphrygum, seu Preputiatorum, qui de sanguine infantis, quem de toto ejus corpore minutis punctorum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, immiscentes eum farina, panemque inde facientes*. Infame & crudele facinus tribuit Augustinus de Hæresibus num. 26. hæreticis, quos vocat *Cataphryges*: & num. 27. hæreticis, quos vocat *Pepuzianos*. Hinc vero corrupta vox *Preputiatorum*. Ab oppido *Pepuza in Phrygia*, quem locum præcipue venerabatur, dictos *Pepuzianos*, admonet Epiphanius Hæresi XLVIII. num. 14. Impia sacra prædicta, quæ ipsi peragebant, refert etiam Damascenus de Hæresibus num. 49. Augustinum legebat, exscribebatque Sanctus Thomas: cum coque affert *Cataphryges, & Pepuzianos* III. P. Qu. citata LXXIV. Art. I. Idem nomen in *Opusculo*, quo de agimus, legebat Petrus Bergomas, ut ejus Index fidem facit.

Idem recurrit mendum in expositione sexti erroris *Preputiatorum, qui tantum dant mulieribus principatum, ut Sacerdotio quoque apud eos honorentur*. Corrige, & lege, *Pepuzianorum*. His recensitum errorem tribuunt Augustinus loco citato, & Epiphanius Hæresi XLVIII. num. 2. & Damascenus loco jam indicato.

Contra hoc Sacramentum extrema unctionis (verba sunt Sancti Thomæ juxta vulgatas editiones) est error *Eracnitarum, qui seruntur, suos morientes novo modo quasi redimere per oleum, & balsamum, & aquam, & invocationibus, quas hebraicis verbis dicunt super capita eorum*. Eadem jam scripserat Augustinus num. XVI. ubi vero nomine *Heracleonite* appellantur ab *Heracleone*. Consule etiam Epiphanium Hæresi XXXVI. num. 7. & Damascenum num. 36.

Contra Sacramentum Ordinis error exponitur *Arrii, qui dicebat, Presbyterum ab Episcopo non debere discerni*. Legendum sine dubio *Aerii*. Apud Augustinum num. LIII. legitur: *Aerianos ab Aerio* (dictos,) qui cum esset Presbyter, doluisse fertur quod Episcopus non potuit ordinari. . . . Dicebat enim, Presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni. Hæc verba legebat Thomas. Consule Epiphanium Hæresi LXXXV. ubi Sectæ Author græce scribitur *Αἰρίος*, latine scilicet *Aerius*, solutis duabus primis vocalibus, non vero Dyphongi nexu colligatis. Vitiatum nomen occurrit etiam in *Summa Theologica* 2. 2. Qu. CLXXXIV. Art. VI. ad I. „ *Augustinus in* „ Libro de Hæresibus dicit, quod *Arriani* dicebant, Presbyterum ab Episcopo nulla „ differentia debere discerni. “ At in Augustino legebat Aquinas *Aerianos*, non *Arrianos*. Quid? quod in Veneta apud Junctas editione anni 1583. legitur *Africanos*.

Jam disce, ejusmodi sphalmatum autores dici debere Librarios, & Typothetas. *Bernardus Luizenburgius* adnotat in Catalogo Hæreticorum: *Aerianos* dici, & *Erianos*. Indicat nimirum posterior vox ista, duas primas vocales ab imperitis instar Dyphthongi acceptas fuisse: unde aliquæ etiam editiones præstant *Erianos*. Mirum est, tot in *Summa Theologica* editionibus, quas curarunt Viri docti, intactum reperiri mendum: quod primus (ut puto) detexit *Joannes Nicolaus*. Miratio augetur ex eo, quod ipsi Editores margini apposuerint *Libri de Hæresibus* ab Augustino olucubrati, quem citat Aquinas, *Caput* LIII. in quo *Aeriani* leguntur; non *Arriani*. Ait ibidem Augustinus: *Aerium in Arianorum hæresim lapsam esse*, ac propria quoque cudisse dogmata. Ait etiam Epiphanius Hæresi LXXV. num. 1. *Aerium istum fuisse secta penitus Arianam*. Hinc fortasse suspicio locum habeat, doctos *Theologica Summa* Editores mutare vocem *Arianorum* noluisse, propterea quod *Aeriani*, qui Presbyterum non discernabant ab Episcopo, erant etiam secta *Arriani*. Hoc sensu vox *Arianorum* utcumque sustineri potest: at vox *Arrii*, aut *Arrii*, cui prædictus error in *Opusculo* tribuitur, ratione vindicari nulla potest.

II. Jam patet vero *Opusculi* menda non Aquinati, sed Librariis, ac etiam Typothetis tribui debere. Argumentum sequitur peremptorium ex collatione Codicis Ms. in quo vel indicata sphalmata non extant; vel si menda sint, eo modo scripta inveniuntur, ut veram indicent lectionem, ac Librarii culpam sine dubio prodant. Vetussum chartaceum parvum Codicem Ms. servat Veneta nostra Sanctorum Joannis, & Pauli Bibliotheca, in quo nonnulla continentur *Sancti Thomæ Opuscula*, aliorum *Opusculis* immixta: Codicem ministravit Humanissimus *Dominicus Maria Berardellus*, Bibliothecæ præfectus. Ipsumambo ad examen vocavimus, ac diligenter contulimus: licuitque deprehendere, Codicis ejusdem fide corrigi nonnulla, quæ in Editiones irreperunt, menda posse: eademque demum ad imperitiam Librariorum sine dubio pertinere.

Deformi *Atropomonistarum* vocabulo Codex caret. Prima manu scriptum erat, *Antropopphetarum*, alias *Antropomorphitarum*: at superinducto calamo vox prior exarata legitur hoc modo, *Antroporphetarum*. Nemo non videt, in Codice qui exscribebatur, compendio quodam veram nomen *Anthropomorphetarum* scriptum fuisse: notamque compendiarum non intelligentes, voces deformes exarasse Librarios. Genuinum nomen Codicis nostri Librario notum erat: unde scripsit, alias *Antropormorphitarum*.

Passalonite, qui in Editionibus occurrunt, in Codice vocantur *Passalorinche*: sine dubio, *Passalorynchite*. Editiones habent, *Ranchos*, *nasus*: habet Codex, *Rinchos* [*Rynchos*,) *nasus*, uti recte post Augustinum scripserat Aquinas. At vero in hoc Articulo quarto alia sunt Librarii menda: scilicet *Thevintbi* pro *Cerintho*, & *Credonis* pro *Cerdone*. Aliquæ editiones præstant *Cendonem*.

Pro voce *Ariscianistarum*, seu *Pristianistarum* legimus in Codice nomen *Pisillianistarum*: quod utique nomen est *Prisoillianistarum*: Sequitur autem enormis in eodem Codice, quam in Editionibus, mendum in Hæreticis, qui scribitur *Texerathobite*, idest *quarta decimi anni*. Certum sit, compertumque, ejusmodi sphalmata ad imperitos Librarios pertinere.

Solentiani, idest *Seleniani* prætermitti sunt in Codice, in quo sic legitur: *Primus* (error) *quidem eorum est, qui baptismum in aqua non recipiunt*. Pro mendosa voce *Arrodinicarum* legitur alia mendosa *Arrodinicarum*. Primæ litteræ genuinum indicant nomen *Artotyritarum*.

Ediciones bis habent *Preputatos* hæreticos, *Cataphrygibus* junctos. Codex primo loco *Preputiatos* offert: loco altero *Pepuzianos*, idest *Pepuzianos*; quæ germana vox est. Alia sunt in Codice sphalmata ibidem: *Aquinorum* pro *Aquariis*, & *Oppitarum* pro *Ophitis*. Errant denique Editiones in voce *Eraconitarum*: sed habet Codex *Eraclonitas*, idest *Heracleonitas*. Uti vero in Editionibus, ita in Codice legitur error *Arrii*, qui ad *Aerium* pertinet. Jamvero demonstratum puto, menda ejusmodi ex calamo peritissimi Thomæ excidisse nunquam: eademque aut imperitis, aut oscitantibus Librariis, ac etiam Typothetis imputari debere. De imperitia Thomæ suspicari, imperitissimum & insanissimum foret.

I N D E X

QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM

Quæ in hoc Tertio Volumine continentur

PARTIS TERTIÆ

SUMMAE THEOLOGICAE

QUÆSTIO LXVI.

De sacramento baptismi quantum ad ea quæ ad ipsum pertinent.

1. **Q**uid sit baptismus, utrum scilicet sit ablutio.
- 2 de institutione hujus sacramenti.
- 3 utrum aqua sit propria materia hujus sacramenti.
- 4 utrum requiratur aqua simplex.
- 5 utrum hæc sit conveniens forma hujus sacramenti: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.
- 6 utrum aliquis possit baptizari sub hac forma: Ego te baptizo in nomine Christi.
- 7 utrum immersio sit de necessitate baptismi.
- 8 utrum requiratur trina immersio.
- 9 utrum baptismus possit resisti.
- 10 de ritu baptismi.
- 11 de distinctione baptismatum.
- 12 de comparatione baptismatum.

QUÆSTIO LXVII.

De ministris baptismatis.

- 1 utrum ad diaconum pertineat baptizare.
- 2 utrum hoc pertineat ad presbyterum, vel solum ad Episcopum.
- 3 utrum laicus possit sacramentum baptismi conferre.
- 4 utrum hoc possit facere mulier.
- 5 utrum non baptizatus possit baptizare.
- 6 utrum plures possint simul baptizare unum, & eundem.
- 7 utrum necesse sit, esse aliquem, qui baptismum de sacro fonte recipiat.

8 utrum suscipiens aliquem de sacro fonte obligetur ad ejus instructionem.

QUÆSTIO LXVIII.

De suscipientibus baptismum.

- 1 utrum omnes teneantur ad suscipiendum baptismum.
- 2 utrum aliquis possit salvari sine baptismo.
- 3 utrum baptismus sit differendus.
- 4 utrum peccatores sint baptizandi.
- 5 utrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria.
- 6 utrum requiratur confessio peccatorum.
- 7 utrum requiratur intentio ex parte baptizati.
- 8 utrum requiratur fides.
- 9 utrum sint pueri baptizandi.
- 10 utrum pueri Judæorum sint baptizandi in viis parentibus.
- 11 utrum aliqui sint baptizandi in maternis uteris existentes.
- 12 utrum furiosi, & amentes sint baptizandi.

QUÆSTIO LXIX.

De effectibus baptismi.

- 1 utrum per baptismum auferantur omnia peccata.
- 2 utrum per baptismum liberetur homo ab omni pena.
- 3 utrum baptismus auferat omnes peccata hujus vite.
- 4 utrum per baptismum conferantur homini gratia, & virtutes.
- 5 de effectibus virtutum, qui per baptismum conferuntur.
- 6 utrum etiam parvuli per baptismum gratias, & vir-

- Et virtutes accipiant.*
 7 *utrum per baptismum aperiantur baptizatis janua regni cœlestis.*
 8 *utrum baptismus æqualem effectum habeat in omnibus baptizatis.*
 9 *utrum fictio impediat effectum baptismi.*
 10 *utrum recedente fictione baptismus obtineat effectum suum.*

QUÆSTIO LXX.

De circumcissione, quæ præcessit baptismum.

- 1 *utrum circumcissio fuerit preparatoria, & figurativa baptismi.*
 2 *utrum fuerit convenienter instituta.*
 3 *utrum ritus circumcissionis fuerit conveniens.*
 4 *utrum circumcissio conferret gratiam.*

QUÆSTIO LXXI.

De preparatoriis, quæ concurrunt simul cum baptismo.

- 1 *utrum catechismus debeat precedere baptismum.*
 2 *utrum baptismum debeat precedere exorcismus.*
 3 *utrum ea quæ aguntur in catechismo, & exorcismo aliquid efficiant, vel solum significent.*
 4 *utrum baptizandi debeant catechizari, vel exorcizari per sacerdotes.*

QUÆSTIO LXXII.

De sacramento confirmationis.

- 1 *utrum confirmatio sit sacramentum.*
 2 *de materia hujus sacramenti.*
 3 *utrum sit de necessitate sacramenti quod chrismus fuerit per Episcopum consecratum.*
 4 *de forma ipsius.*
 5 *utrum imprimat characterem.*
 6 *utrum character confirmationis characterem baptismalem præsupponat.*
 7 *utrum conferat gratiam.*
 8 *cui competat recipere hoc sacramentum.*
 9 *in qua parte recipiatur.*
 10 *utrum requiratur aliquis qui teneat confirmandum.*
 11 *utrum hoc sacramentum per solos Episcopos detur.*
 12 *de ritu ejus.*

QUÆSTIO LXXIII.

De sacramento Eucharistiz.

- 1 *utrum Eucharistia sit sacramentum.*
 2 *utrum sint unum; vel plura.*
 3 *utrum sit de necessitate salutis.*
 4 *de nominibus ejus.*
 5 *de institutione ipsius.*
 6 *de figuris ejus.*

QUÆSTIO LXXIV.

De materia Eucharistiz secundum speciem.

- 1 *utrum panis, & vinum sint materia hujus sacramenti.*
 2 *utrum ad materiam hujus sacramenti requiratur determinata quantitas.*
 3 *utrum materia hujus sacramenti sit panis triticus.*
 4 *utrum sit panis azymus, vel fermentatus.*
 5 *utrum materia hujus sacramenti sit vinum de vite.*
 6 *utrum sit admiscenda aqua.*
 7 *utrum aqua sit de necessitate hujus sacramenti.*
 8 *de quantitate aque quæ opponitur.*

QUÆSTIO LXXV.

De conversione panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi.

- 1 *utrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem.*
 2 *utrum in hoc sacramento remaneat substantia panis, & vini post consecrationem.*
 3 *utrum substantia panis post consecrationem hujus sacramenti annihiletur, an in pristinam materiam resurgat.*
 4 *utrum panis possit converti in corpus Christi.*
 5 *utrum in hoc sacramento remaneant accidentia panis, & vini.*
 6 *utrum remaneat forma substantialis panis.*
 7 *utrum ista conversio fiat in instanti.*
 8 *utrum hæc sit veritas: Ex pane fit corpus Christi.*

QUESTIO LXXVI.

De modo quo corpus Christi existit in hoc sacramento.

- 1 *utrum totus Christus sit sub hoc sacramento,*
- 2 *utrum totus Christus sit sub utraque specie sacramenti.*
- 3 *utrum totus Christus sit sub qualibet parte specierum.*
- 4 *utrum dimensiones corporis Christi tota sint sub hoc sacramento.*
- 5 *utrum corpus Christi sit sub hoc sacramento localiter.*
- 6 *utrum corpus Christi moveatur ad motum hostiæ, vel calicis post consecrationem.*
- 7 *utrum corpus Christi sub hoc sacramento possit ab oculo aliquo videri.*
- 8 *utrum verum corpus Christi remaneat in hoc sacramento, cum miraculose apparet sub specie panis, vel carnis.*

QUESTIO LXXVII.

De accidentibus remanentibus in hoc sacramento.

- 1 *utrum accidentia sint sine subiecto.*
- 2 *utrum quantitas dimensiva sit subiectum accidentium aliorum.*
- 3 *utrum huiusmodi accidentia possint inmutare aliquod corpus extrinsecum.*
- 4 *utrum possint corrumpi.*
- 5 *utrum possit ex eis aliquid generari.*
- 6 *utrum possint nutrire.*
- 7 *utrum in fractione panis species sacramentalis frangatur.*
- 8 *utrum vino consecrato possit liquor aliquis admisceri.*

QUESTIO LXXVIII.

De forma huius sacramenti.

- 1 *utrum hæc sit conveniens forma huius sacramenti: Hoc est corpus &c.*
- 2 *utrum forma consecrationis panis sit conveniens: Hoc est corpus &c.*
- 3 *utrum sit conveniens forma consecrationis sanguinis: Hic est calix &c.*
- 4 *utrum in verbis dictarum formarum sit aliqua vis creata effectiva consecrationis.*
- 5 *utrum locutiones in predictis formis sint veræ.*
- 6 *de comparatione unius formæ ad aliam.*

QUESTIO LXXIX.

De effectibus huius sacramenti.

- 1 *utrum hoc sacramentum conferat gratiam.*
- 2 *utrum effectus huius sacramenti sit adeptio gloriæ.*
- 3 *utrum effectus huius sacramenti sit remissio peccati mortalis.*
- 4 *utrum per hoc sacramentum remittatur peccatum veniale.*
- 5 *utrum per hoc sacramentum remittatur tota pena peccati.*
- 6 *utrum hoc sacramentum præservet hominem a peccatis futuris.*
- 7 *utrum hoc sacramentum proferat aliis quam sumentibus.*
- 8 *utrum per peccatum veniale impediatur effectus huius sacramenti.*

QUESTIO LXXX.

De usu, siue sumptione huius sacramenti in communi.

- 1 *utrum sint duo modi manducandi hoc sacramentum, scilicet sacramentaliter, & spiritualiter.*
- 2 *utrum soli homini conveniat manducare spiritualiter hoc sacramentum.*
- 3 *utrum solius hominis iusti sit manducare sacramentaliter.*
- 4 *utrum peccator manducans sacramentaliter peccet.*
- 5 *utrum hoc sit gravissimum omnium peccatorum.*
- 6 *utrum peccator accedens ad hoc sacramentum sit repellendus.*
- 7 *utrum nocturna pollutio impediat hominem a sumptione huius sacramenti.*
- 8 *utrum sit solum a jejuniis sumendum.*
- 9 *utrum sit recipiendum a non habentibus usum rationis.*
- 10 *utrum sit quotidie sumendum.*
- 11 *utrum liceat omnino abstinere.*
- 12 *utrum liceat percipere corpus sine sanguine.*

QUESTIO LXXXI.

De modo quo Christus usus est isto sacramento.

- 1 *utrum ipse Christus sumpsit corpus suum & sanguinem.*
- 2 *utrum dedetis ea Iudæ.*

- 3 utrum dederis, & assumpseris corpus passibile, & spiritus passibile.
- 4 quomodo se habuisset Christus sub hoc sacramento, si fuisset in rebus reservatum, aut consecratum.

QUESTIO LXXXII.

De ministeriis hujus sacramenti.

- 1 utrum consecratio hoc sacramentum sit proprium sacerdotis.
- 2 an una plures sacerdotes simul possint eandem hostiam consecrare.
- 3 an eadem dispensatio hujus sacramentis pertineat ad solum sacerdotem.
- 4 utrum licet sacerdoti consecrandi a communione abstinere.
- 5 utrum sacerdos peccator possit consecrare hoc sacramentum.
- 6 utrum Missa mali sacerdotis minus valeat quam boni.
- 7 utrum heretici, & schismatici, vel excommunicati, possint consecrare hoc sacramentum.
- 8 utrum degradati.
- 9 utrum peccent a talibus communionem recipiendi.
- 10 an utrum liceat sacerdoti omnino a celebratione cessare.

QUESTIO LXXXIII.

De ritu hujus sacramenti.

- 1 utrum in celebratione hujus mysterii Christus immoletur.
- 2 de tempore celebrationis.
- 3 de loco, & aliis quae pertinent ad apparatus hujus celebrationis.
- 4 de his quae in celebratione hujus mysterii dicuntur.
- 5 de his quae circa celebrationem hujus mysterii fiunt.
- 6 de defectibus qui circa celebrationem hujus mysterii committuntur.

QUESTIO LXXXIV.

De sacramento poenitentiae.

- 1 utrum poenitentia sit sacramentum.
- 2 de materia hujus sacramenti.
- 3 de forma ipsius.
- 4 utrum impositio manus requiratur ad hoc sacramentum.
- 5 utrum hoc sacramentum sit de necessitate sa-

- luti.
- 6 ad ordine ejus ad alia sacramenta.
- 7 de institutione ejus.
- 8 de duratione ipsius.
- 9 de continuatione ejus.
- 10 utrum possit iterari.

QUESTIO LXXXV.

De poenitentia, secundum quod est virtus.

- 1 utrum poenitentia sit virtus.
- 2 an sit virtus specialis.
- 3 sub qua specie virtutis contineatur.
- 4 de subjecto ejus.
- 5 de transo ejus.
- 6 de ordine ejus ad alias virtutes.

QUESTIO LXXXVI.

De effectu poenitentiae.

- 1 utrum omnia peccata mortalia per poenitentiam auferantur.
- 2 an possint sine poenitentia tolli.
- 3 utrum possit unum peccatum remitti sine alio.
- 4 utrum poenitentia auferat culpam, remanente reatu.
- 5 utrum remaneant reliquiae peccatorum.
- 6 an auferre peccatum sit effectus poenitentiae, in quantum est virtus vel in quantum est sacramentum.

QUESTIO LXXXVII.

De remissione venialium peccatorum.

- 1 utrum sine poenitentia peccatum veniale possit remitti.
- 2 utrum possit dimitti sine gratiae infusione.
- 3 utrum peccata venialia remittantur per asperionem aquae benedictae, & orationem peccatoris, & orationem dominicam, & alia hujusmodi.
- 4 utrum peccatum veniale possit remitti sine mortali.

QUESTIO LXXXVIII.

De reatu peccatorum per poenitentiam dimissorum.

- 1 utrum peccata per poenitentiam dimissa redeant simpliciter per sequens peccatum.
- 2 utrum

INDEX QUEST. & ARTIC.

XXVII

- 2 *utrum aliquo modo per ingratitude[m] redeant specialius secundum quadam peccata.*
- 3 *utrum redeant in equali reatu.*
- 4 *utrum illa ingratitude[m] per quam redeunt, sit speciale peccatum.*

- mortificentur.*
- 5 *utrum opera mortificata per peccatum, per penitentiam reviviscant.*
- 6 *utrum opera mortua, idest sine caritate facta, per penitentiam vivificentur.*

QUESTIO LXXXIX.

De recuperatione virtutum per penitentiam.

- 1 *utrum per penitentiam restituantur virtutes.*
- 2 *utrum restituantur in equali quantitate.*
- 3 *utrum restituantur penitenti equalis dignitas.*
- 4 *utrum opera virtutum per peccatum sequens*

QUESTIO XC.

De partibus penitentiae in generali.

- 1 *utrum penitentia habeat partes.*
- 2 *de numero partium ejus.*
- 3 *quales partes sint.*
- 4 *de divisione ejus in partes subjectivas.*

P I N I S.

D. T H O M A E
A Q U I N A T I S
D O C T O R I S A N G E L I C I
S U M M A E T H E O L O G I C A E
P A R S T E R T I A.
T O M U S T E R T I U S.

Q U E S T I O L X V I.

De pertinentibus ad Sacramentum Baptismi,

In duodecim articulos diuisa.



Ei^{us} de considerandum est de singulis sacramentis in speciali. Primo de baptismo; secundo de confirmatione; tertio de Eucharistia; quarto de pœnitentia; quinto de extrema unctio^{ne}; sexto de Ordine; septimo

de matrimonio.

Circa primum occurrit duplex consideratio. Prima de ipso baptismo. Secunda de præparatoriis ad baptismum.

Circa primum quatuor consideranda occurrunt. Primo de his quæ pertinent ad sacramentum baptismi; secundo de ministro huius sacramenti; tertio de recipientibus hoc sacramentum; quarto de effectu huius sacramenti.

Circa primum quaruntur duodecim:

Primo, quid sit baptismus, utrum scilicet sit ablutio.

Secundo, de institutione huius sacramenti.

Tertio, utrum aqua sit propria materia huius sacramenti.

Quarto, utrum requiratur aqua simplex.

Quinto, utrum hæc sit conueniens forma huius sacramenti: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Sexto, utrum sub hac forma possit aliquis baptizari: *Ego te baptizo in nomine Christi.*

Septimo, utrum immersio sit de necessitate baptismi.

Summ. S. Th. Tom. XII.

Octavo, utrum requiratur trina immersio.

Nono, utrum baptismus possit iterari.

Decimo de ritu baptismi.

Undecimo de distinctione baptismatum.

Duodecimo de comparatione baptismatum.

A R T I C U L U S I. 364

Utrum Baptismus sit ipsa ablutio.

IV. dist. IV. art. I. & IV. con. cap. IX.

AD primum sic proceditur. Videtur quod Baptismus non sit ipsa ablutio. Ablutio enim corporalis transit; baptismus autem permanet. Ergo baptismus non est ipsa ablutio, sed potius *regeneratio, & sigillum, & custodia, & illuminatio*; ut Damascenus dicit in IV. Lib. (orth. Fid. cap. x. in med.)

2. Præterea. Hugo de S. Victore dicit (Lib. III. de sacram. par. vi. cap. 11.) quod *baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei*. Aqua autem non est ipsa ablutio, sed ablutio est quidam usus aquæ. Ergo &c.

3. Præterea. Augustinus dicit super Joan. (tract. lxxx. a med.) *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*. Elementum autem est ipsa aqua in sacramento baptismi. Ergo baptismus est ipsa aqua, non autem ablutio.

Sed contra est quod dicitur Eccli. xxxiv.

30. *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tan-*

A gis

git mortuum, quid proficit lavatio ejus? (1) Videtur ergo quod baptisimus sit ipsa ablutio, sive lavatio.

Respondeo dicendum, quod in sacramento baptisimus est tria considerare; aliquid scilicet quod est sacramentum tantum; aliquid autem quod est res, & sacramentum; aliquid vero quod est res tantum.

Sacramentum tantum est aliquid visibile exterioris existens, quod scilicet est signum interioris effectus, hoc enim pertinet ad rationem sacramenti: exterioris autem suppositum sensui est ipsa aqua, & ejus usus, qui est ablutio. Quidam ergo existimaverunt, quod ipsa aqua sit sacramentum: quod quidem sonare videntur verba Hugonis de S. Victore (cit. in arg. 2.) nam ipse in communi definitione sacramenti (Lib. I. de sacram. p. 1x. cap. 11. a princ.) dicit, quod est *materiale elementum*: & in definitione baptisimi dicit, quod est aqua. Sed hoc non videtur esse verum: cum enim sacramenta novæ legis sanctificationem quamdam operentur, ibi perficitur sacramentum, ubi perficitur sanctificatio. In aqua autem non perficitur sanctificatio, sed est ibi quædam sanctificationis virtus instrumentalis, non permanens, sed fluens in hominem, qui est veræ sanctificationis subiectum: & ideo sacramentum (*) non perficitur in ipsa aqua, sed in applicatione aquæ ad hominem, quæ est ablutio. Et ideo Magister in 111. dist. IV. Sent. dicit, quod *baptisimus est ablutio corporis exterior, facta sub forma præscripta verborum*. Res autem, & sacramentum est character baptismalis, qui est res significata per exteriorem abluitionem & est signum sacramentale interioris justificationis, quæ est res tantum hujus sacramenti,

scilicet significata, & non significans.

Ad primum ergo dicendum, quod id quod est sacramentum tantum in baptisimo, transit; permanet autem & id quod est sacramentum, & res, scilicet character, & id quod est res tantum, scilicet interior justificatio: sed character permanet indelebiter, ut supra dictum est (quæst. lxxi. art. 5.) justificatio autem permanet, sed amissibiliter. Damascenus autem baptismum definiit, non quantum ad id quod exterior agitur, quod est sacramentum tantum, sed quantum ad id quod est interius. Unde posuit duo pertinentia ad characterem, scilicet *sigillum*, & *custodiam*, in quantum ipse character, qui sigillum dicitur, quantum est de se, custodit animam in bono. Duo etiam posuit pertinentia ad ultimam rem sacramenti; scilicet *regenerationem*, quæ ad hoc pertinet quod per baptismum homo inchoat novam vitam justitiæ; & *illuminationem*, quæ pertinet specialiter ad fidem, per quam homo spirituales vitam accipit, secundum illud Habac. 11. 2. (**)*Justus ex fide vivit*. Baptisimus autem est quædam fidei protestatio: unde dicitur *fidei sacramentum*. Et similiter Dionysius baptismum definiit per ordinem ad alia sacramenta, dicens 11. cap. eccles. Hier. (parum a princ.) quod est *quoddam principium sanctissimorum mandatorum sacre actionis, ad eorum susceptivam opportunitatem formans nostros animales habitus*. Et iterum in ordine ad cælestem gloriam, quæ est ultimus finis sacramentorum, cum subdit: *Ad supercælestis quietis anagogen nostrum iter faciens*: & iterum quantum ad principium spiritualis vitæ, per hoc quod subdit: *Sacra, & divinissima nostra regenerationis traditio*.

Ad

(1) Quod sic explicat glossa interlin. *Qui baptizatur a mortuo, id est a peccato, & iterum tangit mortuum rediens ad peccatum, quid proficit lavatio ejus? quia non permanet mundatio illius*: Non ad baptismum sed ad penitentiam referendo: Ut & glossa collateralis expressius, tamen nullo nomine prænotata: Expressissime autem Gregorius in Psal. Penitentialem super illud, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, ubi ait: *ille lavatur a mortuo qui per penitentiam mundatur a peccato: Quem si contigerit eadem que panierat iterando peccata committere, nihil consilisse videtur adhibita satisfactionis lavatio quem maculavit in bonis iterata facinoris turpiter*: Et similiter libro de Pastoralis cura parte 3. Admonet 31. *Baptizatur a mortuo qui mundatur fletibus a peccato: sed post baptismum mortuum tangit qui culpam post lacrymas repetit*: Quamvis & ad verum baptismum cui penitentia præmittitur, applicat ver-

sus finem, cum ait. *Illos emendatior vita sanctificat, quos per penitentiam abluens afflictio fletuum mundat*: Hinc Petrus quosdam, cum terribis malorum suorum consideratione conspiceret, admonet dicens: *Penitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum: Dofturns enim baptisma præmissis penitentia lamenta, ut prius se aqua sue afflictionis infunderent, & postmodum sacramento baptismatis lavarent*: Unde infert: *Qua ergo mente qui transactas culpas flere negligunt, vivunt securi de venia, quando ipse summus Pastor Ecclesie hinc etiam Sacramento addendam penitentiam credidit, quod peccata principaliter extinguit?* Hinc pro baptismum usurpare potuit Sanctus Thomas.

(*) Ita miss. Et adini passim. Al. deest non.

(**) Vulgata ibi: Justus autem in fide sua vivet, Sic autem habet Apostolus Rom. 1. 17.

Utrum Baptismus fuerit institutus post Christi passionem.

IV. dist. III. art. 5. & dist. VIII. quest. I, art. 3. quest. 3. ad 2.

Ad secundum dicendum, quod, sicut dictum est (in corp. art.) opinionem Hugonis de S. Victore in hac parte sequi non oportet. Potest tamen verificari ut baptismus dicatur esse aqua, quia aqua est materiale baptismi principium : & sic erit prædicatio per causam.

Ad tertium dicendum, quod accedente verbo ad elementum, fit sacramentum, non quidem in ipso elemento, sed in homine, cui adhibetur elementum per usum ablutionis : & hoc etiam signat verbum, quod accedit ad elementum, cum dicitur : *Ego te baptizo &c.*

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, & concilio, quod baptismus est ablutio. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Eccles. trigesimo-quarto. *Qui, & cætera, ut in argumens. contra.* Item per hoc, quod baptismus vocatur lavacrum. *Salvos* (inquit Apostolus ad Titum 3.) *nos fecit per lavacrum regenerationis.* Hoc est. Per lavationem regenerationis. Ibi enim *lavacrum* non dicit aquam, sed aquæ usum, quoniam sic, idest, per usum aquæ (ut patet) nos salvi sumus. A Concilio autem Trident. per hoc, quod dicit sess. 13. can. 3. *Reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur. At in Eucharistia ipse sanctificatis auctor ante usum est.* Hæc ibi. Ex quibus etiam patet consideranti declaratio, simulque confirmatio utrarumque articul. conclusionum cum suis probationib. *Secundo* vides : quomodo &c.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod baptismus fuerit institutus post Christi passionem. Causa enim præcedit effectum. Sed passio Christi operatur in sacramentis novæ legis. Ergo passio Christi præcedit institutionem sacramentorum novæ legis, & præcipue (*) institutionem baptismi; cum Apostolus dicat Rom. vi. 3. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus &c.* (1)

2. Præterea. Sacramenta novæ legis efficaciam habent ex mandato Christi. Sed Christus mandatum baptizandi dedit discipulis post passionem, & resurrectionem suam, dicens : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* ut habetur Matth. ult. 19. Ergo videtur quod post passionem Christi baptismus fuerit institutus.

3. Præterea. Baptismus est sacramentum necessitatis, ut supra dictum est (quest. præc. art. 4.) & ita videtur quod ex quo baptismus institutus fuit, homines obligarentur ad baptismum. Sed ante passionem Christi homines non obligabantur ad baptismum : quia adhuc circumcisio suam virtutem habebat, in cuius locum successit baptismus. Ergo videtur quod baptismus non fuerit institutus ante passionem Christi.

Sed contra est quod Augustinus dicit in quodam sermone de Epiphania (2) *Ex quo Christus in aqua mergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua.* Sed hoc fuit ante Christi passionem. Ergo videtur quod baptismus ante Christi passionem fuerit institutus.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est

A 2 est

(*) Ita communiter optime. At intentionem.

(1) Ubi homil. 10. Chrysostomus : *Quid est in morte?* inquit (vel in morsem ex græco a'is tævatoz) *Scilicet ut nos ipsi cum illo moriamur; Crux est nobis baptisma: Quod Christo crux & sepulchrum, hæc etiam baptismus nobis fuit: Ille carni mortuus & sepultus est, nos peccato, &c.*

(2) Nempe serm. 1. Dominica infra Octavam Epiphaniæ, seu 36. de tempore, ut ad marginem prius notabatur. Paulo aliter vero ibi & plenius: *Ex quo*

Salvator in aqua se mergit, ex eo omnium gurgitum tractus cunctorumque fontium venas mysterio baptismatis consecravit; & quisquis ibi in nomine Domini baptizari voluerit, non tam illum mundi aqua diluit, quam Christi unda purificat: Salvator autem ideo baptizari voluit, non ut sibi mundiciam acquireret, sed ut nobis fluens mundaret: Præter illa quæ superius cum de baptismo Christi ageretur, indicata sunt, & inferius de baptismi effectu.

est supra (quæst. lxxi. art. i.) sacramenta ex sui institutione habent quod conferant gratiam . Unde tunc videtur aliquod sacramentum institui , quando accipit virtutem producendi suum effectum . Hanc autem virtutem accepit baptismus , quando Christus est baptizatus . Unde tunc vere baptismus institutus fuit quantum ad ipsum sacramentum . Sed necessitas utendi hoc sacramento indicta fuit hominibus post passionem , & resurrectionem : tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia sacramenta , quibus succedit baptismus , & alia sacramenta novæ legis : tum etiam quia per baptismum configuratur homo passioni , & resurrectioni Christi , in quantum moritur peccato , & incipit novam justitiæ vitam . Et ideo oportuit Christum prius pati , & resurgere , quam hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti , & resurrectioni ejus .

Ad primum ergo dicendum , quod etiam ante passionem Christi baptismus habebat efficaciam a Christi passione , in quantum eam præfigurabat , aliter tamen quam sacramenta veteris legis : nam illa erant figuræ tantum ; baptismus autem ab ipso Christo virtutem habebat justificandi , per cuius virtutem ipsa etiam passio salutifera fuit .

Ad secundum dicendum , quod homines debebant multiplicibus figuris arctari (1) per Christum , qui venerat sua veritate figuras impletas auferre . Et ideo ante passionem suam baptismum institutum non posuit sub præcepto ; sed voluit ad ejus exercitium homines assueferi , & præcipue in populo Judæorum , apud quem omnia facta figuralia erant , ut Augustinus dicit contra Faustum (Lib. IV. cap. 11. cir. med.) Post passionem vero , & resurrectionem non solum Judæis , sed etiam Gentilibus sub præcepto necessitate baptismi imposuit , dicens (Matth. ult. 19. *Euntes docete omnes gentes.*)

Ad tertium dicendum , quod sacramenta non sunt obligatoria , nisi quando sub præcepto ponuntur : quod quidem non fuit ante passionem , ut dictum est (in corp. art.) Quod enim Dominus ante passionem Nicodemus dixit Joan. 111. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua , & Spiritu sancto , non potest introire in regnum Dei* , magis videtur ad futurum respicere quam ad præsens tempus .

APPENDIX.

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas , merito esse infinuatum a scripturis , Ecclesia , & Augustino : quod baptismus fuit institutus ante Christi passionem , a scripturis quidem per hoc , quod dicitur Mat. 3. *Sic enim docet , nos implere omnem justitiam* . Hoc est . Per hoc , quod ego a te baptizabor , faciam , ut baptismus meo in hominibus omnibus baptizandis infundatur justitia . Unde D. Ambrosius in lib. de sacramentis hunc sensum aperiens dicit . *Sic docet , nos implere omnem justitiam* . Vide , quæ sit omnis justitia . *Christus ad baptismum descendit : non ut caro mundaretur , quam suscepit de nostra conditione . Non enim ablutio peccati Christo necessaria fuit , qui peccatum non fecit : sed nobis erat necessaria , qui peccato eramus obnoxii* . Hæc ille . Qui & paulo superius dixerat : *Per aquam baptismi transitus est de terrenis ad caelestia : qui per hanc aquam transit , non moritur , sed exurgit : non omnis aqua sanat , sed illa , quæ habet gratiam Christi* . Quasi B. Ambrosius , ad Evangelium proprius accedendo , dicat : *Aqua antequam Christus baptizaretur , non sanabat : sed , postquam ipse baptizatus est , implevit per aquam in nobis omnem justitiam* . Ab Ecclesia vero per hoc , quod dicit : *Creator omnium in Jordano expurgat nostra facinora* . Quomodo autem intelligatur istud , declarat subjungens : *Fontes aquarum sanctificati sunt , Christo apparente in gloria ; orbis terrarum haurire aquas de fontibus Salvatoris ; sanctificavit enim nunc omnem creaturam* . Hæc illa in laudib. & vesp. de oct. Epiph. Ubi exponit ly *Christo apparente in gloria* , idest Christo baptizato . Tunc enim apparuit nobis vere , quod erat filius Dei , Patre protestante : id , quod maxima gloria est . Rufinus . Intellige ly *sanctificavit omnem creaturam* , pro quando sanctificavit aquas , quibus , quæcumque creatura baptizabitur , sanctificabitur . A D. August. item infinuatur idipsum per hoc , quod dicit . *Necdum eramus in mundo : jam abluēbamur in baptismo* . Nam ipsa fuit baptismatis ratio : ut aqua , quæ purgatura erant , ab illo purgarentur . Tunc enim Christum Dominum non tantum lavit unda ; quam lora est . Hæc ille in serm. de

(1) Sic etiam in Manuscripto ut & in Exemplari Duacensi . Frivole autem Colonienſe ad marginem annotat *aggravari* , quamvis in ipſo textu ſicut alia

legat , *aggravari* : An *aggravari* forte reponendum aliquis ſtatuit propter importabile jugum cui observantia veteris legis Act. 15. comparatur ?

de Epiph. qui incipit; Proxima. Secunda vides; quomodo &c.

ARTICULUS III. 366

Utrum aqua sit propria materia Baptismi.

IV. dist. III. art. 1. quæst. 1. & dist. XVII. quæst. III. art. 4. quæst. 3. & IV. cont. cap. IIX. & quol. II. art. 10. cor. & Jo. III.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod aqua non sit propria materia baptismi. Baptismus enim secundum Dionysium (cap. 11. eccl. Hier.) & Damascenum (Lib. IV. orth. Fid. cap. x. cir. med.) habet vim illuminativam. Sed illuminatio maxime competit igni. Ergo baptismus magis debet fieri in igne quam in aqua; præsertim cum Joannes Baptista prænuntians Christi baptismum dicat (Matth. III. II.) *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.*

2. Præterea. In baptismo significatur ablatio peccatorum. Sed multa alia sunt ablutiva quam aqua; sicut vinum, & oleum, & hujusmodi alia. (1) Ergo etiam in his potest fieri baptismus. Non ergo aqua est propria materia baptismi.

3. Præterea. Sacramenta Ecclesie fluxerunt de latere Christi pendentis in cruce ut supra dictum est (quæst. LXII. art. 5.) Sed inde fluxit non solum aqua, sed etiam sanguis. (2) Ergo videtur quod etiam in sanguine possit fieri baptismus: quia etiam videtur magis convenire cum causa, & effectu baptismi, quia dicitur Apocal. I. 5. *Lavis nos a peccatis nostris in sanguine suo.*

4. Præterea. Sicut Augustinus & Beda dicunt (3) *Christus satus sua mundissima cernis vim re-*

generativam, & purgativam contulit aquis. Sed non omnis aqua continuatur cum aqua Jordanis, quam Christus tetigit sua carne. Ergo videtur quod non in omni aqua possit fieri baptismus: & ita aqua, in quantum hujusmodi, non est propria materia baptismi.

5. Præterea. Si aqua secundum se esset propria baptismi materia, non oporteret aliquid aliud fieri circa aquam, ad hoc quod in ea baptismus fieret. Sed in solemnibus baptismis aqua, in qua debet celebrari baptismus, exorcizatur, & benedicitur. Ergo videtur quod aqua secundum se non sit propria baptismi materia.

Sed contra est quod Dominus dicit Joann. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Respondeo dicendum, quod ex institutione divina aqua est propria materia baptismi; & hoc convenienter. Primo quidem quantum ad ipsam rationem baptismi, qui est regeneratio in spiritualem vitam; quod maxime congruit aquæ. Unde & femina, ex quibus generantur omnia viventia, scilicet plantæ, & animalia, humida sunt, & ad aquam pertinent. Propter quod quidam Philosophi (4) posuerunt aquam omnium rerum principium. Secundo quantum ad effectus baptismi quibus competunt aquæ proprietates: quæ sua humiditate lavat; ex quo conveniens est ad significandam, & causandam ablutionem peccatorum: sua frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris; & ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam somniti: sua diaphaneitate est luminis susceptiva; unde competit baptismi, in quantum est fidei sacramentum. Tertio quia convenit ad representandum mysteria Christi, quibus iustificamur. Ut enim dicit Chrysostomus super illud

(1) Patet liquores omnes ex pura saltem materia confecti, &c.

(2) Ut Joan. 19. vers. 34. expresse patet, postquam unus militum lancea latus ejus aperuit.

(3) Colligitur ex Augustino quidem ferm. 36. de tempore, ut supra, ubi ait: *Sicut post partum glorificata est Maria castificatio, ita post baptismum aqua est purificatio comprobata: illi est collata virginitas, isti donata fecunditas: illa præter Christum nascit alium filium: Ista cum Christo mater est populorum:* Ex Beda autem super Luc. 3. ubi ait: *Baptizatus est Dominus ipse mundare cupiens aquas ut abluta per carnem ejus vim regenerativa sanctificationis conciperent.*

(4) Et nominatim quidem Thales; ut lib. 1. Me-

toph. cap. 3. Aristoteles refert (non 1. Physic. ut prius ad marginem) Indefinite autem de aliis qui omnia ex aqua procreari dicebant, lib. de sensu & sensato cap. 4. Hinc parentem omnium Oceanum Homerus vocat, ex quo id mutuati videntur Philosophi. Sed huc pertinet quoque quod in benedictione Fontis baptismalis dicitur. *Deus cujus Spiritus in primordio mundi super faciem abyssi ferebatur, ut regenerandi virtutem aquarum natura conciperet;* Quasi naturalis illarum sæcunditas ad supernaturalem significandam transferatur. Sive auctor operis imperfecti homil. 3. in Matthæum paulo aliis verbis: *Tensionis & tribulationis baptismum igni comparat (inquit) Comburi enim carnem & eam coquit, ut nec cito concupiscat, nec germinet concupiscentias.*

illud Joan. 112. *Nisi quis renatus fuerit &c.* (hom. xxiv. in Joan. a med.) „ sicut in „ quodam sepulcro, in aqua submergentibus „ nobis capita, vetus homo sepelitur; & sub- „mersus deorsum occultatur; & deinde novus „ rursus ascendit. “ Quarto quia ratione suæ „ communitatis, & abundantiz, est conveni- „niens materia necessitati hujus sacramenti: „ potest enim ubique de facili haberi.

Ad primum ergo dicendum, quod illumi- „natio pertinet ad ignem active. Ille autem „ qui baptizatur, non efficitur illuminans, sed „ illuminatus per fidem, *quæ est ex auditu*, ut „ dicitur Rom. x. Et ideo magis competit a- „qua baptismi quam ignis. Quod autem dicitur, „ *Baptizabis vos in Spiritu sancto, & igni*, „ potest per ignem, ut Hieronymus dicit (sup. „ hunc loc. Matth.) intelligi Spiritus sanctus, „ qui super discipulos in igneis linguis apparuit, „ ut dicitur Act. 11. Vel per ignem potest in- „telligi tribulatio, ut Chrysostomus dicit super „ Matth. (alius Auctor hom. 111. in op. im- „perf. aliquant. a med.) *quia tribulatio peccata „ purgat, & concupiscentiam diminuit. Vel „ quia, ut Hilarius dicit super Matth.) can. „ 11. cir. med.) baptizatis in Spiritu sancto reli- „quum est consummari igne judicii.*

Ad secundum dicendum, quod vinum, & „ oleum non communiter assumuntur ad usum „ ablutionis, sicut aqua; nec etiam ita perfe- „cte abluunt: quia ex eorum abluione reman- „net aliqua infectio quantum ad odorem; quod „ non contingit de aqua. Illa etiam non ita „ communiter, & abundanter habentur, sicut „ aqua.

Ad tertium dicendum, quod ex latere Chri- „sti fluxit aqua ad abluendum, sanguis autem „ ad redimendum. (1) Et ideo sanguis compe- „tit sacramento Eucharistiz, aqua autem sa- „cramento baptismi, qui tamen habet vim ab- „lutivam ex virtute sanguinis Christi.

Ad quartum dicendum, quod virtus Chri- „sti derivata est ad omnem aquam, non pro- „pter continuitatem loci, sed propter simili- „tudinem speciei. Unde dicit Augustinus in quo- „dam sermone Epiphaniæ (xxxvi. de temp. „ a med.) (2) *Quæ de Salvatoris baptis- „mate*

benedictio fluxit, tamquam fluvius spiritualis, „ omnium gurgitum tractus, universorum que fon- „tium venas implevit.

Ad quintum dicendum, quod illa benedi- „ctio quæ adhibetur aquæ, non est de neces- „sitate baptismi, sed pertinet ad quandam so- „lemnitatem, per quam excitatur devotio fide- „lium, & impeditur astutia dæmonis, ne im- „pediat baptismi effectum.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per ratio- „nem interimas hæresim *Hermia* dicentis: „baptizandum esse non in aqua, sed in igne. „Secundo habes: quomodo per rationem osten- „das, hæc merito damnari a Concilio *Flo-* „dicente: *Materia hujus sacramenti (de bap- „tismo loquitur, ut patet in contextu) est aqua „ vera, & naturalis: nec refert, frigida sit, an „ calida.* Hæc illud in Decret. seu constitut. su- „per unio. Armenor. & forsitan ad excluden- „dam etiam hæresim *Jacobitarum*, quos eodem „tempore præfates habebat, dixit hoc. Dico „ly forsitan: quia mos *Jacobitarum*, quæ bap- „tizant circumcidendo aduotione quadam in fronte, „ vel in genis impressa, potest esse, & „ non esse fidei compatibilis. Si enim cum a- „qua baptizant, & simul aduotionem illam ad- „hibent ante, vel postea, baptizatus est homo „ non propter illam aduotionem, sed propter a- „quam: si vero sine aqua dicunt baptizandum „ esse, vel aquam sine illa aduotione non suffi- „cere ad salutem (dummodo alia, scilicet for- „ma, & intentio debita ministri concurrant) „ hæresim dicunt: & in hoc sensu ibi a Con- „cilio suprascripto illud, tanquam in fide erro- „neum damnatur. Item per rationem osten- „des, merito damnari a Jo. 3. *Nisi quis ven- „tus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non po- „test introire in regnum Dei.* Item ab Act. 8. „ dum aqua baptizatur Eunuchus. Et cap. 10. „ dum aqua baptizatur Cornelius centurio cum „ sociis, & quidem a Vicario Christi, scilicet „ Petro, cujus est judicare de vero sensu scrip- „turarum teste Concil. *Trident. sess. 4. Decr. „ 2. (Item ab eodem Concil. *Trid. sess. 7. de „ Bap-**

(1) Vel sicut Ambrosius loquitur super Lucam cap. 23. *Illam quæ diluas, iste qui redimas.*

(2) Non expresse sic in modernis: æquivalenter tamen in prædicto ferm. 36. de temp. sive ferm. 1. Dominicæ infra octavas Epiphaniæ, ubi sic versus finem; *Ex quo Salvator in aqua se mersit ex eo omnium gurgitum tractus cunctorumque fontium venas*

mysterio baptismatis consecravit Ut ferm. 17. vel in in Octava Epiphaniæ 1. Ambrosius: *Baptizatio (inquit) Christi consecratio est elementi: Cum enim Salvator abluisset, jam tunc in nostrum baptismum tota aqua mundatur & purificatur fons, ut sequatur ris postmodum populis lavacri gratia ministraretur.*

Baptif. can. 2. *Si quis dixerit: aquam veram, & naturalem non esse de necessitate Baptismi: atque ideo verba illa Christi Domini nostri. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit: anathema sit. Hæc ibi. Tertio vidēs: quomodo &c.*

ARTICULUS IV. 367

Utrum ad Baptismum requiratur aqua simplex.

IV. dist. III. art. 3. quest. 2. & IV. cons. cap. LVIII.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod ad baptismum non requiratur aqua simplex. Aqua enim quæ apud nos est, non est aqua pura; quod præcipue apparet de aqua maris, in qua plurimum admiscetur de terrestri, ut patet per Philosophum in Lib. II. Meteor. (cap. III.) Et tamen in tali aqua potest fieri baptismus. Ergo non requiritur aqua simplex, & pura ad baptismum.

2. Præterea. In solemnī celebratione baptismi aquæ infunditur chrīsmā. Sed hoc videtur impedire puritatem, & simplicitatem aquæ. Ergo aqua pura, & simplex non requiritur.

3. Præterea. Aqua fluens de latere Christi pendēntis in cruce fuit signum baptismi, ut dictum est (art. præc. ad 3.) Sed aqua illa non videtur fuisse aqua pura, eo quod in corpore mixto, cujusmodi fuit corpus Christi, non sunt elementa in actu. Ergo videtur quod non requiratur aqua pura, vel simplex ad baptismum.

4. Præterea. Lixivium non videtur esse a-

qua pura: habet enim (*) contrarias proprietates aquæ, (1) scilicet calefaciendi, & deficiendi. Et tamen in lixivio videtur posse fieri baptismus, sicut & in aquis balnearum, quæ transeunt per venas sulphureas, sicut & lixivium colatur per cineres. Ergo videtur quod aqua simplex non requiratur ad baptismum.

5. Præterea. Aqua rosacea fit (**) per sublimationem a rosis; (2) sicut etiam aquæ alchemicæ generantur per sublimationem ab aliquibus corporibus. Sed in his aquis, ut videtur, potest fieri baptismus, sicut & in aquis pluvialibus, quæ per sublimationem vaporum generantur. Cum igitur hujusmodi aquæ non sint puræ, & simplices; videtur quod aqua pura, & simplex non requiratur ad baptismum.

Sed contra est quod propria materia baptismi est aqua, ut dictum est (art. præc.) Sed speciem aquæ non habet nisi aqua simplex. Ergo aqua pura, & simplex de necessitate requiritur ad baptismum. (3)

Respondeo dicendum, quod aqua suam puritatem, & simplicitatem potest amittere dupliciter: uno modo per mixtionem alterius corporis; alio modo per alterationem. Utrumque autem horum contingit fieri dupliciter, scilicet per artem, & per naturam. Ars autem deficit ab operatione naturæ: quia natura dat formam substantialem, quod ars facere non potest; sed omnes formæ artificiales sunt accidentales, nisi forte apponendo proprium agens ad propriam materiam, sicut ignem combustibili: per quem modum a quibusdam quædam animalia per putrefactionem generantur.

Quæcumque igitur transmutatio circa aquam facta est per artem, sive commiscendo, sive alterandō, non transmutatur species aquæ. Unde

(*) Nicolajus proprietates contrarias.

(1) Planiori constructione quam antea inverſis verbis contrarias proprietates aquæ.

(**) Ita cum mſſ. Torrac. Alcan. aliisque edisſiſſim. Al. subtilizationem.

(2) Idest per evaporationem quandam quæ succum rosæ subtiliorem in sublime attrahit, ut inde humor similis aquæ refiliat. Dicuntur autem alchymicæ sive chymicæ aquæ a græco χυμός quæcumque per chymicam seu fusoriam artem ex qualicumque succo extrahuntur.

(3) Sic illud ex Joan. 3. quod jam supra indicatum est intelligendum esse in Concilio Trident. Sess. 7. definitur Can. 2. de baptismo: *Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu*

Christi. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit: Contra Calvinum nempe qui sic ea metaphorice intelligi vult, ut per aquam gratia designetur nec aliud intelligatur quam per Spiritum sanctum, adeoque nec ad Baptismum pertineant; quamvis in eum sensum illa semper urgeant Patres. Hinc tot aquarum laudes, apud illos propter baptismum; & nominatim apud Hieronymum ad Oceanum epist. 83. quas in Pantheologia Rayneriana to. 1 tit. de baptismo cap. 2. congestimus; Hinc apud illos aquæ perpetua mentio quoties de baptismo agendum, ut ibi quoque videre est. Hinc Act. 8. vers. 36. & Act. 10. vers. 47. ad Ephes. 5. vers. 25. & 1. Petri; vers. 21. aqua expresse pro baptismo vel ad baptismum adhibita; quod satis ejus necessitatem probat.

Unde in tali aqua potest fieri baptismus: nisi forte aqua admisceatur per artem in tam parva quantitate alicui corpori, quod compositum magis sit aliud quam aqua; sicut lutum magis est terra quam aqua, & vinum lymphatum magis est vinum quam aqua.

Sed transmutatio, quæ fit a natura, quandoque quidem speciem aquæ solvit: & hoc fit, quando aqua efficitur per naturam de substantia alicujus corporis mixti; sicut aqua conversa in liquorem uvæ est vinum, unde non habet speciem aquæ: aliquando autem fit per naturam transmutatio aquæ sine solutione speciei; & hoc tam per alterationem; sicut patet de aqua calefacta a Sole, quam etiam per mixtionem, sicut patet de aqua fluminis turbida ex permixtione terrestrium partium. Sic ergo dicendum est, quod in qualibet aqua qualitercumque transmutata; dummodo non solvatur species aquæ, potest fieri baptismus; si vero solvatur species aquæ, non potest fieri baptismus.

Ad primum ergo dicendum, quod transmutatio facta in aqua maris, & etiam in aliis aquis quæ penes nos sunt, non est tanta quod solvat speciem aquæ. Et ideo in hujusmodi aquis potest fieri baptismus.

Ad secundum dicendum, quod admixtio chrisimatis non solvit speciem aquæ, sicut nec etiam aqua decoctionis carnium, aut aliorum hujusmodi: nisi forte sit facta tanta resolutio corporum laxatorum in aqua, quod liquor plus habeat de aliena substantia quam de aqua; quod ex spissitudine perspicitur. Si tamen ex liquore sic inspissato exprimatür aqua subtilis, potest in ea fieri baptismus, sicut & in aqua quæ exprimitur ex luto, licet in luto baptismus fieri non possit.

Ad tertium dicendum, quod aqua fluens de latere Christi pendens in cruce non fuit

humor phlegmaticus, ut quidam dixerunt; (1) in tali enim humore non posset fieri baptismus, sicut nec in sanguine animalis, aut in vino, aut quacumque liquore alicujus plantæ. Fuit autem aqua pura, miraculose egrediens a corpore mortuo, sicut & sanguis, ad comprobandam veritatem dominici corporis, contra Manichæorum errorem; ut scilicet per aquam, quæ est unum quatuor elementorum, ostenderetur corpus Christi vere fuisse compositum ex quatuor elementis; per sanguinem vero ostenderetur esse compositum ex quatuor humoribus.

Ad quartum dicendum, quod in lixivio, & in aquis sulphureorum balnearum potest fieri baptismus: quia tales aquæ non incorporantur per artem, vel naturam aliquibus corporibus mixtis, sed solum alterationem quamdam recipiunt ex hoc quod transeunt per aliqua corpora.

Ad quintum dicendum, quod aqua rosacea est liquor rosæ resolutus: unde in ea non potest fieri baptismus; & eadem ratione nec in aquis alchymicis, sicut nec in vino. Nec est eadem ratio de aquis pluvialibus, quæ generantur ex majori parte ex sublimatione vaporum resolutorum ex aquis; minimum autem est ibi de liquoribus corporum mixtorum; qui tamen per hujusmodi sublimationem virtute naturæ, quæ est fortior arte, resolvuntur in veram aquam; quod ars facere non potest: unde aqua pluvialis nullam proprietatem retinet alicujus corporis mixti; quod de aquis rosaceis, & aquis alchymicis dici non potest.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam à scriptis.

(1) Quos cap. In quadam Extra de celebratione Missarum ex professio Innocentius 3. reprehendit, cum per baptismi Sacramentum (inquit) non in phlegmate tegeheretur sed in aqua. Frivolum vero quod objicitur ex Stephano 2. ad Monachos Britannici Monasterij cap. 11. Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adscribitur culpa: Infantes sic permanent in baptismo: Primo, quia relationis hujus non satis authentica nec certa extant monumenta: Secundo, quia sic emendari constructio inepta debet, Nulla ei ascribitur culpa si sic infantes permanent: Unde subditur: Nam si presbiter adfuit aqua, ille Presbyter excommunicatur & pœnitentia submittatur, quia contra Canonum sententiam agere presumpsit.

Quasi non sit quæstio de valore baptismi; sed de culpa vel pœna baptizantis; Ut scilicet sit sensus quod non ideo in causa sit cur non posset baptizentur infantes cum periculum evaserint & legitime baptizari poterunt aqua, nec propterea tanquam reus puniti meretur. Unde subditur: Nam si adfuit aqua, ille Presbyter excommunicatur & pœnitentia submittatur, quia contra Canonum sententiam agere presumpsit: Non igitur baptismum talem quasi validum approbare Stephanus presumat (si ejus rescriptum est) quia de valore baptismi non agitur; sed excusare Presbyterum culpa, quia cum aliud non posset in prædicto extremo periculo, id per simplicitatem fecit, quod postea potuit periculo elapso emendari.

scripturis, & Conciliis; quod aqua simplex requiritur ad baptismum. A Conciliis quidem ut *art. 3. append.* A scripturis vero, ut *ibid.* Aqua enim Jordanis, quam pro baptismo tunc sanctificavit Christus, erat aqua pura, & simplex, idest habens veram speciem aquæ. Nam (ut patet, *ex argum. contr.*) per aquam puram, & simplicem, quam esse ad baptismum necessariam vult præfens articulus, intelligitur illa, quæ veram speciem aquæ habet, idest quæ est aqua vera, & naturalis (ut expriment Concilia ibi) & hoc, ut diximus, necessum est ex eo, quod Jordanis aqua erat talis, idest vera, & naturalis. Inde enim trahitur aquæ virtus. Nam (ut ait D. Chrysost.) *aqua baptismi nunquam purgare peccata credentium posset; nisi tactu Domini corporis sanctificata fuisset;* Hæc ille: & recitantur in Decr. distincti. 4. c. *numquam.* Secundo vides: quomodo &c.

ARTICULUS V. 368

Utrum hæc sit conveniens forma baptismi: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Inf. quest. lxxxiv. art. 3. cor. & IV. dist. 111. art. 6. quest. 1. & I. Cor. 1. lect. 2.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod hæc non sit conveniens forma baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Actus enim magis debet attribui principali agenti quam ministro. Sed in sacramento minister agit ut instrumentum, ut supra dictum est (*quest. lxxiv. art. 1.*) principale autem agens in baptismo est Christus, secundum illud Joan. 1. 33. *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem, hic est qui baptizat.* Inconvenienter ergo minister dicit, *Ego te baptizo:* præsertim quia in hoc quod dicitur, *baptizo,* intelligitur ego: & sic videtur superflue apponi.

2. Præterea. Non oportet quod ille qui aliquem actum exercet, de actu exercito faciat mentionem; sicut ille qui docet, non oportet quod dicat *Ego vos doceo.* Dominus *Summ. S. Tb. Tom. XII.*

autem simul tradidit præceptum baptizandi, & docendi, dicens Matth. ult. 19. *Euntes docete omnes gentes &c.* Ergo non oportet quod in forma baptismi fiat mentio de actu baptismi.

3. Præterea. Ille qui baptizatur, quandoque non intelligit verba; puta si sit surdus, aut puer. Frustra autem ad talem sermo dirigitur, secundum illud Eccli. xxxii. 6. *Ubi non est auditus, non effundas sermonem.* Ergo inconvenienter dicitur, *Ego te baptizo,* sermone directo ad eum qui baptizatur.

4. Præterea. Contingit simul plures baptizari, & a pluribus; sicut Apostoli baptizaverunt una die tria millia, & alia die quinque millia, ut dicitur Act. 11. & 4. Non ergo debet forma baptismi determinari in singulari numero, ut dicatur, *Ego te baptizo,* sed potest dici, *Nos vos baptizamus.*

5. Præterea. Baptismus virtutem habet a passione Christi. Sed per formam baptismus sanctificatur. Ergo videtur quod in forma baptismi debeat fieri mentio de passione Christi.

6. Præterea. Nomen designat proprietatem rei. (1) Sed tres sunt proprietates personales divinarum personarum, ut in prima parte dictum est (*quest. xxxii. art. 3.*) Non ergo debet dici, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti,* sed, *In nominibus.*

7. Præterea. Persona Patris non solum significatur nomine Patris, sed etiam nomine innascibilis, & genitoris; Filius etiam significatur nomine verbi, & imaginis, & geniti; Spiritus etiam sanctus potest significari nomine doni, & amoris procedentis. Ergo videtur quod etiam his nominibus utendo perficiatur baptismus.

Sed contra est quod Dominus dicit Matth. ult. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Respondedo dicendum, quod baptismus per suam formam consecratur, secundum illud Ephes. v. 26. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vite:* & Augustinus dicit in Lib. de unico baptismo (2) quod *baptismus verbis evangelicis consecratur.* Et ideo oportet quod in forma baptismi exprimat causa baptismi.

B Est

(1) Idest propriam rei notionem, conditionem, entitatem, non per proprietatem intelligendo illud solum quod consequitur ex essentia; quamvis & sæpe a talibus proprietatibus imponantur nomina velut a rebus magis notis: Inde quasi, *notamen* dictum vult Isidorus libro 1. etymologiarum vel Originum cap.

6. quod nobis vocabulo suo res nosas efficiat, & æque potest ab ipsomet *noscendi* verbo derivari, sicut & suo loco notatum est cum de nominibus divinis 1. par. q. 13. tractaretur.

(2) Sic refertur etiam in decretis dist. 4. de consecrat. cap. *Satis ostendimus,* etiam ex lib. 4. de bapt.

Est autem ejus duplex causa: una quidem principalis, a qua virtutem habet, quæ est sancta Trinitas; alia autem instrumentalis, scilicet minister, qui tradit exterius sacramentum. Et ideo oportet in forma baptismi de utraque fieri mentionem. Minister autem tangitur, cum dicitur, *Ego te baptizo*; causa autem principalis, cum dicitur, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Unde hæc est conveniens forma baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*.

Ad primum ergo dicendum, quod actio attribuitur instrumento, sicut immediate agenti; attribuitur autem hujusmodi actio principali agenti, sicut in cujus virtute instrumentum agit. Et ideo in forma baptismi convenienter significatur minister ut exercens actum baptismi, per hoc quod dicitur, *Ego te baptizo*; sicut & ipse Dominus baptizandi actum attribuit ministris, dicens (Matth. ult. 19.) *Baptizantes eos &c.* Causa autem principalis significatur, ut in cujus virtute sacramentum agit, per hoc quod dicitur, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: non enim Christus baptizat sine Patre, & Spiritu sancto. Græci autem non attribuunt actum baptismi ministris, ad evitandum antiquorum errorem, qui virtutem baptismi baptizantibus attribuebant, dicentes (I. Cor. 1. 12.) *I. Cor. 1. 12.) Ego sum Pauli, & ego Cephæ*: & ideo dicunt: *Baptizetur (2) servus Christi*, talis, *in nomine Patris &c.* Et quia exprimitur actus exercitus per ministrum cum invocatione Trinitatis, verum perficitur sacramentum. Quod autem additur, *Ego* in forma nostra, non est de substantia formæ, sed ponitur ad majorem expressionem intentionis.

Ad secundum dicendum, quod quia ablu-

tio hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet quod determinetur in verbis formæ, ad quid fiat: quod quidem non fit per hoc quod dicitur: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: quia omnia in tali nomine facere debentur, ut habetur Coloss. 111. Et ideo si non exprimaturs actus baptismi vel per modum nostrum, vel per modum Græcorum, non perficitur sacramentum, secundum illam Decretalem Alexandri III. (quæ hab. cap. *Si quis* de baptif. & ejus effect.) *Si quis puerum ter in aqua immerfit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen, & non dixerit (3) Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: amen; non est puer baptizatus.*

Ad tertium dicendum, quod verba quæ proferuntur in formis sacramentorum, non pronuntiantur solum causa significandi, sed etiam causa efficiendi, in quantum habent efficaciam ab illo Verbo per quod facta sunt omnia; & ideo convenienter diriguntur non solum ad homines non intelligentes, sed etiam ad creaturas insensibiles; ut cum dicitur: *Exorcizo te creatura salis.*

Ad quartum dicendum, quod plures simul non possunt unum baptizare: quia actus multiplicatur secundum multiplicationem agentium, si perfecte ab unoquoque agatur. Et sic si convenirent duo, quorum unus esset mutus, qui non posset proferre verba, & alius carens manibus, qui non posset exercere actum, non possent ambo simul baptizare, uno dicente verba, & alio exercente actum. Possunt autem, si necessitas exigit, plures simul baptizari, quia nullus eorum reciperet nisi unum baptismum; sed tunc oportebit dicere, *Ego baptizo vos*: nec erit mutatio formæ: quia nihil aliud est, quam *vos te*, &

tismo contra Donatistas cap. 15. prænotatur: Sed ejusmodi libri non sic inscribi solent *de unico baptismo* sicut alius liber contra Petilianum singulariter inscriptus est; quantumlibet in illis quoque de unitate indivisa baptismi adruenda sermo fit. Similia etiam lib. 6. cap. 25. ubi dicitur *verbis evangelicis consecratus & sine illis consecrari non posse.*

(1) Nicolajus legit: *Baptizetur*. Indicativo modo & eadem significatione qua nos quoad expressionem actus, licet passive illi, nos active: Non autem optativo sive imperativo, *Baptizetur*, sicut Latini græce nescientes ex æquivoca pronuntiatione putaverunt, quia scilicet *βαπτίζωμαι* quod Græci dicunt sonat ut *baptizetur* sed significat *baptizatur*; ut quæst. 60. rt. 8. notavimus. Per vetustum quoque MS., in

Bibliotheca Regalis Cænobii S. Dom. Neap. à servatum, habet *Baptizatur*. Cæteri vero Cod. quotquot videre licuit, sive editi, sive MSS. *Baptizetur*. Propterea Lectionem hanc in textu retinimus.

(2) Æquivalenter vel expresse: Græci enim non dicunt quidem sic expresse quoad syllabas, quia se baptizare non exprimunt; sed sic æquivalenter quoad sensum, quia exprimunt actum ipsum quo sacramentum administrant, licet non quasi a se procedentem; quod non pertinet per se ad essentiam. Alioqui Græcorum formam ut legitimam & validam agnovit semper Ecclesia, & ea forma baptizatos probavit; ut expresse declarat Eugenius 4. in Decreto de Sacramentis post Concilium Florentinum.

re: quod autem dicitur nos, non est idem dicere, quod ego, & ego, sed ego; & tu; & sic jam mutaretur forma. Similiter autem mutaretur, si diceretur, *Ego baptizo me*. Et ideo nullus potest baptizare seipsum. Propter quod & Christus a Joanne voluit baptizari, ut dicitur extra *de baptismo, & ejus effectu* (cap. *Debitum*. (1))

Ad quintum dicendum, quod passio Christi etsi sit principalis causa respectu ministri, est tamen causa instrumentalis respectu S. Trinitatis: & ideo potius commemoratur Trinitas quam passio Christi.

Ad sextum dicendum, quod etsi sint tria nomina personalia trium personarum, est tamen nomen unum essenziale. Virtus autem divina, quæ operatur in baptismo, ad essentialiam pertinet; & ideo dicitur *in nomine*, & non *in nominibus*.

Ad septimum dicendum, quod sicut aqua sumitur ad baptismum, quia ejus usus est communior ad abluendam; ita ad significandum tres personas in forma baptismi assumuntur illa nomina quibus communius consueverunt nominari personæ in illa lingua; nec in aliis nominibus perficitur sacramentum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses *Pauli Samosatani, seu Paulianistarum* docentium: baptizandos esse homines non in nomine Trinitatis. Et *Deventii Arriani* dicentis: baptizandum esse in nomine Patris, per Filium, in Spiritu sancto. Et *Marci, seu Marcitarum* dicentium: baptizari debere in nomine ignoti Patris omnium, & veritate omnium matre; & in eo, qui descendit in Jesu. Et *Cataphrygarum* dicentium: non esse utendum in baptismo hac forma; seu non esse baptizandum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari a Conc. *Niceno primo*, canon. 19. „ Si quis confugerit ad Ecclesiam Catholicam „ de Paulianistis, & Cataphrygis, statutum „ est, rebaptizari eos omnino debere. „ Hæc ibi. Et ratio est, quia, ut dicitur a Papa *Innocentio*, recitatur 1. qu. 1. c. *Paulianista* in nomine Patris, & Filii, & Spiritus san-

cti minime baptizant. Quod etiam de *Cataphrygis* intellige. Item a Gregor. „ Hi Hæretici, qui in Trinitatis nomine non baptizantur (sicut sunt Bonosiani, & Cataphrygæ) cum ad Ecclesiam sanctam veniunt, baptizantur: quia baptisma non fuit, quod sanctæ Trinitatis nomine minime per ceperunt. „ Hæc ille, & recitantur de consuetudine *dist. 4. cap. bi vero*. Ubi nomine Trinitatis intelligit expressionem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Item a Conc. *Florent.*, quod postquam dixit, quod, *si forma deest, non perficitur sacramentum*, interpositis quibusdam, subjungit. *Forma baptismi est; Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Hæc illud in Decreto, seu constituto Armen. Ex quo ejus dicto etiam patet, quod, quando post nonnulla subiungit *ly si exprimitur actus, qui per ministrum exercetur cum sancta Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum*: patet, inquam, probante clarissimo contextu: quod per *ly Trinitatis* intelligit Trinitatem explicatam distinctis verbis, sc. Patris, & Filii, & Spiritus sancti; non autem intelligit hoc nomen, Trinitatis. Hoc est. Non vult dicere, quod hac forma: *ego te baptizo, vel baptizetur servus Christi in nomine Trinitatis*, perficitur sacramentum: sed quod in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Item a Conc. *Tridentino* sess. 7. de baptismo c. 3. „ Si quis dixerit: in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est, & magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinam: anathema sit. *Hæc ibi. Item a Papa Lucio III.* Universos, qui de sacramento corporis, & sanguinis Christi, vel de baptismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis sacramentis, aliter sentire, aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, & observat, vinculo perpetui vinculi inæodamus. „ Hæc ille extra de hæretic. cap. *Ad abolendam*. Quid vero Rom. Eccles. prædicet, seu doceat circa formam baptismi, audisti ex Concil. *Florent.* Item per hoc, quod quodam Episcopo *Arriano*, dum baptizaret, dicente: *Baptizet te Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto*, aqua evanuit, Quo miraculo permotus,

B 2

tus,

(1) Quod est Innocentij 3. Episcopo Metensi referentis propter Judæum quendam quem significaverat in mortis articulo constitutum, cum inter Judæos tantum existeret; in aquam seipsum immerisse

dicendo, *Ego baptizo me in nomine Patris, &c.* Ad id nihilominus eum potuisse salvari propter sacramentum si fidem, sed non propter fidei sacramentum.

rus, qui baptismum expectabat, confestim ad Catholicam fidem transiit, ut refertur in lib. 9. *Supplemen. chronic. & lib. 12. hist. tripart.* Nam Deus miraculo illo & insinuat præsentis artic. intentum, & damnat contrarium. *Tertio* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S VI. 369

Utrum in nomine Christi possit dari Baptismus.

IV. dist. 1V. att. 3. quæst. 2. ad 3. & I. Cor. 1. lect. 2.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod in nomine Christi possit dari baptismus. Sicut enim una est fides, ita est unum baptismus, ut dicitur Ephes. 1V. Sed Act. VIII. 12. dicitur, quod in nomine Christi baptizabantur viri, & mulieres. Ergo etiam nunc potest dari baptismus in nomine Christi.

2. Præterea. Ambrosius dicit (Lib. I. de Spiritu S. cap. 111. ante med. (1) *Si Christum dicas, & Patrem, a quo unctus est, & ipsum qui unctus est, Filium, & Spiritum sanctum, quo unctus est, designasti.* Sed in nomine Trinitatis potest fieri baptismus. Ergo & in nomine Christi.

3. Præterea. Nicolaus I. Papa ad consulta Bulgarorum respondens dicit (2) *Qui in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legitur, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut sanctus ait Ambrosius) rebaptizari non debent.* Rebaptizarentur autem, si in hac forma baptizati sacramentum baptismi non reciperent. Ergo potest conferri baptismus in nomine Christi sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Christi.*

Sed contra est quod Pelagius Papa scribit Gaudentino Episcopo (ut hab. cap. *Si reve-*

ra, de consecrat. dist. 1V.) Si bi qui in locis dilectioni sue vicinis commorari dicuntur, se solummodo in nomine Domini baptizatos fuisse consenserunt, sine cuiuscumque dubitationis ambiguo, eos ad fidem catholicam venientes in sanctæ Trinitatis nomine baptizabis. Didymus etiam dicit in Lib. II. de Spiritu sancto (parum a princ. inter op. Hieron.) *Licet quis possit existere saxeus, ut isa dicam, cordis, & penitus mentis alienus, qui ita baptizare conatur, ut unum de prædictis nominibus (scilicet trium personarum) prætermittas; tamen sine perfectione baptizabis.*

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. 2. hu. quæst.) sacramenta habent efficaciam ab institutione Christi. Et ideo si prætermittatur aliquid eorum quæ Christus instituit circa aliquod sacramentum, efficacia caret; nisi ex speciali dispensatione eius qui virtutem suam sacramentis non alligavit. Christus autem instituit, sacramentum baptismi dari cum invocatione Trinitatis. Et ideo quicquid desit ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem baptismi. Nec obstat quod in nomine unius personæ intelligitur alia (sicut in nomine Patris intelligitur Filius) aut quod ille qui nominat unam solam personam, potest habere rectam fidem de tribus: quia sicut ad sacramentum requiritur materia sensibilis, ita & forma sensibilis: unde non sufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimat. Unde in baptismo Christi, ubi fuit origo sanctificationis nostri baptismi, affuit Trinitas in sensibilibus signis, scilicet Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus sanctus in columba.

Ad primum ergo dicendum, quod ex speciali Christi revelatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi, quod erat odiosum Judæis, & Gen-

(1) Alludendo ad significationem græcam nominis Christi quod ab unctione sumptum est, vel est idem *æ unctus.*

(2) Responsione 101. ex qua refertur in Decretis distinct. 4. de consecrat. cap. *a quodam* ubi plenius quam hic: *A quodam Judeo, nescitisurum christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de iis sit agendum consulitis: Hi profecto, si in nomine sanctæ Trinitatis, vel &c. sicut in textu referuntur. Appendix autem sequens ex Pelagio Papa ibidem in Decretis distinct. 4. de consecrat. cap. *Si revera* refertur ut hic: Et appendix*

Didymi est ex libro 3. de Spiritu sancto inter opera Hieronymi a quo latine redditus est tom. 6. ut & Bibliothecæ Patrum tomo 9. ex Hieronymi versione; sicut etiam qu. 60. art. 8. retulimus; ubi *prædictis* tamen minus bene habetur pro *præceptis* idest pro nominibus quæ in baptismo conferendo pronuntiantur Christi præcepit, &c. Nec obstat quod Bernardus puerum in nomine Dei & sanctæ crucis baptismum pro vere baptizato agnoscit epist. 140. Nam si eius est epist. (quod quidam negant, sed Horstius admittit) huic eius opinioni prævalet sententia communis Patrum cui nec se præponi vellet ipse.

& Gentilibus, honorabile redderetur per hoc quod ad ejus invocationem Spiritus sanctus dabatur in baptismo. (1)

Ad secundum dicendum, quod Ambrosius assignat rationem, quare convenienter talis dispensatio fieri potuit in psimitiva Ecclesia, quia scilicet in nomine Christi tota Trinitas intelligitur. Et ideo servabatur ad minus integritate intelligibili forma quam Christus tradidit in Evangelio.

Ad tertium dicendum, quod Nicolaus Papa dictum suum confirmat ex duobus præmissis. Et ideo ejus responsio patet ex primis duabus solutionibus.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam a scripturis, Apostolis, & Papa quod in nomine Christi baptismus nunc fieri non potest. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Matth. 28. „ baptizantes eos in nomine Patris,

„ & Filii, & Spiritus sancti. Unde Zacharias *Papa dicit*: In synodo Anglorum diligenter demonstratum esse dignoscitur, quod quicumque sine invocatione Trinitatis merus fuisset, sacramentum regenerationis non haberet; quod omnino verum est, quia, si merus in fonte baptismatis quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti fuerit baptizatus. „ Hæc ille, quæ faciunt pro expositione formæ præscriptæ *Matth. 28.* & recitantur de consecr. dist. 4. Ab Apostolis autem idem insinuatur per hoc, quod in canon. Apostolorum, qui pro talibus a *sesta synodo* distinct. 6. cap. placuit huic, recipiuntur, dicitur can. 49. „ Si quis Episcopus, aut presbyter semel mergat in baptismate, quod dari videretur in Domini morte, damnetur. Non enim dixit nobis Dominus: In morte mea baptizate; sed: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. „ Hæc ibi. Ex quibus

(1) Apprime quidem ex hypothese facti quod pro sui temporis usu sic supposuit S. Thomas, nec discutere prolixius voluit. Quidni autem negari factum possit? Primo, quia quod in nomine Jesu quidam dicantur esse baptizati, satis est ut in *fide vel in professione nominis Jesu* explicetur. Secundo, quia cum discipuli quidam apud Ephesum commorantes interroganti Paulo an Spiritum sanctum accepissent, credentes, respondissent se neque si Spiritus sanctus est, audivisse, subinfert, *In quo ergo baptizati estis?* ut Act. 10. statim ab initio videre est; cumque dixissent quod in *Joannis baptismate*, mox in nomine Jesu baptizati sunt, ut ibidem additur: Quasi sic in nomine Jesu baptismus dari supponatur, ut simul tamen Spiritus sancti expressionem non excludat, nec per consequens Patris: Tertio, quia & Cyprianus epist. 73. post medium referens quod Act. 2. dixit Petrus, *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi* vers. 38. sic explicat: *Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patris quoque Filii adungeretur*: Et Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 17. *Qui Patre* (inquit) *& Spiritu sancto non nominatis iussi sunt baptizari, intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Ex quo & argumentum ducit, ut cum alibi non exprimitur, subintelligi tamen debeat: Quarto, quia nec Ambrosii mens est ut in Baptismi forma solius Christi nomen exprimi possit aut expressum unquam sit; alioqui cum de Spiritu sancto idem dicat, baptismum quoque in solius Spiritus sancti nomine datum approbaret (quod nullus cogitavit) Sed mens ejus est quod in ipsa narratione sacri textus cum exprimitur, nomen Christi vel nomen Jesu, non excludatur quia baptismus in aliam sum quoque personarum nomine sit collatus; vel quod

ex parte baptizati sola nominis Christi fides vel professio sufficiat, quia professionem aliorum & fidem implicite continet: ut sicut ad singulas immersiones interrogatus respondebat primo *Credis in Patrem?* Credo; deinde *Credis in Filium* Credo? tunc postea *Credis in Spiritum-sanctum*. Credo? ex Ambrosio ipso lib. 2. de Sacramentis cap. 7. sic sufficere videatur si simpliciter interrogatus, *Credis in Christum?* respondeat etiam *Credo*: Quinto, quia cum Nicolaus primus ad Ambrosii sensum & ad Apostolorum tempora se remittat, explicandus est, sicut prius; nec potest ad aliquam dispensationem respexisse, quam nec leviter insinuat, nec præsumere posset adhuc suo tempore permanere: Sexto, quia dispensationis hujusmodi nullum omnino vestigium vel in Apostolica historia vel in Scriptura extat, cum lex nihilominus aliunde manifesta sit quæ baptizari jubet in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti (Matth. 28.) Septimo, quia præsumptivus dispensationis illius usus quod baptizasse in nomine Jesu dicuntur Apostoli nihil commune habet cum significatione nominis Christi ab Ambrosio indicata, *ungensis, uncti, & quo ungitur*; cum hæc non significet nomen Jesu: Octavo, quia nec dispensationis ejusdem causa præsumptiva ut *nomen Christi honorabile adderetur*, satis etiam cum instituto Ambrosii convenit; cum utique non ipsum nomen Christi sed nomen Jesu odiosum Judæis esset, qui Jesum non putabant reipsa Christum esse (idest Messiam) Præterquam quod honorabile satis aliunde per miracula in eo facta reddebatur; ut & poterat reddi exprimendo sic illud in baptismo, *In nomine Patris & Filii ejus, Jesu Christi, & Spiritus-sancti* sicut expressum esse quidam scribunt; nampe Abdias Babylonicas &c.

bus pro quanto de baptismi forma loquuntur, patet, quod in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti &c. A Papa *Petagio* item insinuatum est idipsum aperte: ut ponitur ad literam in *argum. contr.* Cæterum, quia de inspirationibus, seu revelationibus novis ex dispensatione contra prædicta posset quibusdam quandoque instantia afferri: ideo ultra illa, quæ diximus in ad *secundum*, pro regula universali annotanda sunt ea, quæ Papa *Leo X.*, sacro approbante Conc., a simili sanxit. Nam sessio 11. illius Conc. *Lateranensis*; postquam prædicatoribus quibuscunque inhibuerat ibi asserere tempus præfixum futurorum malorum, scil., Antichristi, aut iudicii, &c. subjungit. „ Cæterum, si quibusdam eorum Dominus futura quædam in Dei Ecclesia inspiratione quæpiam revelarit. &c. „ Quoniam res magni momenti est, eo quod non de facili credendum sit omni spiritui, sed sit probandum, an spiritus ex Deo proveniat: volumus, ut lege ordinaria tales assertæ inspirationes, antequam publicentur, aut populo prædicentur, ex nunc Apostolicæ Sedis examini reservatæ intelligantur, & post multa inquit: Si qui autem contra præmissorum aliquod committere quicquam ausi fuerint, excommunicationis sententiam incurrant: a qua non nisi a Romano Pontifice absolvantur. Et, ut horum exemplo alii attentare similia minime audeant, eis prædicationis officium interdictum esse perpetuo decernimus: non obstantibus quibuscunque privilegiis, &c. „ Hæc ibi. Ex quibus, pro quanto similia quædam sunt, patet facile prudentibus, quid sit dicendum in art. huius proposito. *Secundo* vides: quomodo &c.

ARTICULUS VII. 370

Utrum immersio in aqua sit de necessitate Baptismi.

IV. dist. III. art. 4. quest. 1.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod immersio in aqua sit de necessitate baptismi. Ut enim dicitur Ephes. 1v. 5. *una fides, unum baptisma.* Sed apud multos communis modus baptizandi est per immersionem. Ergo videtur quod non possit esse baptismus sine immersione.

2. Præterea. Apostolus dicit Rom. vi. 3. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti v-*

nim sumus cum illo per baptismum in morte. Sed hoc fit per immersionem, dicit enim Chryostomus super illud Joan. 111. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto &c.* (hom. xxiv. in Joan. 2. med.) „ Sicut in quodam sepulcro, in aqua submergentibus, nobis capita, verus homo sepelitur, & submersus deorsum occultatur; deinde novus rursus ascendit. „ Ergo videtur quod immersio sit de necessitate baptismi.

3. Præterea. Si sine immersione totius corporis posset fieri baptismus, sequeretur quod pari ratione sufficeret quamlibet partem aqua perfundi. Sed hoc videtur inconveniens: quia originale peccatum, contra quod præcipue datur baptismus, non est in una tantum corporis parte. Ergo videtur quod requiratur immersio ad baptismum, & non sufficiat sola aspersio.

Sed contra est quod Hebr. x. 22. dicitur: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda.*

Respondeo dicendum, quod aqua assumitur in sacramento baptismi ad usum ablutionis corporalis, per quam significatur interior ablutio peccatorum. Ablutio autem fieri potest per aquam, non solum per modum immersionis, sed etiam per modum asperisionis, vel effusionis. Et ideo quamvis tutius sit baptizare per modum immersionis (quia hoc habet communior usus) potest tamen fieri baptismus per modum asperisionis, vel etiam per modum effusionis, secundum illud Ezech. xxxviii. 25. *Effundam super vos aquam mundam: sicut beatus Laurentius legitur baptizasse: & hoc præcipue propter necessitatem, vel quia est magna multitudo baptizandorum ut patet Act. 11. & 1v. ubi dicitur, quod crediderunt una die tria millia, & alia die quinque millia. Quandoque autem potest imminere necessitas propter paucitatem aquæ, vel propter debilitatem ministri, qui non potest sustentare baptizandum, vel propter debilitatem baptizandi, cui potest imminere periculum mortis ex immersione. Et ideo dicendum est, quod immersio non est de necessitate baptismi.*

Ad secundum dicendum, quod in immersione expressius representatur figura sepulturæ Christi: & ideo hic modus baptizandi est communior, & laudabilior. Sed in aliis modis baptizandi representatur aliquo modo, licet non ita expresse: nam quocumque modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars eius aquæ supponitur, sicut corpus Christi

ful-

sub terra fuit positum.

Ad tertium dicendum, quod principalis pars corporis, precipue quantum ad exteriora membra, est caput, in quo vigent omnes sensus & interiores, & exteriores. Et ideo si totum corpus aqua non possit perfundi propter aquæ paucitatem, vel propter aliquam aliam causam, oportet caput perfundere, in quo manifestatur principium animalis vitæ. Et licet per membra quæ generationi deserviunt, peccatum originale traducatur; non tamen sunt membra illa potius aspergenda quam caput: quia per baptismum non tollitur transmissio originalis in prolem per actum generationis, sed liberatur anima a macula, & reatu peccati, quod incurrit. Et ideo debet precipue lavari illa pars corporis in qua manifestantur opera animæ. In veteri autem lege remedium contra originale peccatum institutum erat in membro generationis: quia adhuc ille per quem originale erat amovendum, nasciturus erat ex semine Abraham, cujus fidem circumcisio significabat, ut dicitur Rom. iv.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, & a Cypriano: quod immersio in aqua non est de necessitate baptismi. A scripturis quidem, ut *Hebr.* 10. secundum quod ponitur in *argum. contr.* Per hoc enim; quod nomine ablutionis corporalis universaliter utitur Apostolus loquens de baptismo, monstrat intentum: cum ablutio possit pluribus modis fieri, scilicet, non tantum per immersionem, sed etiam per asperisionem, & effusionem. A B. Cypriano autem in lib. 4. epist. 7. & recitatur de consecr. dist. 4. „Nec quemquam „debet movere; quod aspergi, vel perfundi „jubentur ægri: cum gratiam Dominicam „consequuntur. „Hæc ibi. Et rationem, quod quis de hoc baptizandi modo, scilicet per asperisionem, vel per fusionem, moveri, idest, nimis admirari non debeat, red dicit ibi multiplicem de scripturis antiquis: quod longum esset recensere. Vide igitur tu vel in *li. suarum epistolarum*, vel in *Dec. de consec. loc. cit.* Unde etiam colliges ad litteram, quod licitum est argumentando ab antiqui testamenti figuris concludere aliquid tanquam figuratum in novo testamento sic, vel sic fiendum. Id, quod & alias annotatum fuit ex Conc. *Hispalensi* 2. de majoritate Episcoporum ad simplices sacerdotes, recitatumque ex eodem, in Veritatibus au-

reis super legem veterem, *Num. 8. concl. 2.* Igitur, secundum D. Cyprianum, immersio non est de necessitate sacramenti hujus: alioquin non jussisset, quod ægri, idest, non potentes immergi, aspergendo baptizarentur. Quoniam id, quod est de necessitate sacramenti, non potest omitti supplendo per aliud, ita, quod recipiatur sacramentum (puta deficiente aqua, non potest baptismus fieri in vino, oleo, &c.) & tamen ille baptismus per asperisionem, vel perfusionem datus valet: secundum ipsum Cyprian. ægros illos cupientes salvos fieri. *Secundo* vides: quomodo &c.

ARTICULUS VIII. 371

Utrum trina immersio sit de necessitate Baptismi.

IV. dist. III. art. 4. quest. 2. & 3. & dist. XXIII. quest. 1. art. 1.

AD octavum sic proceditur. Videtur quod trina immersio sit de necessitate baptismi. Dicit enim Augustinus in quodam sermone de Symbolo ad baptizatos (hom. 11. ad neophytos, ut refertur in Decr. dist. 1v. de consec. cap. *Postquam*:) *Recte tertio mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine sanctæ Trinitatis: recte tertio mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine Jesu Christi, qui etiam tertia die resurrexit a mortuis: illa enim tertio repetita immersio typum dominicæ exprimit sepulture, per quam Christo consepulti estis in baptismo.* Sed utrumque videtur ad necessitatem baptismi pertinere, scilicet & quod significetur in baptismo Trinitas personarum, & quod fiat configuratio ad sepulturam Christi. Ergo videtur quod trina immersio sit de necessitate baptismi.

2. Præterea. Sacramenta ex mandato Christi efficaciam habent. Sed trina immersio est ex mandato Christi: scribit enim Pelagius Papa Gaudentio Episcopo (& hab. cap. *Multi sunt*, de consecr. dist. 1v.) *Evangelicum præceptum, ipso Domino Deo, & Salvatore nostro Jesu Christo tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis trina immersione sanctum baptismum unicuique tribuere.* Ergo sicut baptizate in nomine Trinitatis est de necessitate baptismi; ita etiam baptizare trina immersione videtur esse de necessitate baptismi.

3. Præterea. Si trina immersio non sit de necessitate baptismi, ergo ad primam immersionem aliquis baptismi consequitur sacramentum.

tum. Si ergo addatur secunda, vel tertia, videtur quod secundo, vel tertio baptizetur: quod est inconveniens. Non ergo una immersio sufficit ad sacramentum baptismi; sed trina immersio videtur esse de necessitate ipsius.

Sed contra est quod Gregorius dicit scribens Leandro Episcopo (In Regist. Lib. I. epist. xli. a med.) *Reprehensibile esse nullatenus posse infantem in baptisate vel ter, vel semel immergere: quoniam & in tribus immersionibus personarum Trinitas, & in una posse Divinitatis singularitas designari.*

Respondeo dicendum, quod, sicut prius dictum est (art. præc. ad 1.) ad baptismum per se requiritur ablutio aquæ, quæ est de necessitate sacramenti, modus autem abluionis per accidens se habet ad sacramentum. Et ideo, sicut ex prædicta auctoritate Gregorii patet, quantum est de se, utrumque licite fieri potest, scilicet & semel, & ter immergere: quia unica immersione significatur unitas mortis Christi, & unitas Deitatis; per trinam autem immersionem significatur triduum sepulturæ Christi, & etiam Trinitas personarum.

Sed diversis ex causis secundum ordinationem Ecclesiæ quandoque institutus est unus modus, quandoque alius. Quia enim a principio nascentis Ecclesiæ quidam de Trinitate male sentiebant, Christum purum hominem esse æstimantes, nec dici Filium Dei, & Deum nisi propter meritum ejus, quod præcipue fuit in morte; ideo non baptizabant in nomine Trinitatis, sed in commemoratione mortis Christi, & una immersione: quod reprobatur fuit in primitiva Ecclesia. Unde in canonibus apostolicis (can. xlix. & hab. cap. lxxix. de consecrat. dist. iv.) *Si quis presbyter, aut Episcopus non trinam immersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in baptisate, quod dari a quibusdam dicitur in morte Domini; deponatur: non enim nobis dixit Dominus, In morte mea baptizate, sed, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* (1) Postmodum vero inolevit quorum-

dam schismaticorum, & hæreticorum error homines rebaptizantium; sicut de Donatistis Augustinus narrat super Joan. (tract. xi. a med.) & Lib. de hæresib. (hæresi lxxix.) Et ideo in detestationem erroris eorum fuit statutum in Conc. Toletano IV. (can. vi. & hab. cap. lxxxv. de consecrat. dist. iv.) quod fieret una sola immersio: ubi sic legitur: *Propter vitandum schismatis scandalum; vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi immersionem.* Sed, cessante tali causa, communiter observatur in baptismo trina immersio. Et ideo graviter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiæ non observans; nihilominus tamen esset baptismus.

Ad primum ergo dicendum, quod Trinitas est sicut agens principale in baptismo. Similitudo autem agentis pervenit ad effectum secundum formam, & non secundum materiam. Et ideo significatio Trinitatis fit in baptismo per verba formæ: nec est de necessitate, quod significetur Trinitas per usum materiæ; sed hoc fit ad majorem expressionem. Similiter etiam mors Christi figuratur sufficienter in unica immersione. Triduum autem sepulturæ non est de necessitate salutis nostræ: quia etiam si uno die fuisset sepultus, vel mortuus, sufficisset ad perficiendam nostram redemptionem. Sed triduum illud ordinatur ad manifestandum veritatem mortis, ut supra dictum est (quæst. li. art. 4. & quæst. llii. art. 2.) Et ideo patet quod trina immersio nec ex parte Trinitatis, nec ex parte passionis Christi est de necessitate sacramenti.

Ad secundum dicendum, quod Pelagius Papa intelligit, trinam immersionem esse de mandato Christi in suo simili, in hoc scilicet quod Christus præcepit baptizari *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* (2) Non tamen est similis ratio de forma, & de usu materiæ, ut dictum est (in sol. præc.)

Ad tertium dicendum, quod, sic ut supra dictum est (lxiv. art. 8.) intentio requiritur ab baptismum. Et ideo ex intentione ministri Ecclesiæ, qui intendit unum baptismum dare trina immersione, efficitur unum baptis-

(1) Ut & refertur in Decretis distinct. 4. de consecrat. cap. Propter: Prædicta vero ex Canonibus. Apostolorum in eadem distinct. cap. Si quis referuntur; nisi quod pro his verbis, *dari a quibusdam dicitur*; sic in textu Decreti, *dari a quibusdam jubetur*: Apud Ivoem vero part. 1. cap. 118. *quod dari jubetur in Domini mortem*: Apud Butchardum lib. 4. cap. 23. & in veteri prædictorum canonum versione, *quod dari videtur in morte Domini*: Sed in ori-

ginali textu Græco τὸ εἰς τὸν θάνατον τῆς κυρίου δίδου-
μενον: idest quod in mortem Domini (vel in morte-
Domini) datur juxta proprietatem græcæ phrasæ
quæ utrobique modo construi potest.

(2) Quamvis nec in rigore verba significant præcipi
trinam immersionem, sed admoneri tantum ut con-
formem præcepto baptizandi quo exprimuntur tres
personæ.

baptisma. Unde Hieronymus dicit super epistolam ad Ephes. (sup. illud cap. iv. *Uas Dominus &c.*) *Licet ter baptizetur, idest immergatur, propter mysterium Trinitatis, tamen unum baptisma reputatur.* Si vero intenderet ad unamquamque immersionem unum baptisma dare, ad singulas immersiones repetens verba formæ, peccaret, quantum in se est, pluries baptizans.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem offendas, merito insinuatum esse a scripturis, & Papa: quod trina immersio non est de necessitate baptismi. A Papa Gregorio quidem: ut ponitur in *arg. contr.* Quod Gregorii decretum vide latius in de consecr. *dis. 4. c. de vrina mersione.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Act. 2. 3. una die Apostolos baptizasse tria millia hominum, alia autem die quinque millia. Non videtur enim probabile, quod unusquisque Apostolorum baptizaret unumquemque tot millium per trinam vel mersionem, vel asperisionem, vel effusionem: sed magis inde probabile videtur, quod de sacro semel tantum vel mergerent, vel aspergerent, vel perfunderent unumquemque illorum. *Secundo* vides: quomodo &c.

ARTICULUS IX. 372

Unum Baptismus possit iterari.

IV. dist. vi. quest. ii. art. i. quest. i. & IV. cons. cap. lix. fin. & cap. lxx. & lxxi. & Joan. iii. & Ephes. iv. lect. 2.

AD nonum sic proceditur. Videtur quod baptismus possit iterari. Baptismus enim videtur institutus ad ablutionem peccatorum. Sed peccata iterantur. Ergo multo magis baptismus debet iterari: quia misericordia Christi transcendit hominis culpam.

2. Præterea. Joannes Baptista præcipue fuit a Christo commendatus, cum de eo dictum sit Matth. xi. ii. *Inter vatos mulierum non Summ. S. Th. Tom. XII.*

surteus major Joanne Baptista. Sed baptizati a Joanne iterum baptizabantur, ut habetur Act. xix. (1) ubi dicitur, quod Paulus baptizabat eos qui erant baptizati baptismo Joannis. Ergo multo fortius illi qui sunt baptizati ab hæreticis, vel peccatoribus, sunt rebaptizandi.

3. Præterea. In Nicæno Conc. (can. xix.) statutum est, *si quis confugerit ad Ecclesiam catholicam de Paulianistis, & Cataphrygis, rebaptizari eos omnino debere.* Videtur autem esse eadem ratio de aliis hæreticis. Ergo baptizati ab hæreticis debent rebaptizari.

4. Præterea. Baptismus est necessarius ad salutem. Sed de quibusdam baptizatis aliquando dubitatur, an sint baptizati. Ergo videtur quod debeant iterum baptizari.

5. Præterea. Eucharistia est perfectius sacramentum quam baptismus, ut supra dictum est (quest. præc. art. 3.) Sed sacramentum Eucharistie iteratur. Ergo videtur quod multo magis baptismus possit iterari.

Sed contra est quod dicitur Ephes. iv. 5. *Una fides, unum baptisma.*

Respondeo dicendum, quod baptismus iterari non potest.

Primo quidem quia baptismus est quædam spiritualis regeneratio, prout scilicet aliquis moritur veteri vitæ, & incipit novam vitam agere: unde dicitur Joan. iii. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Unius autem non est nisi una generatio. Et ideo non potest baptismus iterari, sicut nec carnalis generatio. Unde Augustinus super illud Joan.

4. *Numquid potest homo in ventrem matris sue iterato introire, & renasci?* dicit (tract. xi. in Joan. ante med.) „ Sic tu intellige nati-
vitatem spiritus, quomodo intellexit Nico-
demus natiuitatem carnis: quomodo enim
uterus non potest reperi, sic nec baptis-
mus. “

Secundo quia in morte Christi baptizamur, per quam morimur peccato, & resurgimus in novitatem vitæ. Christus autem semel tantum mortuus est. Et ideo baptismus iterari non debet. Propter quod Hebr. vi. 6. con-

C tra

(1) Sic enim implicite vers. 3. ac deinceps, ubi postquam interroganti Paulo in quo baptizati essent, responderunt quod in Joannis baptismo, dixit Paulus: *Joannes baptizavit baptismo penitentia populum dicens, in sum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est in Jesum: & his auditijs baptizati sunt in nomine Domini Jesu: Et cum imposuisset illis ma-*

nus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos & loquebantur linguis &c. Non ergo explicite dicitur Paulus eos baptizasse, qui baptizare non solebat, ut ipse dicit 1. ad Corinth. 1. vers. 16. sed perinde est, si eorum admonente baptizati sunt, ut eos baptizasse dicatur, etiam reipsa quoque baptizasse adjuncta insinuant, tum quia solus ibi describitur qui baptizare convenienter posset,

tra quosdam rebaptizari volentes dicitur: *Rursus crucifigentes sibi metipfos Filium Dei: ubi Glossa (ord. sup. illud, Renovari rursus (1) dicit: „Una Christi mors unum bapti- „ sma consecravit. “*

Tertio quia baptismus imprimit caracterem, qui est indelebilis, & cum quadam consecratione datur. Unde sicut aliz consecrationes non iterantur in Ecclesia, ita nec baptismus. Et hoc est quod Augustinus dicit II. contra ep. Parmeniani (cap. XIII. a med.) quod *character militaris non repetitur, & quod non minus habet sacramentum Christi quam corporalis hæc nota; cum videamus nec apostatas cavere baptismate, quibus utique per penitentiam redemptibus non restituntur. (2)*

Quarto quia baptismus principaliter datur contra originale peccatum. Et ideo sicut originale peccatum non iteratur, ita etiam nec baptismus iteratur: quia, ut dicitur Rom. v. 18. *sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vite.*

Ad primum ergo dicendum, quod baptismus operatur in virtute passionis Christi, sicut supra dictum est (art. 2. hu. quest.) Et ideo sicut peccata sequentia virtutem passionis Christi non auferunt: ita etiam non auferunt baptismum, ut necesse sit ipsum iterari: sed penitentia superveniente tollitur peccatum, quod impediēbat effectum baptismi.

Ad secundum dicendum, quod, sicut Augustinus dicit super illud Joan. 1. *Sed ego nesciebam eum (tract. v. in Joan. vers. fin.)* „ Ecce post Ioannem baptizatum est, post „ homicidam non est baptizatum: quia Ioannes dedit baptismum suum, homicida dedit baptismum Christi: quod sacramentum tam sanctum est, ut nec homicida mini-

„ strante polluat. “

Ad tertium dicendum, quod Pauliani, & Cataphrygæ non baptizabant in nomine Trinitatis. Unde Gregorius dicit scribens Quirino (3) Episcopo (in Regist. Lib. IX. epist. LXI, parum a princ.) *Hi heretici qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, sicut sunt Bonosiani, & Cataphrygæ (qui scilicet idem sentiebant cum Paulianis) quis & illi Christum Deum non credunt existimantes ipsum scilicet esse purum hominem, & isti, scilicet Cataphrygæ, Spiritum sanctum perverso sensu esse quendam prorum hominem, Montanum scilicet credunt: tales cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur: quia baptismus non fuit, quod in errore positi in sancte Trinitatis nomine minime perciperunt. Sed, sicut in regulis eccl. (sc. in Lib. de ecclesiasticis dogm. cap. III.) dicitur, si qui apud illos hereticos baptizati sunt qui sancte Trinitatis confessione baptizabant, & veniunt ad catholicam fidem, recipiantur ut baptizati.*

Ad quartum dicendum, quod, sicut dicit Decret. Alexandri III. (quæ hab. cap. De quibus 11. de baptism. & ejus effect.) *De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizentur, his verbis præmissis: Si baptizatus es, ego non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo &c. non enim videtur iterari quod nescitur esse factum.*

Ad quintum dicendum, quod utrumque sacramentum, scilicet baptismi, & Eucharistiæ, est repræsentativum dominicæ mortis, & passionis, aliter tamen, & aliter: nam in baptismi commemoratur mors Christi, in quantum homo Christo commoritur, ut in novam vitam regeneretur; sed in sacramento Eucharistiæ commemoratur mors Christi, in quantum ipse Christus passus exhibetur nobis, quasi paschale convivium, secundum illud I. Corinth. v. 7. *Pascha nostrum immo-*
latam

(1) Ex Remigio in manuscriptis exemplaribus prænotata: Sine nomine in modernis: Est & in commentatio Petri Lombardi,

(2) Vel sic plenus, ut cap. 13. videre est, & jam indicatum est supra (quest. 63. art. 1.) *Si forte nullius characterem in corpore suo non militans pavidus exborrueris, & ad clementiam Imperatoris confugeris. ac prece fusa & impetrata venia militare caperis, nunquid hominis liberato atque correcto character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An forte minus habent Sacramenta Christi quam corporalis hæc nota &c. Ut hic in textu subiunguntur.*

(3) Arguitur Editio Colonienfis cum ad marginem

notat alias *Quirino seu Quirino*, sicut & paulo ante art. 8. argum. *Sed contra* pro Leandro alias *Leonardo*: Nam & in textu Gregorii (scilicet lib. 9. epist. 61.) & in Decretis de consecrat. distinct. 4. ca. *Hi qui*, hæc inscriptio prænotatur *Quirino*: Quamvis in Manuscripto Summæ tantum, *eiusdem Episcopo*, quia forte proprium nomen divinare non potuerat Exscriptor: Sequens autem appendix *ex regulis ecclesiasticis* prænotata sumpta est ex cap. 52. libri de Ecclesiasticis dogmatibus inter opera supposititia Augustini tom. 3. & sic refertur in Decretis de consecrat. distinct. 4. cap. *Si qui* quod est 28. non sicut prius cap. 43. & cap. 27. nugatiter.

atus est Christus: itaque epulemur. Et quia homo semel nascitur, multoties autem cibatur; semel tantum datur baptismus, multoties autem Eucharistia.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interinas hæresim *Anabaptistarum*, dicentium: baptizatos iterum posse baptizari: Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito, damnari ab *Heb. 6. & a Concilio Flor. Trid. Cartha. primo*, secundum quod recitantur singillatim in *q. 4. ar. 6. app. Item a Leone Papa.* „ Qui se baptizatos „ sciunt, sed cujus fidei fuerint qui eos baptizarunt, se nescire profitentur, rebaptizandi non sunt; sed per impositionem manus virtute Spiritus sancti (quam ab hæreticis accipere non potuerunt) Catholicis copulandi sunt. *Hæc ille, & recitantur De consecr. d. 4. c. Hi, de quibus. Item Bedæ in hom. 37. Sive hæreticus, sive schismaticus, sive facinorosus quisque in confessione sanctæ Trinitatis baptizet, non valet ille, qui baptizatus est, a bonis Catholicis rebaptizari, ne confessio, & invocatio tanti nominis videatur annullari.* „ *Hæc ille, quæ recitantur de consecr. distin. 4. Tertio vides: quomodo, &c.*

A R T I C U L U S X. 373

Utrum ritus quo Ecclesia in baptizando utitur, sit conveniens.

IV. dist. II. quæst. I. art. 3. ad 7. & dist. VI. quæst. II. art. I. quæst. 3.

AD decimum sic proceditur. Videtur quod non sit conveniens ritus quo Ecclesia utitur in baptizando. Ut enim dicit Chrysofostomus (1) hab. in fragment. Chromatii in Biblioth. PP. & cap. x. de Consecrat.

dist. IV.) *namquam aqua baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu dominici corporis sanctificata fuissent.* Hoc autem factum fuit in baptismo Christi, qui celebratur in festo Epiphaniæ. Ergo magis deberet celebrari solemniter baptismus in festo Epiphaniæ quam in vigilia Paschæ, & in vigilia Pentecostes.

2. Præterea. Ad idem sacramentum non videtur pertinere diversarum materiarum usus. Sed ad baptismum pertinet ablutio aquæ. Inconvenienter igitur ille qui baptizatur bis anungitur oleo sancto, primum in pectore. deinde inter scapulas, & tertio chrismate in vertice.

3. Præterea. (*) *In Christo Jesu non est masculus, & femina, Barbarus, & Scythæ:* (2) & eadem ratione nec aliqua alia hujusmodi differentia. Multo igitur minus diversitas vestium aliquid operatur in fide Christi. Inconvenienter igitur baptizatis traditur candida vestis.

4. Præterea. Sine hujusmodi observantiis potest baptismus celebrari. Hæc igitur quæ dicta sunt, videntur esse superflua, & ita inconvenienter ab Ecclesia instituta esse in ritu baptismi.

Sed contra est quod Ecclesia regitur Spiritu sancto, qui nihil inordinatum operatur.

Respondet dicendum, quod in sacramento baptismi aliquid agitur quod est de necessitate sacramenti, & aliquid est quod ad quamdam solemnitatem sacramenti pertinet.

De necessitate quidem sacramenti est forma, (3) quæ designat principalem causam sacramenti; & minister, qui est causa instrumentalis; & usus materis, scilicet ablutio in aqua, quæ designat principalem sacramenti effectum.

Cetera vero omnia quæ in ritu baptizandi observat Ecclesia, magis pertinent ad quamdam solemnitatem sacramenti. Quæ quidem adhibentur in sacramento propter tria. Primo quidem

C 2 quidem

(1) Cujus nomine in antiquis Decretis distinct. 4. de consecratione cap. *Nunquam*, prænotabatur, proindeque sic S. Thomas refert: Sed moderna Decreti editio ex Chromatio notat, cujus quia inusitatum sibi nomen ignorabat Exscriptor, *Chrysofostomus* posuit.

(*) *Fulgata*: Ubi non est Gentilis, & Judæus, circumcisio, & præputium, Barbarus, & Scythæ.

(2) Ex Apostolo usurpatum pro prima parte ad Galatas 3. vers. 28. ubi & præmittitur *Non est Judæus neque Græcus* (idest Gentilis) *non est servus neque liber*; deinde *Non est masculus nec femina.*

Sed pro secunda parte ad Coloss. 3. vers. 11. Ubi & præmittitur, *Non est Gentilis & Judæus, circumcisio & præputium*; deinde, *Barbarus & Scythæ, servus & liber.*

(3) Quantum ad ea quæ adhibentur exterius juxta intentum hujus loci; hæc enim sola baptismi ritum proprie spectant: Alioqui etiam intentio præsupponitur esse de necessitate Sacramenti, ex qu. 64. art. 2. sed quia interior est, ad institutum præsens non pertinet, nisi quatenus per indicia exteriora declaratur, ut & prædicto loco notatum est.

quidem ad excitandam devotionem fidelium, & reverentiam ad sacramentum. Si enim simpliciter fieret ablutio in aqua absque solemnitate, de facili ab aliquibus estimaretur quasi quædam communis ablutio. Secundo ad fidelium instructionem. Simples enim, qui litteris non erudiuntur, oportet erudire per aliqua sensibilia signa, puta per picturas & aliqua huiusmodi: & per hunc modum per ea quæ in sacramentis aguntur, vel instruuntur, vel sollicitantur ad quærendum de his quæ per huiusmodi sensibilia signa significantur. Et ideo quia præter principalem sacramenti effectum, oportet quædam alia scire circa baptismum, conveniens fuit ut etiam quibusdam exterioribus signis representarentur. Tertio quia per orationes, & benedictiones, & alia huiusmodi cohibetur vis dæmonis ab impedimento sacramentalis effectus.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus in Epiphania baptizatus est baptismum Joannis, ut supra dictum est (quæst. xxxix. art. 2.) quo quidem baptismum non baptizantur fideles, sed potius baptismum Christi: (1) qui quidem habet efficaciam ex passione Christi, secundum illud Rom. vi. 3. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus*: & ex Spiritu sancto, secundum illud Joannis iii. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto &c.* Et ideo sollemnis baptismus agitur in Ecclesia & in vigilia Paschæ, quando fit commemoratio dominicæ sepulturæ, & resurrectionis eiusdem (propter quod & Dominus post resurrectionem præceptum de baptismum discipulis dedit, ut habetur Matth. ult.) & in vigilia Pentecostes, quando incipit celebrari

solemnitas Spiritus sancti: Unde & Apostolus leguntur ipso die Pentecostes, quo Spiritum sanctum receperant, tria millia hominum baptizasse.

Ad secundum dicendum, quod usus aquæ adhibetur in baptismo, quasi pertinens ad substantiam sacramenti; sed usus olei, vel chrismatis adhibetur ad quamdam solemnitatem. Nam primo baptizandus jungitur oleo sancto & in pectore, & in scapulis, quasi *athleta Dei*, ut Ambrosius dicit in Lib. I. de sacramentis (cap. 11. in princ.) sicut pugiles inungi consueverunt. Unde, sicut Innocentius III. dicit in quadam Decr. de sacra unctione (cap. *Cum venisset*), *baptizandus in pectore inungitur, ut per Spiritum sancti donum errorem abiciat, & ignorantiam, & fidem rectam suscipiat: quia iustus ex fide vivit. Inter scapulas autem inungitur, ut per Spiritum sancti gratiam excusat negligentiam, & torporem, & bonam operationem exerceat: quia fides sine operibus mortua est: ut per fidei sacramentum sit munditia cogitationum in pectore, & per operis exercitium fortitudo laborum in scapulis*. Post baptismum vero, ut Rabanus dicit (Lib. institut. cleric. cap. xxviii. cir. med.) *statim signatur in cerebro a Presbytero cum sacro chrismate, sequente simul & oratione, ut Christianus regni particeps fiat, & a Christo Christianus possit vocari*: vel, sicut Ambrosius dicit (Lib. III. de sacram. cap. 1. a princ.) *unguentum super caput effunditur, quia sapientis sensus in capite ejus*; (quod sequitur hab. Innocent. III. loc. cit.) *ut scilicet sit paratus omni petenti de fide reddere rationem*.

Ad tertium dicendum, quod vestis illa candida traditur baptizato, non quidem ea ratio-

(1) Conformiter ad illud quod eadem occasione dicit S. Leo in epist. decret. 4. c. 6. *Si quis Epiphania festivitatem ob hoc existimat privilegium habere baptismatis quia hoc quidam putant quod in eadem die Dominus ad baptismum Sancti Joannis accesserit, sciat illius baptismi aliam fuisse rationem, nec ad eandem pertinuisse virtutem, qua per Spiritum sanctum renascuntur qui non ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt: Quia nempe baptizatus est ut non solveret legem sed implendo finiret; sed regenerationis potentiam sanxit quando de lavere ipsius proflexerunt sanguis redemptionis & aqua baptismatis addit ipse ibidem: Hinc paulo post concludit, duo tantum tempora esse servanda in baptismo, nec ab apostolicis regulis recedendum: Etâ non interdicit licentia qua in baptismo iriibendo periculis quolibet tempore subvenitur, ut præsumerat. Miratur autem cap. 3. tam irratio-*

nabilem novitatem quorundam præter Apostolica institutionis consuetudinem irrepisse, ut in die Epiphania numerosus quam Paschali tempore Sacramentum Baptismi celebrarent, & vix ferendam in Sacerdotibus excusationem qua prætendat insensiam, subiungit paulo infra, ut & centuram si aliter fecerint comminatur. Idem decernit Gelasius ad Episcopos Lucanæ cap. 12. ut in Decretis distinct. 4. de consecrat. cap. Baptizandi refertur: Et Gregorius 2. Clero & plebi Turingiæ, ut Ivo refert parte 1. cap. 202. ac in Decretis ubi supra cap. Venerabilis rursum ex Gelasio prænotatur: Et Siricius epist. 1. ex qua refertur quoque in Decretis cap. Non ratione, ubi sola severitate præsumi, ait, ut extra tempus Paschæ ac Pentecostes passim baptismus conferatur: Et in Epiphania dari olim solitum defendere audet ex anonymo fictitio suo fallax anticriticus qui toleratur tamen & auditur tam apertis Decretis contradicens?

ratione quod non liceat ei aliis vestibus uti, sed in signum gloriosæ resurrectionis, ad quam homines per baptismum regenerantur, & ad significandam puritatem vitæ, quam debent post baptismum observare, secundum illud Rom. v. 14. *In novitate vitæ ambulemus.*

Ad quartum dicendum, quod ea quæ pertinent ad solemnitatem sacramenti, etsi non sint de necessitate sacramenti, non tamen sunt superflua, quia sunt ab bene esse sacramenti, ut dictum est (in corp.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem convincas de errore temerariam irrifionem *Calvinistarum*, qua Papistis (ut ajunt) tanquam erroneum imponunt hoc, videlicet, quod ad baptismum requiruntur oleum, sal, sputum, consignatio crucis, exorcismi, vestis alba, candelæ, & hujusmodi ritus, ut patet ex *Calvini* libello contra acta Concilii *Tridentini*. Sanctus Doctor enim in præsentî articulo tam perspicuis verbis requirit ista pro solemnitate, non pro necessitate sacramenti, & ad tot, tantaque bona conferre ritus hujusmodi edocet ; ut amplius declaratione opus non sit ad demonstrandum, & quod tales ritus nullum penitus errorem continent, & quod irrisio prædicta *Calvinistarum* plena est erroris, ne dicam impietatis. Impium siquidem est dicere : quod aliquid ab Ecclesia statutum, & maxime circa sacramenta per ipsius ordinationem consuetum sit erroneum. Nam ea, quæ per Ecclesiam statuuntur, ab ipso Christo ordinantur, qui de Ecclesia loquens (ut patet ex contextu *Mat. 18.*) dixit : *ubicumque fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Vide etiam 2. 2. *qu. 10. art. 12.* quod maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, & quod suæ auctoritati standum magis est, quam auctoritati Augustini, Hieronymi, vel cujuscunque alterius Doctoris. Ergo a fortiori ibi cointelligitur, quod Ecclesiæ consuetudini, seu auctoritati standum est magis, quam doctrinis variis, & peregrinis, *Hebr. 13. Calvini, Luthero, Mahumeti,* & aliorum similium assentientium profanas vœcum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, 1. *Timoth. 6.* Adde, quod doctrinarum harum variarum, ac novitatum inventores ideo dicuntur habere non veri, sed falsi nominis scientiam, quoniam (testante scriptura, quæ non potest solvi, *Joann. 10.*) ipsi re vera sunt indocti,

& instabiles, 2. *Pet. 3.* Hoc specialiter verificatum de *Calvino* vide in *Additio. q. 9. a. 4. appen.* ubi narratur vita ejus. Secundo habes : quomodo per rationem ostendas illum Calvinistarum errorem merito damnari ab Apostolo utiliter dicente de Ecclesia, quod est domus Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis, 1. *Timoth. 3.* Applica tu ad propositum hoc, quandoquidem ab universali ad sua particularia descendere licet. Item a *Joan. 14. Alium paraclitum dabit vobis, at maneat vobiscum in æternum.* Per hoc enim ostendit Christus, quod Spiritus sanctus semper rectorus est Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam, quam, veluti in Apostolis tunc representatam, alloquebatur. De spiritu sancto autem, qui est magistrorum optimus nefas est dicere, quod in a se directis operibus sinat aliquid esse falsum, vel erroneum. Ut a simili concludamus. Quia *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, 2. Pet. 1.* ideo scriptura sacra ab his edita dicit *Prover. 8. justi sunt omnes sermones mei, non est in eis prævium quid, neque perversum. Recti sunt intelligentibus & æqui invenientibus scientiam.* De his aureis verbis vide bonum sensum diffuse in 2. 2. *q. 122. a. 2. appen. & q. 140. a. 1. appen.* vel etiam 1. 2. *q. 69. a. 1. appen.* Sic ergo, quia a Spiritu sancto regitur semper Ecclesia, ideo de suis operibus, utpote a spiritu veritatis, *Joan. 15.* directis potest proportionaliter dicere idem, scilicet *Justi sunt omnes, &c. Recti sunt intelligentibus, &c.* Ad hoc autem ex ratione monstrandum, quod scil. justî sînt omnes Ecclesiæ sermones, idest statuta, ritus, &c. quodque non sit in eis prævium quid, neque perversum, infudavit semper fideliss. veritatis propugnator S. Tho. (ut patet in tota doctrina sua, & speciatim hic) atque per consequens ex eadem multiplici ratione commonstravit, quod iidem Eccl. sermones sunt recti intelligentibus & æqui invenientibus scientiam. Item illum errorem ostendere potes merito singillatim damnari a decretis in de consecrat. *distinctio. 4. c. sive parvuli, & c. Ante 20. dies. & c. postquam se, & c. sicut nostis, & c. postea signatur, & c. ex hinc, & c. postea tanguntur, & c. propter, & c. deinde, & c. venit sacerdos, & c. prima igitur, & c. venisti ad fontem, & c. post quam ascendit, & c. post baptismum, & c. Accepisti, & c. primum interrogetur.* Item damnatur a Conc. *Trid. sess. 7. de sac. can. 13. Si quis dixerit : receptos. & approbatos, Eccl. Cath. ritus in solemnî sacramen-*

torum

torum administratione adhiberi consuetos, aut consentiri, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse: anathema sit. Hæc ibi. Ex quibus patet, quam veri, quam sine errore, quam convenientes sint omnes Ecclesiastici ritus in baptismo, aliisque sacramentis observati. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS XI. 374

Utrum convenienter describantur tria
Baptismata.

IV. dist. IV. quest. III. art. 3. & quest.
VI. art. 4. & Joan. III. lect. 1.
fin. & Heb. VI. lect. 3. fin.

AD undecimum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter describantur tria baptismata, scilicet aquæ, sanguinis, & flaminis, sive Spiritus sancti. Quia Apostolus dicit Ephes. IV. 5. *Una fides, unum baptismum*. Sed non est nisi una fides. Ergo non debent poni tria baptismata.

2. Præterea. Baptismus est quoddam sacramentum, ut ex supradictis patet (quest. IX.) Sed solus baptismus aquæ est sacramentum. Ergo non debent poni alia duo baptismata.

3. Præterea. Damascenus in IV. Lib. (orth. Fid. cap. x. a med.) determinat plura alia genera baptismatum. Non ergo debent poni solum tria baptismata.

Sed contra est quod super illud Hebr. VI. *Baptismatum doctrinæ*, dicit Glossa (ordin.), „ Pluraliter dicit, quia est baptismus aquæ, „ pœnitentiæ, & sanguinis. “

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. 2. hui. quest. & quest. LXII. art. 5.) baptismus aquæ efficaciam

habet a passione Christi, cui aliquis configuratur per baptismum, & ulterius sicut a prima causa a Spiritu sancto. Licet autem effectus dependeat a prima causa; causa tamen superexcedit effectum, nec dependet ab effectu.

Et ideo præter baptismum aquæ potest aliquis consequi sacramenti effectum ex passione Christi, inquantum quis ei conformatur, pro Christo patiente. Unde dicitur Apocalyp. VII. 14. *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas & dealbaverunt eas in sanguine agni*. Eadem etiam ratione aliquis per virtutem Spiritus sancti consequitur effectum baptismi, non solum sine baptismum aquæ, sed etiam sine baptismum sanguinis, inquantum scilicet alicujus cor per Spiritum sanctum movetur ad credendum, & diligendum Deum, & pœnitendum de peccatis: unde etiam dicitur baptismus pœnitentiæ. Et de hoc dicitur Isa. IV. 4. *Si ablueris Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem laveris de medio ejus in spiritu judicii, & spiritu ardoris*.

Sic igitur utrumque aliorum baptismatum nominatur baptismum inquantum supplet vicem baptismi aquæ. Unde dicit Augustinus in IV. Lib. de baptismum (cont. Donatist. cap. XXI. in princ.) *(1) Baptismi vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est, Hodie tecum eris in paradiso, beatus Cyprianus non leve documentum assumit: quod etiam atque etiam considerans, invenio non tantum passionem pro nomine Christi, id quod baptismum dicitur, posse supplere, sed etiam fidem, conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest*.

Ad primum ergo dicendum, quod alia duo baptismata includuntur in baptismum aquæ, qui efficaciam habet & ex passione Christi, & ex Spiritu sancto. Et ideo per hoc non tollitur

(1) Non sicut prius de unico baptismum parvulorum: sed in Decretis ubi supra cap. 34. de baptismum contra Donatistas; quasi confusus indicibus trium operum, distinctorum quæ de hac materia scripsit Augustinus; nimirum de unico baptismum contra Petilianum librum unum; de peccatorum meritis & remissione seu de baptismum parvulorum ad Marcellinum libros tres; ac de baptismum contra Donatistas absque addito, libros septem; quamvis & in his libris pro unico baptismum pugnat. Sic porro Cyprianus ad Jubajanum. epist. 73. versus finem: *Sanguine suo baptizatos & passione sanctificatos consummari & divina pollicitationis gratiam consequi declarat in Evangelio Dominus, quando ad latronem in ipsa passione credentem & consentientem loquitur, & quod secum sit futurus in*

Paradiso pollicetur. Sed egregie rursus eadem de re Augustinus alibi, lib. 1. nimirum de anima & ejus origine cap. 9. *Ex quo dictum est. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. nemo fit membrum Christi nisi aut baptismate in Christo aut morte pro Christo: Unde & latro ille non ante crucem Domini sectator sed in cruce confessor, a Cypriano sancto inter Martyres computatur qui suo sanguine baptizantur. Tanto namque pondere appensum est tantumque valuit apud eum qui hæc novit appendere, quod confessus est Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro Domino crucifixus: Inventa est in eum mensura Martyris qui tunc in Christum credidit quando defecerunt qui fuerunt erant martyres &c.*

litur unitas baptismatis.

Ad secundum dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. lx. art. 1. & 2.) sacramentum habet rationem signi; alia vero duo conveniunt cum baptismo aquæ non quidem quantum ad rationem signi, sed quantum ad effectum baptismatis: & ideo non sunt sacramenta.

Ad tertium dicendum, quod Damascenus ponit quædam baptismata figuralia; sicut diluivium, quod fuit signum nostri baptismi, quantum ad salvationem fidelium in Ecclesia, sicut (*) tunc *pauca anima salva facta sunt in arca*, ut dicitur I. Petri. 111. 20. Ponit etiam transitum maris rubri, qui significat nostrum baptismum, quantum ad liberationem a servitute peccati: unde & Apostolus dicit I. Corinth. x. 2. quod *omnes baptizati sunt in nube, & in mari*. Ponit etiam ablutiones diversas, quæ fiebant in veteri lege, præfigurantes nostrum baptismum, quantum ad purgationem peccatorum. Ponit etiam baptismum Joannis, qui fuit preparatorius ad nostrum baptismum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, & Ecclesia, quod baptismata sunt tria, scilicet fluminis, flaminis, & sanguinis. A scripturis quidem, quoad baptismum fluminis, Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. quoad baptismum flaminis, Act. 10. orationes tue, & elemosynæ tue ascenderunt in memoriam in conspectu Dei: quoad baptismum sanguinis, Luc. 23. Hodie mecum eris in paradiso*: Per illud enim Actum Apostolorum ideo ostenditur propositum prædictum: quia Cornelii nondum aqua baptizati (ut in contextu ibi patet) orationes, & elemosynæ dicuntur placuisse Deo per ly *ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*. Quod enim opera alicujus sint grata Deo, ut fuerunt illa Cornelii, præsupponit, ipsum illa operantem esse gratum Deo, secundum illud Genes. 4. *respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus*. Unde Beatus Augustinus in lib. de baptis. ait: „ Merito Centurio non, dum baptizatus Simoni baptizato antepositur. Ille enim etiam ante baptismum Spiritu sancto accepto repletus est, iste etiam post baptismum spiritu immundo

„ inflatus est. „ Hæc ibi: quæ recitantur de consecrat. *distinctio. 4. cap. Non dubio*. Cornelius siquidem centurio prius habebat baptismum in voto, qui est baptismus flaminis: cujus tanta est efficacia, ut justificare possit; secundum Concilium Trident. sess. 7. de sacramentis cap. 4. *Si quis dixerit, sine eis (sacramentis, scilicet) aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci; anathema sit*. Hæc ibi. Per illud vero Luc. 23. de latrone, ostendi propositum de baptismo sanguinis patet in text. corp. ex Divo Augustino. Ab Ecclesia autem insinuatur, &c. de baptismo quidem sanguinis, per hoc, quod celebrat festum Sanctæ Emerentianæ martyris, de hac enim dicit. „ Licet adhuc esset cathecumena, constanter intrepida, & immobilis contra sævientes astabat: & plurimis eos verbis de sua perfidia exprobrabat. Unde a turbis furentibus lapidata est, & orans emisit spiritum, non dubium, quod in suo sanguine baptizata: quæ pro defensione justitiæ, dum confiteretur Dominum, mortem constanter accepit. „ Hucusque Ecclesia. De baptismo quoque flaminis per hoc, quod narrato facto de illo Judæo, qui se baptizavit, dicit ipsum fuisse salutem consecutum, non propter fidei sacramentum (quod in eo nullum erat) sed propter sacramenti fidem: Vide supra art. 5. in *Elucidat.* de hoc. Porro, quod Ecclesia insinuet, baptismum aquæ dari: manifestissima res est. *Secundo* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S XII. 375

Utrum Baptismus sanguinis sit potissimus inter alia baptismata.

V. dist. 1v. quæst. 111. art. 3. quæst. 4. & Heb. vi. lect. 3. fin.

AD duodecimum sic proceditur. Videtur quod baptismus sanguinis non sit potissimus inter tria prædicta baptismata. Baptismus enim aquæ imprimi characterem: quod quidem baptismus sanguinis non facit. Ergo baptismus sanguinis non est potior quam baptismus aquæ,

2. Præterea. Baptismus sanguinis non valet sine baptismo flaminis, qui est per caritatem: dicitur enim I. ad Corinth. x111.

3. Si

(*) *Vulgata in que pauci, id est octo animæ &c.*

3. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero; nihil mihi prodest.* Sed baptismus flaminis valet sine baptismo sanguinis, non enim soli Martyres saluantur. Ergo baptismus sanguinis non est potissimus.

3. Præterea. Sicut baptismus aquæ habet efficaciam a passione Christi, cui secundum prædicta (art. præc.) respondet baptismus sanguinis; ita passio Christi efficaciam habet a Spiritu sancto, secundum illud Hebr. ix. 14. *Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum obtulit semetipsum pro nobis, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis &c.* Ergo baptismus flaminis potior est quam baptismus sanguinis. Non ergo baptismus sanguinis est potissimus.

Sed contra est quod Augustinus ad Fortunatum loquens de comparatione baptismatum dicit: (1) Gennadius in Lib. de eccles. dogmatib. cap. lxxiv.) *Baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote, Martyr coram persecutore: ille post confessionem aspergitur aqua, hic sanguine: ille per impositionem manus Pontificis recipit Spiritum sanctum, hic templum efficitur Spiritus sancti.*

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est (art. præc.) effusio sanguinis pro Christo, & operatio interior Spiritus sancti dicuntur baptismata, in quantum efficiunt effectum baptismi aquæ. Baptismus autem aquæ efficaciam habet a passione Christi, & a Spiritu sancto, ut dictum est (art. præc.) Quæ quidem duæ causæ operantur in quolibet horum trium baptismatum: excellentissime tamen in baptismo sanguinis: nam passio Christi operatur quidem in baptismo aquæ per quamdam figuralem representationem; in baptismo autem flaminis, vel poenitentiae per quamdam affectionem; sed in

baptismo sanguinis per imitationem operis.

Similiter etiam virtus Spiritus sancti operatur in baptismo aquæ per quamdam virtutem latentem; in baptismo autem poenitentiae per cordis commotionem; sed in baptismo sanguinis (*) per potissimum dilectionis, & affectionis fervorem, secundum illud Joan. xv. 13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Ad primum ergo dicendum, quod character est res, & sacramentum. Non autem dicimus, quod baptismus sanguinis præminentiam habeat secundum rationem sacramenti, sed quantum ad sacramenti effectum.

Ad secundum dicendum, quod effusio sanguinis non habet rationem baptismi, si sit sine caritate. Ex quo patet quod baptismus sanguinis includit baptismum flaminis, & non e converso: unde ex hoc ipso probatur perfectior.

Ad tertium dicendum, quod baptismus sanguinis præminentiam habet, non solum ex parte passionis Christi, sed etiam ex parte Spiritus sancti, ut dictum est (in corp. art.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam esse a scripturis, & Augustino, quod baptismus sanguinis præminet aliis baptismatibus. Ab Augustino quidem, ut ponitur in *argu. cont.* Pro cuius majori claritate, postquam D. Aug. dixerat. „ hic templum efficitur Spiritus sancti: *mos* „ *quasi se declarans dicit*, dum non est ipse „ qui loquitur, sed Spiritus sanctus, qui in „ illo loquitur. Ille confitetur, se mundi a „ stibus renuuciare: hic ipse renuuciat, & „ *vita.*

(1) Sicut refertur in Decretis distinct. 4. de consecrat. cap. *Catechumenum*, ex quo desumpsit S Thomas: Ex libro autem de ecclesiasticis dogmatibus cap. 74. solum desumi potest inter opera Augustini supposititia tom. 3. ex quo & Ivo refert 1. parte Decreti cap. 211. Nec Augustinus ad Fortunatum epist. 230. quidquam omnino tale habet: An forte ista Gratianus deceptionis auctor cum quibusdam ad eum sensum pertinentibus ex epistola Cypriani ad Fortunatum de exhortatione Martyrii confuse repererat, indeque Augustini ad Fortunatum existimavit. Sic enim in prædicti Tractatus præfatione Cyprianus. *Nec qui Domino permittente primum baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulas præparemus insinuamus & docentes hoc esse baptisma in gra-*

via majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius: baptisma in quo Angeli baptizant; baptisma in quo Deus & Christus ejus exultant; baptisma post quod nemo jam peccat; baptisma quod fidei nostræ incrementa consummat; baptisma quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat: In aqua baptismi accipitur peccatorum remissio, in sanguinis coronæ virtutum (sive consummatio, cumulus, perfectio, corona &c.) Hinc Damascenus quoque lib. 4. de fide orthodoxa, ut supra, inter varia baptismata septimo loco ponit illud quod per sanguinem & martyrium perficitur; ac valde venerandum & beatum appellat quod secundis maculis vel sordibus non inquinetur &c. () Ita com mss. Garci. & posteriores editi. *Adj.* per potissimum dilectionis, secundum illud &c.*

„ vitæ . Illi peccata remittuntur : isti extin-
 „ guuntur . „ Hæc Aug. in libro de Eccles.
 dogmatib. c. 7. Ac si apertius dicat . Uterque
 accipit quidem Spiritum sanctum, sed in
 utroque non monstratur æqualiter effectus
 Spiritus sancti, scilicet tanta constantia in
 loquendo, & defendendo, quæ Dei sunt ;
 tantus contempus omnium mundanorum,
 etiam vitæ propriæ, tanta elongatio non so-
 lum a peccatis, sed etiam a potentia pec-
 candi . Tam mirabilis triplex effectus Spi-
 ritus sancti relucet præcipue in baptismo san-
 guinis, in eo scilicet qui tali baptismo ba-
 ptizatur, & propterea jure optimo baptismus
 sanguinis antefertur baptismatibus cæteris. A
 scripturis vero idem insinuat per hoc, quod
 petentibus præminentiam in regno super
 alios respondit Dominus Mar. 10. *Potestis bi-
 bere calicem, quem ego bibo, aut baptismo quo
 ego baptizor, baptizari?* Ecce, quod ad li-
 teram planam Christus passionem vocat bap-
 tismum, utique sanguinis . Ex eo igitur,
 quod ad postulantem præminentiam in regno
 proponit hoc, scilicet baptismum sanguinis
 tanquam proportionatissimum medium per-
 veniendi ad talem finem, idest ad præmi-
 nentiam inter alios conregnaturos ; constat
 aperte, quod secundum scripturas baptismus
 sanguinis tenet præminentiam inter alia ba-
 ptismata . Alioquin finis, & id, quod est ad
 finem, non proportionarentur adinvicem,
 quod est contra totam philosophiam. *Secundo*
vides : quomodo &c.

Q U Æ S T I O LXVII.

*De Ministris, per quos traditur Baptismi
 sacramentum.*

In octo articulos divisa.

DEinde considerandum est de ministris,
 per quos traditur sacramentum baptis-
 mi : & circa hoc quaeruntur octo .

Primo, utrum ad diaconum pertineat ba-
 ptizare .

Secundo, utrum pertineat ad presbyterum
 vel solum ad Episcopum .

Tertio, utrum laicus possit sacramentum
 baptismi conferre .

Summ. S. Tb. Tom. XII.

Quarto, utrum hoc possit facere mulier .

Quinto, utrum non baptizatus possit ba-
 ptizare .

Sexto, utrum plures possint simul bap-
 tizare unum & eundem .

Septimo, utrum necesse sit aliquem esse
 qui baptismatum de sacro fonte recipiat .

Octavo, utrum suscipiens aliquem de sa-
 cro fonte obligetur ad ejus instructionem .

A R T I C U L U S I. 376

*Utrum ad officium Diaconi pertineat
 baptizare,*

*IV. dist. v. quest. II. art. 1. quest. 1. &
 dist. VII. quest. III. art. 1. quest. 1. cor.
 & dist. XIII. quest. II. art. 3. quest. 2.
 corp.*

AD primum sic proceditur. Videtur quod
 ad officium diaconi pertineat baptizare.
 Simul enim injungitur a Domino officium
 prædicandi Evangelium, & baptizandi, se-
 cundum illud Matth. ult. 19. *Euntes docete
 omnes gentes, baptizantes eos &c.* Sed ad of-
 ficiam diaconi pertinet evangelizare . Ergo
 videtur quod etiam ad officium diaconi per-
 tineat baptizare .

2. Præterea . Secundum Dionysium v. cap.
 eccles. Hierarc. (aliquant. a princ.) purga-
 re pertinet ad officium diaconi (1) . Sed
 purgatio a peccatis maxime fit per bap-
 tismum, secundum illud Ephes. v. 26. *Mun-
 dans eam lavacro aque in verbo vite.* Ergo
 videtur quod baptizare pertineat ad diaconum .

3. Præterea . De B. Laurentino legitur .
 quod cum ipse esset diaconus, plurimos bap-
 tizabat . (2) Ergo videtur quod ad diaconos
 pertineat baptizare .

Sed contra est quod Gelasius I. Papa dixit
 (epist. ix. cap. VII.) & habetur in De-
 cret. XCIII. dist. (cap. XIII.) *Diaconos pro-
 priam constituimus observare mensuram : &
 infra : Absque Episcopo, vel presbytero bap-
 tizare non audeant, nisi prædictis ordinibus for-*

D *asse*

(1) Qui tamen apud illum non *Diaconus* appella-
 tur, (vel *διακόνος* græce) sed *minister*, (*λαϊτῆρής*).

(2) Puta Lucillum, Hippolytum, & familiam

ejus cum in carcere teneretur, ut & Romanum cum
 is torqueretur, sicut legenda ejus apud Surium habet.

*tasſe longius conſtitutis, neceſſitas extrema com-
pellat.* (1)

Reſpondeo dicendum, quod ſicut cæleſti-
um ordinum proprietates, & eorum officia
ex eorum nominibus accipiuntur, ut Diony-
ſius dicit VII. cap. cæleſt. Hierarc. (in
princ.) ita etiam ex nominibus eccleſiaſti-
corum ordinum accipi poteſt quid ad unum-
quemque pertineat ordinem.

Dicuntur autem diaconi, quaſi miniſtri:
(2) quia videlicet ad diaconos non pertinet
aliquod ſacramentum principaliter, & quaſi
ex proprio officio præbere, ſed adhibere mi-
niſterium aliis majoribus in ſacramentorum
exhibitione. Et ſic ad diaconum non perti-
net, quaſi ex proprio officio, tradere ſacra-
mentum baptiſmi, ſed in collatione huius ſa-
cramenti, & aliorum aſſiſtere, & miniſtrare
majoribus. Unde Iſidorus dicit *Ad diaconum
pertinet aſſiſtere, & miniſtrare ſacerdotibus in
omnibus que agantur in ſacramentis Chriſti, in
baptiſmo ſcilicet, in chrifmate, in poſena, &
ſalico.* (3)

Ad primum ergo dicendum, quod ad dia-
conum pertinet recitare Evangelium in Ec-
cleſia, & prædicare ipſum per modum cate-
chizantis: unde & Dionyſius dicit (cap. v.
eccleſ. Hierarch. cir. med. & cap. III.) quod
diaconi habent officium ſuper immundos; in-
ter quos ponit catechumenos. Sed docere,
ideſt exponere Evangelium, pertinet proprie
ad Episcopum, cujus actus eſt perficere, ſe-
cundum Dionyſium v. cap. eccleſ. Hierar.
(ante med.) Perficere autem idem eſt quod
docere. Unde non ſequitur quod ad diaconos
pertineat officium baptizandi.

Ad ſecundum dicendum, quod, ſicut Diony-
ſius dicit in II. eccleſ. Hierarch. (parum
a princ.) baptiſmus non ſolum habet purga-
tivam, ſed etiam illuminativam virtutem:
(4) & ideo excedit officium diaconi, ad quem
pertinet ſolum purgare, ſcilicet vel repellendo
immundos, vel diſponendo eos ad ſacra-
menti ſuſceptionem.

Ad tertium dicendum, quod quia bap-
tiſmus eſt ſacramentum neceſſitatis, permitti-

tur diaconis, neceſſitate urgente, in abſen-
tia majorum baptizare, ſicut patet ex aucto-
ritate Gelafii ſupra inducta (in arg. *Sed con-
tr.*) Et hoc modo B. Laurentius diaconus
exiſtens baptizavit.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per ratio-
nem oſendas, merito eſſe inſinuatam a
ſcripturis, Papa, & Iſidoro; quod non licet
ex proprio officio diaconis baptizare. A Pa-
pa quidem *Gelaſio*, ut in arg. *contr.* ab Iſido-
autem, de officiis lib. 12. c. 24. *Conſtat bap-
tiſma a ſolis ſacerdotibus eſſe tractandum, ejus-
que myſterium nec ipſius diaconibus explere eſt
licitum, abſque epifcopo, vel preſbytero; niſi,
bis procul abſentibus, ultima languoris neceſſi-
tas cogat.* Hæc ibi; que & recitantur, *De
conſecras. diſtin. 4.* Ad ſcripturis vero per il-
lad Matt. 28. *Euntes docete omnes gentes, ba-
ptizantes eos,* &c. Hoc enim dixit ſolum Ap-
ſtolis, & diſcipulis. Cum ergo epifcopi in
locum Apoſtolorum, & preſbyteri in locum
ſeptuaginta diſcipulorum ſuccedant (ut teſta-
tur *Anacletus* Papa in ſua epiſt. tertia; de
qua in lib. *Conciliorum*) reſtat, ut Domi-
nus ibi ſolis Episcopis, & preſbyteris, non
autem diaconibus, mandaverit baptizare; id,
quod eſt, diaconibus non convenire ex pro-
prio officio baptiſmum conferre. Ex prædicto
omnibus ſequitur intellectus verus dicti *Act.*
8. quod Philippus diaconus electus ibidem,
capitulo ſexto, baptizavit Eunuchum, & cæ-
tera, non tanquam ex officio ſuo, ſed abſen-
tibus Apoſtolis, aliſque diſcipulis baptizabat,
& in caſu illo neceſſitatis, & (quod proba-
bile multum eſt) de licentia ſibi, collegiſ-
que ſuis ab Apoſtolis univerſaliter data ante,
quam contingeret illa diſperſio, de qua *ibid.*
cap. 8. dixit, quod ille Philippus ab Hiero-
ſolymis diſperſus in Samariam erat diaconus:
ne putares fuiſſe Apoſtolum, quod eſſet &
contra principium ipſius *cap. 8.* in *ly præter
Apoſtolos*, & contra Divum Thomam, expreſ-
ſiſſime in 4. *diſtin. 3. quæſt. 2. art. 4. ad 2.*
Secun-

(1) Ex Pelagio in quibusdam exemplaribus nota-
batur, cap. *Diaconos*: Moderna vero notant ex Ge-
laſio, ſicut & Ivo parte 1. cap. 252. Sumptum eſt
porro ex epiſtola ejus 1. cap. 9. ad Episcopos per
Lucaniam conſtitutos, ut & reſertur tom. 2. *Con-
ciliorum* part. 1.

(2) Iuxta ſignificatum græcæ vocis quam a Dio-
nyſio tamen uſurpatam non eſſe jam paulo ante no-
tavimus, quamvis latine ita reddat interpres ejus

græcum *λεττορός* lib. de eccleſ. hierarchia c. 3.

(3) Velut ex epiſtola ejus ad Laudeſfredum in *Dō-
cretis* reſertur *diſtin. 25. cap. 1.* quod incipit *Præ-
latis*, §. *Ad diaconum*. Et ſic etiam Ivo reſert Parte
6. *Decreti* cap. 20.

(4) Ut jam ſupra indicatum eſt quæſt. 66. art. 3
cum de propria materia baptiſmi ageretur, & in-
ferius adhuc ex profeſſo dicendum erit quæſt. 79
art. 3. cum de baptiſmi effectibus.

Secundo vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 377

Utrum baptizare pertineat ad officium Presbyterorum.

IV. dist. v. quest. 11. art. 1. quest. 2. & dist. vii. quest. 1. art. 1. quest. 3. cor. & dist. xvii. quest. 111. art. 3. quest. 2. cor. & dist. xxiv. quest. 11. art. 1. ad 1.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod baptizare non pertineat ad officium Presbyterorum, sed solum Episcoporum. Quia, sicut dictum est (quest. præc. art. 5. arg. 1. & art. præc. arg. 1.) sub eodem præcepto injungitur Matth. ult. officium docendi, & baptizandi. Sed docere, quod est perficere, pertinet ad officium Episcopi, ut patet per Dionysium v. & vi. eccles. Hier. Ergo & baptizare pertinet tantum ad officium Episcopi.

2. Præterea. Per baptismum annumefatur aliquis populo christiano: quod quidem videtur ad officium solius Principis pertinere. Sed principatum in Ecclesia tenent Episcopi, qui ut dicitur in Glossa Luc. x. (1) tenent locum Apostolorum, de quibus dicitur in Psal. xli. 17. *Constitues eos principes super omnem terram.* Ergo videtur quod baptizare pertinet solum ad officium Episcopi.

3. Præterea. Isidorus dicit (loc. cit. art. præc. art. præc.) quod *ad Episcopum pertinet basilicarum consecratio, unctio altaris, & confectio chrismatis: ipse ordines ecclesiasticos distribuit, & sacras virgines benedicit.* Sed his omnibus majus est sacramentum baptismi. Ergo videtur quod multo magis ad officium solius Episcopi pertineat baptizare.

Sed contra est quod Isidorus dicit in Lib. II. de offic. (cap. xxiv, ad fi.) *Constat,*

baptisma solis sacerdotibus esse traditum (2). Respondeo dicendum, quod sacerdotes ad hoc consecrantur ut sacramentum corporis Christi conficiant, sicut supra dictum est (3). Illud autem est sacramentum ecclesiasticæ unitatis, secundum illud Apostoli I. Cor. x. 17. *Unus panis, & unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane, & de uno calice participamus.*

Per baptismum autem aliquis fit particeps ecclesiasticæ unitatis: unde & accipit jus ad mensam Domini accedendi. Et ideo sicut ad sacerdotem pertinet consecrare Eucharistiam (ad quod principaliter sacerdotium ordinatur;) ita ad proprium officium sacerdotis pertinet baptizare: ejusdem enim videtur esse operari totum, & partem in toto.

Ad primum ergo dicendum, quod utrumque officium, scilicet docendi, & baptizandi, Dominus Apostolis injunxit; quorum vicem gerunt Episcopi; aliter tamen, & aliter. Nam officium docendi commisit eis Christus, ut ipsi per se illud exercerent, tamquam principalissimum: unde & ipsi Apostoli dixerunt Act. vi. 3. *Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Officium autem baptizandi commisit Apostolis, ut per alios exercendum. Unde & Apostolus dicit I. Cor. i. 17. *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare:* & hoc ideo quia in baptizando nihil operatur meritum, & sapientia ministri, sicut in docendo, ut patet ex supra dictis (quest. lxiv. art. 5. 6. & 9.) in cujus etiam signum nec ipse Dominus baptizavit, sed discipuli ejus, ut dicitur Joan. iv. Nec tamen per hoc excluditur quin Episcopi possint baptizare: quia quod potest potestas inferior, potest & superior: unde & Apostolus ibidem dicit, se quosdam baptizasse (4).

Ad secundum dicendum, quod in qualibet republica ea quæ sunt minora, pertinent ad minores, majora vero majoribus reservantur,

D 2 secun-

(1) Super illud nimirum vers. 1. *Designavit Dominus & alios:* Ex Beda porro cujus nomine prænotatur, sumpta est paulo aliis verbis quam hic; puta quod *in Apostolis est forma Episcoporum:* Quod autem Isidori nomine subjungitur, sumptum est ex eodem ut sup. loco distinct. 25. in Decretis.

(2) Sic etiam refertur tomo 10. Bibliothecæ Patrum, & de ministerio intelligitur: Sed in Decretis distinct. 4. de consecrat. cap. *Constat, non traditum dicitur sed tractandum.*

(3) Non sicut prius quest. 73. art. 1. a 6. ubi de charactere indefinite tantum agitur vel ad recipienda vel ad tradenda sacramenta; sed quest. 65.

art. 5. ubi dicitur Sacramentum Ordinis ad Eucharistiæ consecrationem ordinari; quod perinde est ac ad conficiendum corpus Christi: Quod autem per baptismum jus accipiat baptizatus ad mensam dominicam vel ad Eucharistiam accedendi, prædicta quest. 63. art. 3. ex cap. 2. de ecl. hierar. notatum est: In signum cujus mox baptizatis porrigebatur communitio, & infantibus ipsis in os immittebatur &c.

(4) Modificato ergo sensu intelligendum quod præmittitur commissum esse Apostolis officium baptizandi *ut per alios exercendum:* Non exclusive quasi deberent solum alii exercere, non aliquando etiam ipsi.

secundum illud Exodi xvii. 22. *Quicquid majus fuerit, referant ad te; & ipsi tantummodo minora judicent.* Et ideo ad minores civitatis principes pertinet disponere de infimo populo; ad summos autem principes pertinet disponere ea quæ pertinent ad majores civitatis. Per baptismum autem non adipiscitur aliquis nisi infimum gradum in populo christiano. Et ideo baptizare pertinet ad minores principes Ecclesiæ, idest ad presbyteros, qui tenent locum septuaginta duorum discipulorum Christi, ut dicit Glossa (1) Lucæ x. (cit. in arg.)

Ad tertium dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. lxxv. art. 3. in corp. & ad 4.) sacramentum baptismi est potissimum necessitate; sed quantum ad perfectionem, sunt quædam alia potiora, quæ Episcopis referantur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, Papa, & Isidoro: quod baptizare est officium sacerdotum. A scripturis per hoc, quod dicitur *Matth. 28.* &c. A Papa *Gelasio* &c. Ab Isidoro, &c. De tribus his vide *ar. 1. append.* & bene præsentis proposito applica illa. Item a Papa *Vigilio* per hoc, quod in epistola ad Eutherum dicit. „ Si quis episcopus aut presbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; sed in una persona Trinitatis, aut in duabus, aut in tribus patribus, aut in tribus filiis, aut in tribus paraclitis, projiciatur de ecclesia Dei. „ Hæc ibi. In his enim, dum speciatim nominat presbyterum, monstrat, quod non solum episcopis, sed & sacerdotibus simplicibus, convenit ex officio baptizare. Adde etiam concilium *Hilerdense*, dicens. „ Omnis presbyter, qui fontem lapideum habere nequiverit, vas conveniens solummodo ad baptizandi officium habeat, quod extra Ecclesiam non deportetur. „ Hæc illud; quæ & recitantur de consecr. dist. 4.

Item illud Divi Ambrosii in lib. de sacramentis: „ Venit sacerdos ad fontem, dicit „ precem, invocat nomen Patris, & Filii, „ & Spiritus sancti; utitur verbis cœlestibus: „ cœlestia sunt verba, quæ Christi sunt. „ Hæc ille, quæ & recitantur de consecr. dist. 4. Ex eo enim, quod præcipitur sacerdoti de vase conveniente ad baptizandum, & ex hoc, quod ad istum fontem ipse baptizandi officium executurus, tanquam auctoritatem habens, venit, patet intentum consideranti. *Secundo* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 378

Utum Laicus possit baptizare.

2. 2. quæst. c. art. 2. ad 1. & IV. dist. vi. quæst. 11. art. 1. quæst. 1. & 3. & dist. vi. quæst. 1. art. 3. quæst. 2. & 3.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod Laicus baptizare non possit. Baptizare enim, sicut dictum est (art. præc.) proprie pertinet ad ordinem sacerdotalem. Sed ea quæ sunt ordinis, non possunt committi non habenti ordinem. Ergo videtur quod laicus, qui non habet ordinem, baptizare non possit.

2. Præterea. Majus est baptizare quam alia sacramentalia baptismi perficere; sicut catechizare, & exorcizare, & aquam baptismalem benedicere. Sed hæc non possunt fieri a laicis, sed solum a sacerdotibus. (2) Ergo videtur quod multo minus laici possint baptizare.

3. Præterea. Sicut baptismus est sacramentum necessitatis, ita & pœnitentia. Sed laicus non potest absolvere in foro pœnitentia. Ergo neque potest baptizare.

Sed contra est quod *Gelasius I. Papa* (epist. ix. cap. vii.) & *Isidor.* (Lib. II. de offic. cap. xxiv. ad fi.) dicunt, quod *baptizare, necessitate imminente, laicis christianis plerumque conceditur.* (3)

Respondeo dicendum, quod ad misericordiam ejus qui vult omnes homines salvos fieri, pertinet ut in his quæ sunt de necessita-

to

(1) Eadem quæ jam supra ex Beda prænotata quæ sic plenius habet: *Sicut in Apostolis est forma Episcoporum, sic in septuaginta duobus est forma Presbyterorum.*

(2) Quibus proprie opponuntur laici, non sic etiam Diaconis, quia & Diaconi cum laicis aliquo

modo conveniunt.

(3) Sic enim *Gelasius* loco jam superius indicato, seu in *Decretis* distinct. 93. postquam præmisit non licere baptismum Diaconis nisi Episcopo vel Presbytero longius constituto necessitate extrema compellat subdit: *Quod & laicis Christianis facere plerumque*

te salutis, homo de facili remedium inveniat.

Inter omnia autem sacramenta maximæ necessitatis est baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spiritualem: quia pueris aliter omnino subveniri non potest; & adulti non possunt aliter quam per baptismum plenam remissionem consequi & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam.

Et ideo ut homo circa remedium tam necessarium defectum pati non possit, institutum est ut & materia baptismi sit communis, scilicet aqua, quæ a quolibet de facili haberi potest, & minister baptismi etiam sit quicumque non ordinatus, ne propter defectum baptismi homo salutis suæ dispendium patiatur.

Ad primum ergo dicendum, quod baptizare pertinet ad ordinem sacerdotalem secundum quandam convenientiam, & solemnitatem; non autem hoc est de necessitate sacramenti: unde etiam extra necessitatis articulum laicus baptizat, peccat quidem; tamen sacramentum baptismi confert: nec est rebaptizandus ille qui sic est baptizatus.

Ad secundum dicendum, quod illa sacramentalia baptismi pertinent ad solemnitatem non autem ad necessitatem baptismi. Et ideo fieri non debent, nec possunt a laico, sed solum a sacerdote, cuius est solemniter baptizare.

Ad tertium dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. lxxv. art. 3. & 4.) pœnitentia non est tantæ necessitatis sicut baptismus: potest enim per contritionem suppleri defectus sacerdotalis absolutionis, quæ non liberat a tota pœna, (1) nec etiam pueris adhibetur. Et ideo non est simile de baptismo, cuius effectus per nihil aliud suppleri potest.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem convincas de errore temerariam irrisionem Calvinistarum, qua Papistis (ut ajunt) tamquam erroneum imponunt hoc, sc. quod viri non designati ad prædicandum verbum Dei, possunt ministrare baptismum,

(ut patet ex *Calvini* libello contra acta Concilii Tridentini.) Nam sanctus Doctor in presenti articulo tam perspicuis verbis posse fieri illud a laico pro necessitate, non pro solemnitate, nec tamquam ex officio suo, & tantam inde salutem, contraque tantum salutis dispendium, si tunc non baptizaret, provenire docet, ut nulla amplius declaratione opus sit ad demonstrandum, & quod tale dictum de laico nullum penitus errorem continet, & quod prædicta irrisio a Calvinistis profecta est plena erroris. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illum Calvinistarum errorem merito damnari a Christo per locum a simili, Matth. 2. *Non legistis: quod fecerit David, quando esurivit, & qui cum eo erant? Quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit: quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus? Si autem sciretis, quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium: neque condemnassetis innocentes.* Christus enim in his verbis demonstrat, quod quædam sunt solum sacerdotibus universaliter licita, quæ nihilominus laicis, alias eis illicita, in casu necessitatis etiam corporalis licita sunt. Itemque declarat, quod ii, qui misericordiam erga proximos nesciunt, ex tali immiseriordia moti condemnant innocentes, idest, eos, qui urgente necessitate ad quædam licita sibi, alias illicita, manus extendunt. Ad propositum igitur præfens applicando prædicta, quid clarius, & ad errorem Calvinideregendum, atque damnandum, & ad articuli hujus veritatem manifestandam, atque commendandam afferri potest? Certe, si pro salute corporali casus necessitatis facit licitum laicis id, quod solis sacerdotibus, dempto illo casu, est licitum: multo magis utique pro salute spirituali, & tanta, qualem, quantamque concernit baptismus, casus necessitatis de universaliter illicito laicis faciet licitum eisdem, & quod solis sacerdotibus ex officio conveniebat, communicabit pro necessitate laicis. Rufus. Si misericordia placens Deo est, concedere in casu necessitatis corporalis quædam laicis alias non concedenda; & immiseriordia displicens Deo est, condem-

conceditur: Sed Isidorus item ubi supra distinct. 4. de consecrat. cap. *Constat*, postquam præmisit quod baptismus solis sacerdotibus est tractandum ejusque mysterium (sive ministerium) nec ipsis Diaconis explorari licitum est absque Episcopo vel Presbytero, nisi his presentibus ultima languoris necessitas

exigat, subiungit; *Quod & laicis fidelibus plerumque permittitur ne quispiam sine remedio salvandi de hoc seculo evocetur.*

(1) Per se saltem ac secundum se, ut infra ex professo dicitur suo loco.

demnare in tali casu tum concessionem ipsam tum eandem concedentes : multo utique magis misericordia placens Deo erit, concedere in casu necessitatis spiritualis baptismum laicis, idest, ut ipsi baptizent alios, & immisericordia displicens Deo erit, condemnare in tanto casu tum concessionem ipsam, tum concedentes eandem. Catholici ergo (quos pro irrisione vocant Papistas) pro misericordia in tanto casu necessitatis extensa Deo placent : & Calvinistæ prædicti pro immisericordia in eodem casu necessitatis (alioquin irrisione sua, sensum catholicorum non attingerent) ostensa, Deo displicent. Item merito damnari illum errorem per eandem articuli rationem ostendes, a Papa *Gelasio*, & *Isidoro*, ut in *argu. cont.* Vide art. 1. & 2. appen. Item a D. August. ad Fortunatum ut recitatur in de consecr. dist. 4. cap. *sanctum est baptisma*. Tertio vides : quomodo &c.

ARTICULUS IV. 379

Utrum Mulier possit baptizare.

Sup. art. 3. & locis ibidem inductis.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod mulier non possit baptizare. Legitur enim in Carthaginensi Concilio (IV. can. xcix. & c.) quod *mulier quamvis docta, & sancta, viros in conventu docere, vel aliquos baptizare non presumat*. (1) Sed nullo modo licet mulieri docere in conventu, secundum illud I. Cor. xiv. 35. *Turpe est mulieri in Ecclesia loqui*. Ergo viderur quod nec etiam aliquo modo mulieri liceat baptizare.

2. Præterea. Baptizare pertinet ad officium prælationis : unde a sacerdotibus habentibus curam animarum debet accipi baptis-

mus. Sed hoc non potest competere mulieri secundum illud I. Timoth. 11. 12. *Doceri mulieri non permisso, nec domiari in virum, sed esse in silentio*. Ergo mulier baptizare non potest.

3. Præterea. In spirituali regeneratione videtur aqua habere locum materni uteri, ut Augustinus dicit super illud Joan. 111. *Numquid homo potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci?* (tract. xi. in Joan. ante med.) ille autem qui baptizat, videtur magis habere patris officium. Sed hoc non competit mulieri. Ergo mulier baptizare non potest.

Sed contra est quod Urbanus Papa dicit, & habetur in Decr. xxx. quæst. 111. (cap. 1v.) *Super quibus consuluit nos tua dilectio, hoc viderur nobis ex sententia (2) respondendum ut baptismus fit, si instante necessitate fœmina puerum in nomine sanctæ Trinitatis baptizaverit*.

Respondeo dicendum, quod Christus est qui principaliter baptizat, secundum illud Joan. 1. 33. *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem, hic est qui baptizat*. Dicitur autem Coloss. 111. (æquivalenter) quod in Christo non est masculus, & fœmina. Et ideo sicut masculus laicus potest baptizare, quasi minister Christi; ita etiam & fœmina.

Quia tamen *caput mulieris est vir, & caput viri est Christus*, ut dicitur I. Corinth. xi. non debet mulier baptizare, si adsit copia viri; sicut nec laicus præsentem clerico, nec clericus præsentem sacerdote; qui tamen potest baptizare præsentem Episcopo, eo quod hoc pertinet ad officium sacerdotis.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut mulieri non permittitur publice docere, potest tamen privata doctrina vel monitione aliquem instruere; ita non permittitur ei publi-

(1) Ex Concilio Chartaginensi 4. cap. 99. & 100. in Decretis refertur distinct. 4. de consecrat. cap. 20. quæst. incipit *Mulier*, non cap. 29. sicut prius. Foris can. sup. adicito 99. sic scorsim prima pars: *Mulier quamvis docta & sancta, viros, in conventu docere non presumat*: scorsim can. 110 pars posterior sine ullo addito, *Mulier baptizare non presumat*.

(2) Ut in Decreti textu cap. *Super quibus*, non sicut prius *hæc sententia*: Possunt etiam huc referri canones qui laicis indifferenter baptizare permittunt, ut jam supra propter necessitatem imminentem cui succurri aliunde non potest: Quod & cap. *Ad limina* ex Joann. 8. Causa. 30. quæst. 2. propter Stephanum quendam qui cogente necessitate filium suum baptizarat, & propterea per Episcopum Lemovicensem separatus fuerat ab uxore, sic exprimitur: *In-*

culpabile judicandum dicimus quod necessitas insulz Nam hoc baptizandi opus laicis fidelibus juxta canonicam auctoritatem (vel sanctiorem) si necesse fuerit facere libere conceditur. Unde si supradictus genitor filium suum corpore morientem aspiciens, no animam perpetua morte percuntem dimitteres sacri unda baptismatis lavis, us eum de potestate auctoris mortis & tenebrarum eviparet & in regnum Christi jam regnaturum (sive regeneratum) sine dubitatione transmitteres, bene fecisse laudatur, &c. Eadem porro pro mulieribus ratio reddi potest si necessitas immincat; ac propterea illis non immerito concessum est ut eo casu similiter baptizent: Hinc in Decreto Eugenii 4. Post Concilium Florentinum inter baptismum conferentes mulier quoque recenseatur.

publice, & solemniter baptizare, sed tamen potest baptizare in necessitatis articulo.

Ad secundum dicendum, quod quando baptismus solemniter, & ordinariè celebratur, debet aliquis sacramentum baptismi suscipere a presbytero curam animarum habente, vel ab aliquo vice ejus. Hoc tamen non requiritur in articulo necessitatis, in quo potest mulier baptizare,

Ad tertium dicendum, quod in generatione carnali masculus, & femina operantur secundum virtutem propriæ naturæ: & ideo femina non potest esse principium generationis activum, sed passivum tantum. Sed in generatione spirituali neuter operatur in virtute propria, sed instrumentaliter tantum per virtutem Christi: & ideo eodem modo potest vir, & mulier in casu necessitatis baptizare. Si tamen mulier etiam extra casum necessitatis baptizaret, non esset rebaptizandus, sicut & de laico dictum est (art. præc.) peccaret tamen ipsa baptizans, & alii qui ad hoc cooperarentur, vel baptismum ab ea suscipiendo, vel ei baptizandum aliquem offerendo.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem convincas de errore temerariam irrisionem Calvinistarum, qua Papistis (ut ajunt) tanquam erroneum imponunt hoc, scilicet, quod mulier potest ministrare baptismum, ut patet ex *Calv. libel. cont. act. Concil. Trident.* Nam sanctus Doctor in præfenti, &c. Vide a. 3. *append.* & dic per omnia, ut ibi: excepto, quod & loco laici dicas feminam, & adde Papam Urbanum, secundum quod ponitur in *argu. contr.* Ultimo sequatur. *Tertio vides: quomodo &c.*

ARTICULUS V. 380

Utrum non baptizatus possit sacramentum Baptismi conferre,

Sup. art. 3. & locis ibidem notatis.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod ille qui non est baptizatus, non possit sacramentum baptismi conferre. Nullus enim dat quod non habet. Sed non baptizatus non habet sacramentum baptismi. Ergo non potest ipsum conferre.

2. Præterea. Sacramentum baptismi confert aliquis, in quantum est minister Ecclesiæ. Sed ille qui non est baptizatus, nullo modo pertinet ad Ecclesiam, scilicet nec re, nec sacramento. Ergo non potest sacramentum baptismi conferre.

3. Præterea. Majus est sacramentum conferre quam suscipere. Sed non baptizatus non potest alia sacramenta suscipere. Ergo multo minus potest aliquod sacramentum conferre.

Sed contra est quod Isidorus dicit: (1) *Romanus Pontifex non hominem judicat qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet paganus sit qui baptizat.* Sed ille qui est baptizatus, non dicitur paganus. Ergo etiam non baptizatus potest conferre sacramentum baptismi.

Respondeo dicendum, quod hanc questionem Augustinus indeterminatam reliquit. Dicit enim II. contra epistolam Parmeniani (cap. XIII. a med.) *Hæc quidem alia questio est, utrum & ab his qui nunquam fuerunt Christiani, possit baptismus dari: nec aliquid temere inde affirmandum est, sine auctoritate tanti Concilii, quantum tanta rei sufficit.*

Postmodum vero per Ecclesiam determinatum est quod non baptizati, sive sint Judæi, sive Pagani, possunt sacramentum baptismi conferre, dummodo in forma Ecclesiæ baptizent. Unde Nicolaus I. Papa respondet de consecr. dist. IV. cap. XXIV. ad consulta Bulgar. (cap. CIV.) *A quodam Judæo, nescitis utrum Christiano, an Pagano, (2) mul-*

108

(1) Cujus nomine in Decretis refertur, tum cap. *Romanus* dist. 4. de consecrat. quod est 23. non sicut prius 22. tum etiam cap. *Si quis per ignorantiam* causa 1. quest. 1. quod est 59. ut rursum prius notabatur: Expresse autem in Isidoro non haberi Appendix ibi notat, nec Ivo formaliter ex Isidoro ci-

tat sed solummodo ex Isidori dictis infirmat colligi prima parte Decreti cap. 204.

(2) Judæo nempe natione, sed utrum Christiano professione vel Pagano nescitis &c. Quid si forte, *A quodam, utrum Judæo nescitis, an Christiano, an Pagano?*

tos in patria vestra asseritis baptizatos; & quid inde sit agendum, consulitis. Hi profecto si in nomine sanctæ Trinitatis baptizati sunt, rebaptizari non debent; si autem forma Ecclesiæ non fuerit observata, sacramentum baptismi non confertur. Et sic intelligendum est quod Gregorius III. scribit Bonifacio Episcopo (epist. 1. can. 1. hab. cap. III. de consecrat. dist. 4.) Quos a paganis baptizatos esse asseruisti, scilicet Ecclesiæ forma non servata, ut de novo baptizes in nomine Trinitatis mandamus (1).

Et hujus ratio est, quia sicut ex parte materiæ, quantum ad necessitatem sacramen-

ti, sufficit quæcumque aqua; ita etiam sufficit ex parte ministri quicumque homo. Et ideo etiam non baptizatus in articulo necessitatis baptizare potest; ut si duo non baptizati se invicem baptizent, dum prius unus baptizaret alium, & postea baptizaretur ab eodem, & consequeretur uterque non solum sacramentum, sed etiam rem sacramenti. Si vero extra articulum necessitatis hoc fieret, uterque graviter peccaret, scilicet baptizans, & baptizatus; & per hoc impediretur baptismi effectus, licet non tolleretur ipsum sacramentum. (2)

Ad primum ergo dicendum, quod homo bapti-

(1) Refertur in Decretis distinct. 4. de consecrat. cap. 52. quod incipit *Quos a Paganis*, non cap. 51. sicut prius: Inde restitimus porro ut & ex Manu. scripto hujus loci de novo pro de novo sicut impressa passim habent.

(2) Nec vero sic dubium reliquit Augustinus veluti nondum ab Ecclesiâ definitum, quin sibi tamen definiendum videretur: Sic enim ipse lib. 7. de baptismo contra Donatistas cap. 51. *Solet etiam queri utrum approbandum sit baptismus quod ab eo qui non acceptus accipitur: Et intra: Sed nobis tutam non est in ea progredi aliqua temeritate sententia que nullo in catholico regionali Concilio capta, nullo plenario Concilio terminata sunt; id autem fiducia sacre votis asserere quod universalis Ecclesiæ consensione roboratum est. Vt quænam si quis me forte in eo Concilio constitutum ubi salium verum quæstio versatur, non præcedentibus talibus quorum sententias sequi mallet, urgeret ut dicerem quid ipse sentirem, si eo modo affictus essem quo eram cum ista dicerem, nequaquam dubitarem habere eos baptismum qui ubicunque & a quibuscunque illud verbis Evangelicis consecratum sine sua simulatione & cum aliqua fide acceperint; quanquam eis ad salutem spirituali non prodesset si charitate caruissent, quæ catholica inferrentur Ecclesiæ.* Hoc nempe sensu intelligendum quod Basilius Amphilocho scribens negat, baptismum datum ab hæreticis recipiendum esse, id est ab illis quos legitime baptizatos esse non putat, quod in hæresi nati & baptizati a similibus essent: Hos enim hæreticos proprie vocat & a Schismaticis distinguit qui baptismum in Ecclesiâ susceperant, etsi per Schisma in hæresim degenerassent, sine qua nullum schisma contingit; ne temere ac sine causa recessisse ab Ecclesiâ videatur. A Schismaticis ergo baptizatos recipiendos putat Basilius quia baptismum Schismatici verum ac legitimum in Ecclesiâ receperant, de supradictis autem hæreticis non idem putat. Hinc inane argumentum est quod baptismi controversia non sit in Concilio Nicæno terminata, quia post illud scripsit Basilius. Quia nimirum quod in illo statutum erat, non putabat ad eos pertinere qui vete baptizati non essent, quasi baptismus quem dederant, ratus etiam esset definitus; cum peque definitum (ut supra patet) Augustinus

agnoscat: Alioqui quod in eodem Concilio hæretic etiam omnes, exceptis Pauli Samosatensidiscipulis qui Trinitatem non agnoscebat, recepti sint, testatur Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos prope finem, & ex quorundam a huc superstitum testimonio probat qui concilium illud viderant. Quod & omnis hæreticum ibi controversia sopita sit, Athanasius passim urget, ac nominatim ab initio epistolæ quam Episcopo scribit: Quod non aliud Concilium intellexerit Augustinus in quo quæstio de baptismo terminata sit, & nihil minus quam Arelatense intelligendum putaverit, apertissime patet: Primo quia nunquam Arelatense nisi *Episcopalo judicium* appellat, quippe non pro baptismi quæstione tractanda sed pro causa Cæciliani examinanda convocatum; tamen eius auctoritatem ad convincendam Donatistarum perveraciam quanto potest conatu exageret. Secundo, quia cum plenarium Concilium in quæstione de baptismo inculcat, nomen *Arelatensis* non exprimit, quamvis in supradicti Cæciliani causa semper exprimat; quidni autem si plenarium credidisset: Tertio, quia epist. 162. (in qua mirum est sic hallucinari potuisse Conciliorum Gallicanorum editorem ut contrarium inde tam violente colligeret) Donatistas exprobrat quod eum pro causa illa Cæciliani revolvenda restaret illis Concilium Universale postulandum, non postularent illud, sed ad Imperatorem confugerint, qui *sedis illis aliud Arelatense judicium*: Quarto, quia cum plenarium Concilium nominat, semper illud opponit Conciliis quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, & nunc *æcumenicum*, nunc *universi orbis*, nunc *Ecclesiæ universæ*, nunc *ex Catholico orbis terrarum* convocatum appellat, & aliis id genus nominibus quæ Concilio Arelatensi convenire non possunt, nec alteri tunc ulli quam Nicæno, quia nullum aliud ante illa tempora æcumenicum habitum erat cui hæc applicaret: Indignum autem Anticritici prædictoris commentum est, quod pro regionali *plenarium* usurpaverit Augustinus, quia nimirum ironice ac ex Donatistarum sensu loquens qui Ecclesiam plenariam apud se tantum vel in Africæ parte contineri putabant, de Basalensi sic loquitur, nec *plenarium tantum sed & Spiritu sancto assistente conceptum vocat*, an serio & ex proprio sensu? Sed nec secundum Concilium Arelatense obitat, ubi

baptizans adhibet tantummodo ministerium exterius ; sed Christus est qui interius baptizat, qui potest uti omnibus hominibus ad quodcumque voluerit. Et ideo non baptizati possunt baptizare : quia, ut Nicolaus Papa dicit, baptismus non est illorum, scilicet baptizantium, sed ejus, scilicet Christi (Hoc hab. expref. Augustinus Lib. III. cont. Creſcon. cap. vi. in fin.)

Ad secundum dicendum, quod ille qui non est baptizatus, quamvis non pertineat ad Ecclesiam re, vel sacramento, potest tamen ad eam pertinere intentione, & similitudine actus, in quantum scilicet intendit facere quod facit Ecclesia, & formam Ecclesie servat in baptizando ; & sic operatur ut minister Christi, qui virtutem suam non alligavit baptizatis, sicut nec etiam sacramentis.

Ad tertium dicendum, quod alia sacramenta non sunt tantæ necessitatis, sicut baptismus : & ideo magis conceditur quod non baptizatus possit baptizare, quam quod possit alia sacramenta suscipere.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem interimas hæresim Armenorum dicentium : baptizatos ab hæreticis, Judæis, vel Paganis in forma ecclesie catholicæ, fore rebaptizandos. Secundo habes : quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari a Concil. Trident. sessio. 7. de bapt. canon. 4. Si quis dixerit ; baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti cum intentione faciendi quod facit ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit. Hæc ibi. Item a Concilio Florent. in Decret. seu constitution. super union. Armenor. Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui competit ex officio baptizare. In casu autem necessitatis, non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus, & mulier, immo etiam paganus, & hæreticus baptizare potest : dummodo formam servet ecclesie, & facere intendat, quod facit Ecclesia. Hæc ibi. Quæ & valent ad singulos præmissos articulos hujus Summ. S. Th. T. XII.

quæstionis. Item a D. August. ad Fortunatum, & in lib. de unico baptismo, ut recitatur de consecrat. distinct. 4. in necessitate, & cap. solet etiam queri. Quamvis non omnino absolute de mente propria loqui videatur (ut etiam de eo in secundo contra Parymen. dicitur in text. isto) quamvis absolutissime sacro concilio, quodcumque daretur, se remittat semper, magis tamen ex se declinans ad affirmativam, sc. quod baptismus valeat etiam a non baptizato datus. Item ab Isidoro, ut recitatur ibid. distinct. ead. capit. Romanus Pontifex. Secundo vides : quomodo &c.

A R T I C U L U S VI. 381

Librum plures possunt simul unum baptizare.

IV, dist. III. art. 2. quæst. 2. ad 1. & II. dist. VI. quæst. II. art. 4. quæst. 1. ad 3.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod plures possint simul unum baptizare. In multitudine enim continetur unum, sed non convertitur : unde videtur quod quicquid potest facere unus, possint facere multi, & non e converso : sicut multi trahunt navem quam unus trahere non posset. Sed unus homo potest simul plures baptizare. Ergo & plures possunt simul unum baptizare.

2. Præterea. Difficilius est quod unum agens agat in plura, quam quod plures agentes agant simul in unum. Sed unus homo potest simul plures baptizare. Ergo multo magis plures possunt simul unum baptizare.

3. Præterea. Baptismus est sacramentum maximæ necessitatis. Sed in aliquo casu videtur esse necessarium quod plures simul unum baptizent ; puta si aliquis parvulus esset in articulo mortis, & adessent duo, quorum alter esset mutus, & alter manibus, & brachiis careret : tunc enim oporteret quod mutilatus verba proferret, & mutus actum baptismi exerceret. Ergo videtur quod plures possint simul unum baptizare.

E Sed

ubi perperam & corrupte legitur primum illud ex universis mundi partibus congregatum, etenim legi debet ex diversis, ut Patres ipsi qui ad primum convocati sunt, in epistola sua manifeste loquuntur : Ut nec obstat quod præpostera Eusebii versio habet eos ex innumeris vel prope infinitis locis convenisse, cum in didachæ auti ἀναθήτων ex diversis & indicibilibus

locis quæ non ideo indicibilia vocat quod innumera vel infinita essent, alioqui diversa negatorie præmitteret, sed quod ignota propter inusitatas quasdam regiones ; cum non tam multos constet convenisse : Sed hæc alibi plene quæ hic plenius tam angustum spatium non permittit.

Sed contra est quod unius agentis est una actio. Si ergo plures unum baptizarent, videtur sequi quod essent plures baptismi: quod est contra id quod dicitur Ephes. iv. 5. *Una fides, unum baptisma*.

Respondeo dicendum, quod sacramentum baptismi præcipue habet virtutem ex forma, quam Apostolus nominat *verbum vite* Ephes. v. Et ideo considerare oportet, si plures simul unum baptizarent, qua forma uterentur. Si enim dicerent: *Nos te baptizamus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: non conferretur sacramentum baptismi, eo quod non servaretur forma Ecclesiæ, quæ sic habet: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Sed dicunt quidam, quod hoc excluditur per formam baptizandi, qua utitur Ecclesia Græcorum: possent enim dicere: *Baptizetur (1) servus Christi N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti &c.* sub qua forma Græci baptismum suscipiunt: quæ tamen forma multo magis dissimilis est formæ qua nos utimur, quam si dicatur: *Nos te baptizamus*. Sed considerandum est, quod ex tali formæ, *Nos te baptizamus*, exprimitur talis intentio quod plures conveniant ad unum baptismum conferendum: quod quidem videtur esse contra rationem ministerii: homo enim non baptizat, nisi ut minister Christi, & vicem ejus gerens: unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum ministrum, qui Christum repræsentet. Propter quod signanter Apostolus dicit Ephes. iv. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*. Et ideo contraria intentio videtur excludere baptismi sacramentum.

Si vero uterque diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, uterque exprimeret suam intentionem, quasi ipse singulariter baptismum conferret: quod posset contingere in eo casu in quo contentiose uterque aliquem baptizare conaretur: & tunc manifestum est quod ille qui prius verba proferret, daret baptismi sacramentum; alius vero, quantumcumque (*) jus baptizandi haberet, nihil faceret; & si verba pronuntiare præsumeret, esset puniendus tamquam rebaptizator. Si autem omnino simul ambo verba proferrent, & hominem immergerent, aut aspergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, & non de iteratione baptismi: quia uterque intenderet

non baptizatum baptizare; & uterque, quantum est in se, baptizaret. Nec traderent aliud, & aliud sacramentum; sed Christus, qui est unus interius baptizans, unum sacramentum per utrumque conferret.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa locum habet in his quæ agunt propria virtute. Sed homines non baptizant propria virtute, sed virtute Christi, qui cum sit unus, per unum ministrum perficit suum opus.

Ad secundum dicendum, quod in casu necessitatis unus posset simul plures baptizare sub hac forma, *Ego vos baptizo*; puta si immineret ruina, aut gladius, aut aliquid hujusmodi, quod omnino moram non pateretur, ut sigillatim omnes baptizarentur. Nec per hoc diversificaretur forma Ecclesiæ: quia plurale non est nisi singulare geminatum: præsertim cum pluraliter dicatur Matth. ult. *Baptizantes eos &c.* Nec est simile de baptizante; & baptizato; quia Christus, qui principaliter baptizat, est unus; sed multi per baptismum efficiuntur unum in Christo.

Ad tertium dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. lxxvi. art. 3. & 5.) integritas baptismi consistit in forma verborum & in usu materiæ. Et ideo neque ille qui tantum verba profert, baptizat, neque ille qui immergit. Et ideo si unus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborum poterit esse conveniens: neque enim poterit dici, *Ego te baptizo*, cum ipse non immergat, & per consequens non baptizet: neque etiam poterit dici, *Nos te baptizamus* cum neuter baptizet: si enim duo sint, quorum unus unam partem libri scribat, & alius aliam, non erit propria locutio, *Nos scripsimus librum istum*, sed synecdochica, in quantum totum ponitur pro parte.

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a Concilio, quod plures non possunt simul baptizare unum. Nam Concilium *Lateranense* sub *Inno. III.* celebratum, dicit in de sum. Trin. & fid. cap. *firmiter*: „ Sacramentum „ baptismi, quod ad Dei invocationem, & „ individuz Trinitatis, videlicet Patris, & „ Filii, & Spiritus sancti consecratur in aqua „ tam parvulis, quam adultis, in forma ec- „ clesiæ a quocumque rite collatum, proficit „ ad

(1) Sive *Baptizetur*, ut supra notavimus.

(*) Ita cum plurimis mss. edicet *passim*. Al. intentionem baptizandi.

ad salutem . Hæc ibi . Per hoc enim quod dicit *ly in forma ecclesie* , & *ly a quocumque* insinuat propositum . Formam siquidem ecclesie plures simul baptizantes servare non possunt (ut ostensum fuit per dicta circa *primam* conclusionem) & ideo , secundum concilium baptizare simul non possunt . Rursus . Cum intentum ipsius Concilii (ut patet per *ly a quocumque*) sit , extensissime loqui de ministris , idest assignare omnes , qui possunt sacramentum baptismi conferre , sicut propter hanc suam intentionem assequendam dixit *ly a quocumque* , idest sive clerico , sive non clerico , sive masculino , sive femina , sive baptizato , sive non baptizato , sive hæretico , sive schismatico , sive catholico , sive bono , sive malo , &c. ita propter eandem rationem adjunxisset *ly a quibuscumque* , si baptismum per plures simul conferri posse vidisset . Ex ista ergo taciturnitate sua intentioni illi suæ universalissimæ conjuncta denotavit intentum . Ac si apertius dixerit . Ideo baptizatos non appono in numero plurali : quia plures simul unum baptizare non possunt . *Secundo* vides : quomodo &c.

ARTICULUS VII. 382

Utrum in Baptismo requiratur aliquis qui baptizatum levet de sacro fonte .

Inf. art. 8. ad 1.

AD septimum sic proceditur . Videtur quod in baptismo non requiratur aliquis qui baptizatum de sacro fonte levet . Baptismus enim noster per baptismum Christi consecratur , & ei conformatur . Sed Christus baptizatus non est ab aliquo de fonte susceptus ; sed , sicut dicitur Matth 111. 16. *baptizatus Jesus confestim ascendit de aqua* . Ergo videtur quod nec in aliorum baptismo requiratur aliquis qui baptizatum de sacro fonte suscipiat .

2. Præterea . Baptismus est spiritualis generatio , ut dictum est (art. 3. hu. quæst.) Sed in carnali generatione non requiritur nisi principium activum , quod est pater , & principium passivum , quod est mater . Igitur cum in baptismo locum patris obtineat ille qui baptizat , locum autem matris ipsa aqua baptismi , ut Augustinus dicit in quodam sermone Epiphaniæ (1. Dom. infr. octav.) videtur quod non requiratur aliquis alius qui baptizatum de sacro fonte levet .

3. Præterea . In sacramentis Ecclesie nihil

derisorium fieri debet . Sed hoc derisorium videtur quod adulti baptizati , qui seipfos sustentare possunt , & de sacro fonte exire , ab alio suscipiantur . Ergo videtur quod non requiratur aliquis , præcipue in baptismo adultorum , qui baptizatum de sacro fonte levet .

Sed contra est quod Dionysius dicit 11. cap. eccl. Hier. (ante med.) quod *sacerdotes assumentes baptizatum , tradunt eum ad educationem susceptori , & duci* .

Respondeo dicendum , quod spiritualis regeneratio , quæ fit per baptismum , assimilatur quodammodo generationi carnali : unde dicitur I. Petri 11. 2. *Sicut modo genti infantes , rationabiles , sine dolo , lac concupiscite* . In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice , & pædagogo . Unde & in spirituali generatione baptismi requiritur aliquis qui fungatur vice nutricis , & pædagogi , informando , & instruendo eum , quasi novitium in fide , de his quæ pertinent ad fidem , & vitam christianam , ad quod prælati Ecclesie vacare non possunt circa communem curam populi occupati : parvulienim & novitii indigent speciali cura præter communem : & ideo requiritur quod aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte , quasi in suam instructionem , & tutelam .

Et hoc est quod Dionysius dicit ult. cap. eccl. Hierarch. (versus fin.) *Divinis nostris ducibus* , idest Apostolis , *ad mentem venit , & visum est suscipere infantes secundum istum sanctum modum , quod naturales pueri parentes traderent puerum cuidam docto in divinis pædagogo , & reliquum sub ipso puer ageret , sicut sub divino patre , & salvationis sancte susceptore* .

Ad primum ergo dicendum , quod Christus non est baptizatus , ut ipse regeneraretur sed ut alios regeneraret : & ideo post baptismum non indiguit pædagogo , tamquam parvulus .

Ad secundum dicendum , quod in generatione carnali non requiritur ex necessitate nisi pater , & mater ; sed ad facilem partum & educationem pueri convenientem requiritur obstetrix , & nutrix , & pædagogus : quorum vicem implet in baptismo ille qui puerum de sacro fonte levet . Unde non est de necessitate sacramenti ; sed unus solus potest in aqua baptizare , necessitate imminente .

Ad tertium dicendum , quod baptizatus non suscipitur a patrino de sacro fonte propter imbecillitatem corporalem , sed propter imbecillitatem spiritualem , ut dictum est (in corp. art.)

APPENDIX.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse infirmatum a scripturis, Papa, & conciliis, quod requiritur aliquis, qui baptizatum de sacro fonte levet. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Matt. vigesimo octavo. *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.* Ecce: quod, postquam aliquos baptizaverint, tenentur docere eosdem mandata Dei, quæ solvent, contra hæreticos, aliquosque alios solum baptismum, absque observatione omnium mandatorum Christi, ad salutem sufficere contententes. Ex eo enim, quod baptizantes non facile possunt per seipsos exequi hoc, intelligimus, quod Christus in illo præcepto ad Apostolos intendebat, quod ipsi per alios etiam possent exequi illud de doctrina erga jam baptizatos. Hi vero, per quos illud executioni mandare intendunt sacerdotes erga a se baptizatos, vocantur patrini: & hi sunt, qui baptizatum de sacro fonte levent. Ac si ergo ibi ad sacerdotes aperte dixisset Christus: *Docete gentes* (hic est prævius catechismus) antequam baptizetis eas, & postea easdem baptizatas instruite adhuc eas, sive per vos, sive per paternos, de doctrina Christiana, cui servandæ per baptismum se obligaverunt. A Papa item Leone idipsum in principio dictum infirmatur in quodam suo decreto sic. *Non plures ad suscipiendum de baptismo infantem accedant, quam unus, sive vir, sive mulier. In confirmatione quoque idipsum faciant. Hæc ibi, & recitantur De consecr. dist. quarta. Item ab Higinio Papa. In catechismo, & in baptismo, & in confirmatione unus patrinus fieri potest, si necessitas cogit, non est tamen consuetudo Romana, sed ut semper singuli suscipiant.* Hæc ille: & recitantur de consecr. dist. ead. A Concilio Trident. etiam sess. 24. de reform. matrim. cap. secundo. „ Sancta synodus statuit, ut „ unus tantum sive vir, sive mulier (juxta „ sacrorum canonum instituta) vel ad „ summum unus, & una baptizatum de „ ptismo suscipiant. *Et infra.* Parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat; diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, &c. Quod, si alii ultra designatos, baptizatum

„ tetigerint, cognationem spiritualem nullæ „ pacto contrahant. *Hæc ibi. Item a Concilio Moguntinensi.* In baptismo, vel in „ chrismate non potest alium suscipere in „ filium ipse, qui non est baptizatus, vel „ confirmatus. *Hæc illud: & recitantur in De consecr. dist. 4. Item a Concilio Antiodorensi.* Non licet Abbati, vel monacho „ de baptismo suscipere filios, nec comman- „ tres habere. „ Hæc illud: quæ recitantur in De consecr. dist. ead. *Secundo* vides: quomodo &c.

ARTICULUS VIII. 383

Utrum ille qui aliquem levat de sacro fonte, teneatur ad ejus instructionem.

Inf. quest. lxxi. art. 1. ad 3. & IV. dist. vi. quest. 11. art. 2. quest. 3. cor. & ad 3.

AD Octavum sic proceditur. Videtur quod, ille qui suscipit aliquem de sacro fonte, non obligetur ad ejus instructionem. Quia nullus potest instruere nisi instructus. Sed etiam quidam non instructi, sed simplices admittuntur levare aliquem de sacro fonte. Ergo ille qui suscipit baptizatum, non obligatur ad ejus instructionem.

2. Præterea. Filius magis potest a patre instrui quam ab alio extraneo: nam filius habet a patre esse, & nutrimentum, & disciplinam, ut Philosophus dicit in VIII. Ethic. (cap. xii. cir. med.) Si ergo ille qui suscipit baptizatum, teneretur eum instruere, magis esset conveniens quod pater carnalis filium suum de fonte susciperet, quam aliquis alius; quod tamen videtur esse prohibitum, ut habetur in Decret. xxx. quest. 1. (cap. *Pervenit*, & cap. *Dictum est*.)

3. Præterea. Plures magis possunt instruere quam unus solus. Si ergo ille qui suscipit aliquem baptizatum, teneretur eum instruere, magis deberent plures suscipere quam unus solus: cujus contrarium habetur ex decreto Leonis Papæ (quod hab. cap. ci. de consecr. dist. iv.) *Non plures, inquit, ad suscipiendum de baptismo infantem, quam unus, accedant, sive vir, sive mulier.*

Sed contra est quod Augustinus dicit in quodam sermone paschali (vii. in Dom. in albis

albis (1) *Vos ante omnia tam viros, quam mulieres, qui filios in baptisate susceperitis, moneto, ut vos cognoscatis fidei iussores apud Deum extitisse pro illis quos visi estis de sacro fonte suscipere.*

Respondeo dicendum, quod unusquisque obligatur ad exequendum officium quod accepit. Dicitur est autem (art. præc.) quod ille qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium pædagogici: & ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret, sicut eo tempore, & loco in quo baptizati inter infideles nutriuntur.

Sed ubi nutriuntur inter catholicos Christianos, satis possunt ab hac cura excusari, præsumendo quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum salutis spiritualium filiorum curam impendere.

Ad primum ergo dicendum, quod ubi immineret periculum, oporteret esse aliquem doctorem in divinis, sicut Dionysius dicit (cap. vii. eccles. Hierar. vers. si.) qui baptizatum de sacro fonte susciperet: sed ubi hoc periculum non imminet, propter hoc quod pueri nutriuntur inter catholicos, admittuntur quicumque ad hoc officium: quia ea que pertinent ad christianam vitam, & fidem, publice omnibus nota sunt. Attamen ille qui non est baptizatus, non potest suscipere baptizatum, ut est declaratum in Concilio Moguntino: (2) licet non baptizatus possit baptizare: quia persona baptizantis est de necessitate sacramenti, non autem persona suscipientis, sicut dictum est (art. præc. ad 2.)

Ad secundum dicendum, quod sicut est alia generatio spiritualis a carnali; ita etiam debet esse alia disciplina, secundum illud Hebr. xii. 9. *Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerabamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, & vivemus?* Et ideo alius debet esse pater spiritualis a patre carnali, nisi necessitas contrarium exigat. (3)

Ad tertium dicendum, quod confusio esset disciplinæ, nisi esset unus principalis instructor: & ideo in baptismo unus debet esse principalis susceptor; alii tamen possunt admitti quasi coadjutores.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse ininuatum a scripturis, & August. quod susceptor baptizati de sacro fonte obligatur ad ejus instructionem. A D. Aug. quidem, ut est in *arg. cont.* Ut vero melius a te intelligatur sensus inclusus in *ly fidei iussores pro illis*, audi frequentia ex eodem. Subinfert enim Beatus August. mox dicens. „ Ideoque semper eos admonete, ut castitatem custodiant, iustitiam „ diligant, charitatem teneant, ante omnia „ symbolum, & orationem dominicam & „ vos ipsi tenete, & illis, quos accepistis „ de sacro fonte, ostendite. „ Hæc ille, ut recitantur in De consecr. distinct. 4. c. *vos ante omnia*. Hinc, quia suscipiens, scilicet paterius est fidei iussor pro filio spirituali talis, qualem depinxit B. Aug. & etiam scriptura sacra (ut nunc dicitur) factum est, ut ecclesia statuerit,

(1) Refertur in Decretis de consecrat. distinct. 4. cap. *Vos ante omnia* ut ex sermone Dominicæ 1. post Pascha qui sic incipit, *Hodierna dies*; & similiter Ivo refert. 7. parte Decreti cap. 134. ac 11. parte cap. 17. Sed in illo sermone qui potius incipit, *Hodierno die*, nihil tale habetur: Notari autem ex alio ibidem præcedente debuit, qui sic incipit *Pascha Christi*, & septimus est pro Dominica illa, sed 173. de tempore: Similia etiam in serm. 215. de tempore, sive serm. 1. Dominicæ 10. post octavas Trinitatis qui *de christiano nomine* inferibitur.

(2) Ex quo refertur in Decretis de consecr. distinct. 4. cap. *In baptismo* quod est 109. non 101. sicut prius.

(3) Hoc ergo est, quod capite Porrovis decernitur: *Ubi cum quidam viri & mulieres in Sabbato Paschali præ magno populorum incurfu nescientes proprios filios suscepissent ex lavacro sacro, sic Deus dedit Papa; Mafsi ex hac re (inquit) inquisi-*

vimus priorum Patrum nostrorum dicta. Invenimus autem in Archivis hujus Apostolicæ Sedis jam talia contigisse in Ecclesia Isaurie, Ephætorum, Hierosolymæ aliarumque civitatum: Episcopis etiam eorum civitatum ab hac Apostolica Sede scire volentibus utrum viri ac mulieres redirent ad proprium solum, beate memorie sanctissimi Patres Julius, Innocentius, & Celestinus cum Episcoporum plurimorum & Sacerdotum consensu (vel conventu) in Ecclesia Apostolorum Principis prohibentes talia præscripserunt & confirmaverunt ut nullo modo se in conjugio reciperent viri ac mulieres qui quacumque ratione susceperint natos proprios, ne suadente diabolo tale vitium inolefcat: Sed cap. Dicitur est Ex Concilio Cabilonensi 2. cap. 31. Dignum duximus ut si qua mulier filiam suam deſidia aut fraude aliqua coram Episcopo renuerit ad confirmandum propter fallaciam suam aut propter fraudem quando vivet, agat penitentiam; & viro tamen suo non speretur, &c.

rit, quod non baptizatus, idest qui non est vere fidelis, non suscipiat in filium aliquem in baptismo, seu non sit patrinus. Vide *a. 7. ap. Concilium Moguntinense*. Cum enim infidelis, sive sit hæreticus, sive judæus, sive paganus, non teneat symbolum fidei, 2. 2. *q. 5. a. 3.* quod tamen ante omnia tenentur patrini tempore opportuno docere filios suos spirituales: quomodo poterit infidelis ipse esse talis sivejssor? A scripruris autem innuatur per hoc, quod tanquam ad patrilios dicitur *Matth. 28. docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis*. Hoc est. A sacerdotibus baptizatos, quos in filios tunc eos de baptismo levantes suscepistis, docete doctrinam Christianam. De quo plenius vide eundem locum *Mat. expositum a. 7. ap.* Ex his omnibus patet esse verissimum illud *Concilii Trid. sess. 7. de baptismo, can. 7.* „ Si „ quis dixerit; baptizatos per baptismum ipsum „ solius tantum fidei debitores fieri: non autem „ universæ legis Christi servandæ, anathema „ sit. „ Hæc ibi. Ideo enim patrini ad filios instruendos de prædictis adstricti sunt, quia filii sic per baptismum ad prædicta servanda obligati fuerunt: ita, ut ista sit demonstratio ab effectu ad causam. *Secundo* vides: quomodo &c.

Q U Æ S T I O LXVIII.

De suscipientibus Baptismum,

In duodecim articulos divisa.

DEinde considerandum est de suscipientibus baptismum: & circa hoc quæruntur duodecim.

Primo, utrum omnes teneantur ad suscipiendum baptismum.

Secundo, utrum aliquis possit salvari sine baptismo.

Tertio utrum baptismus sit differendus.

Quarto, utrum peccatores sint baptizandi.

Quinto, utrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria.

Sexto, utrum requiratur confessio peccatorum.

Septimo, utrum requiratur intentio ex parte baptizati.

Octavo, utrum requiratur fides.

Nono, utrum pueri sint baptizandi.

Decimo, utrum pueri Judæorum sint baptizandi invitis parentibus.

Undecimo, utrum aliqui sint baptizandi in maternis uteris existentes.

Duodecimo, utrum surdus, & amentes sint baptizandi.

A R T I C U L U S I. 384

Utrum omnes teneantur ad susceptionem Baptismi.

Inf. quest. lxx. art. 2. ad 3. & IV. dist. 1v. quest. 111. art. 3. quest. 2. co. & ad 3. & dist. vi. quest. 1. art. 1. quest. 1. cor. & IV. cont. cap. lxxi.

AD primum sic proceditur. Videtur quod non teneantur omnes ad susceptionem baptismi. Per Christum enim non est hominibus arctata via salutis. Sed ante Christi adventum poterant homines salvari sine baptismo. Ergo & post Christi adventum.

2. Præterea. Baptismus maxime videtur esse institutus in remedium peccati originalis. Sed ille qui est baptizatus, cum non habeat originale peccatum, non videtur quod possit illud transfundere in prolem. Ergo filii baptizatorum non videntur esse baptizandi.

3. Præterea. Baptismus datur ad hoc quod aliquis per gratiam a peccato mundetur. Sed hoc consequuntur illi qui sunt sanctificati in utero sine baptismo. Ergo non tenentur ad suscipiendum baptismum.

Sed contra est quod dicitur *Joan. 111. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei: & Lib. de eccl. dogmatibus (cap. lxxiv. (1) dicitur: Baptizatis tantum iter salutis esse credimus.*

Respondeo dicendum, quod ad illud homines tenentur sine quo salutem consequi non possunt. Manifestum est autem quod nullus potest salutem consequi nisi per Christum. Unde

(1) Inter opera Augustini suppositicia to. 3. sed Gennadii potius est, ut jam non semel notavimus: Habetur autem ibi cap. 74. illud quod hic refertur, non etiam cap. 24. ut prius notabatur: ubi dicitur tantum nemo baptismatis gratia renovatus idemque

esse ad superandas diabolicas insidias & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bona conversationis acceperit.

Unde & Apostolus dicit Rom. v. 18. *Sicut per unius delictam in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem visa.*

Ad hoc autem datur baptismus ut aliquis per ipsum regeneratus incorporetur Christo, factus membrum ipsius: unde dicitur Galat.

III. 27. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Unde manifestum est quod omnes ad baptismum tenentur, & sine eo non potest esse salus hominibus.

Ad primum ergo dicendum, quod numquam homines potuerunt salvari etiam ante Christi adventum, nisi fierent membra Christi: quia, ut dicitur Act. 17. 12. *non est aliud nomen (1) datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Sed antea adventum Christi homines Christo incorporabantur per fidem futuri adventus; cuius fidei signaculum erat circumcisio, ut Apostolus dicit Rom. 14. ante vero quam circumcisio institueretur, sola fide, ut Gregorius dicit (Lib. IV. Moral. cap. 111. a princ.) cum sacrificiorum oblatione, quibus suam fidem antiqui patres profitebantur, homines Christo incorporabantur. Post adventum etiam Christi homines per fidem Christo incorporantur, secundum illud Ephes. 111. 17. *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Sed alio signo manifestatur fides rei jam presentis, quam demonstraretur, quando erat futura; sicut etiam aliis verbis significatur presentis, prateritum, & futurum. Et ideo licet ipsum sacramentum baptismi non semper fuerit necessarium ad salutem; fides tamen, cuius baptismus sacramentum est, semper necessaria fuit.

Ad secundum dicendum, quod, sicut in secunda parte dictum est (1. 2. quæst. lxxx1. art. 3. ad 2.) illi qui baptizantur, renovantur per baptismum secundum spiritum; corpus tamen remanet subjectum vetustati peccati, secundum illud Rom. viii. 10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum; spiritus vero vivis propter justificationem.* Unde & Augustinus probat in Lib. VI. contra Julianum

(cap. xvii. cir. med.) quod non baptizatur in homine quicquid in eo est. Manifestum est autem quod homo non generat generatione carnali secundum spiritum, sed secundum carnem. Et ideo filii baptizatorum cum peccato originali nascuntur: unde indigent baptizari.

Ad tertium dicendum, quod illi qui sunt sanctificati in utero, consequuntur quidem gratiam emundantem a peccato originali; non tamen ex hoc ipso consequuntur characterem, quo Christo configurantur. Et propter hoc si aliqui nunc sanctificarentur in utero, necesse esset eos baptizari, (2) ut per susceptivam characteris aliis membris Christi conformarentur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim *Brentii* dicentis: baptismum sacramentum esse liberum. Hoc est. Homines non teneri ad suscipiendum illud. Et hæresim *Alascani* dicentis, baptismum esse penitus rejiciendum. Secundo habes, quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari a Concilio *Trid.* sess. 7. de baptis. can. 5. „ Si quis dixerit, baptismum liberum esse, scilicet, hoc est, non necessarium ad salutem: anathema sit. *Hæc ibi.* Item *Joan.* 3. Nisi quis renatus, &c. ut in *arg. contr.* Item ab *Ecclesiast. dogm. at. ut ibidem.* Item a Concilio *Florent.* Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptismum, quod vitæ spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficiuntur ecclesiæ. Et, cum per primum hominem mors introjerit in universos, nisi ex aqua, & Spiritu sancto renascamur, non possumus (ut inquit veritas) in regnum cælorum introire. *Hæc ibi.* Item a *Marc.* 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Hoc est. Qui vero non crediderit, & baptizatus non fuerit; condemnabitur.

(1) Adde *sub celo*, sicut ibi vers. 12. exprimitur, ut solummodo comparatio fiat ad homines quorum nullius nomen salvos facit: Alioqui salvantur in nomine Patris etiam & Spiritus sancti; sed nomen illud supra cælos. Quod autem paulo infra ex Gregorio indicatur, & prius ex cap. 2. libri 4. Moralium indicabatur ad marginem, colligitur potius ex cap. 3. in modernis Exemplaribus ubi ait: *Quisquis regenerationis unda non solvitur, reatus primi*

*vinculis alligatus tenetur: Quod vero apud nos videtur aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex *Abvaba* stirpe prodierant, mysterium circumcissionis, &c.*

(2) Quamvis eorum sanctificatio nota esset; sicut S. Iohannes, etiam sanctificatus in utero, circumcisus est *Lug.* 1.

bitur. Unde S. Amb. quasi id exponens, lib. 2. de vocatione gent. c. octavo, dicit. *Neque credi fas est; eos, qui regenerationis non adepti sunt sacramentum, ad ullum beatorum pertinere consortium.* Et D. August. quasi eundem locum interpretatus lib. de origine animæ, scribens ad B. Hierony. ait, *Neque negare fas est nobis, eas, etiam parvulorum, animas, quæ sine Christi sacramento de corpore exierunt, non nisi in damnationem trahi.* Hæc ille. Tertio vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S II. 385

Utrum sine Baptismo aliquis possit salvari.

3. 2. quæst. cxiii. art. 3. ad 1. & IV. dist. iv. quæst. lli. art. 3. quæst. 2. cor. & ad 3. & IV. cons. cap. lxxii. & quod. 1. art. 4. & Joan. vi. lec. 7.

AD secundum hæc proceditur. Videtur quod sine baptismo nullus possit salvari. Dicit enim Dominus Joan. iiii. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Sed illi soli saluantur qui regnum Dei intrant. Ergo nullus potest salvari sine baptismo, quo aliquis regeneratur ex aqua, & Spiritu sancto.

2. Præterea. In Lib. de ecclesiast. dogmatibus (cap. lxxiv.) dicitur: *Nullum catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam eternam habere credimus, excepto martyrio, ubi totum sacramentum baptismi completur.* (1) Sed si aliquis sine baptismo posset salvari, maxime hoc haberet locum in catechumenis bona opera habentibus, qui videntur habere fidem per dilectionem operantem. Ergo videtur quod sine baptismo nullus possit salvari.

3. Præterea. Sicut supra dictum est (quæst.

lxv. art. 3. & 4.) sacramentum baptismi est de necessitate salutis. Necessarium autem est, sine quo non potest aliquid esse, ut dicit V. Metaph. (tex. 6.) Ergo videtur quod sine baptismo nullus possit consequi salutem.

Sed contra est quod Augustinus dicit super Leviticum (quæst. xlviii.) *invisibilem sanctificationem quibusdam affuisse, & profuisse sine visibilibus sacramentis; visibilem vero sanctificationem, quæ fit sacramento visibili, (2) sine invisibili posse adesse, sed non posse prodesse.* Cum igitur sacramentum baptismi ad visibilem sanctificationem pertineat, videtur quod sine sacramento baptismi aliquis possit salutem consequi per invisibilem sanctificationem

Respondeo dicendum, quod sacramentum baptismi dupliciter potest alicui deesse. Uno modo & re, & voto: quod contingit illis qui nec baptizantur, nec baptizari volunt: quod manifeste ad contemptum sacramenti pertinet, quantum ad illos qui habent usum liberi arbitrii. Et ideo hi quibus hoc modo deest baptismus, salutem consequi non possunt: quia nec sacramentaliter, nec mentaliter Christo incorporantur, per quem solum est salus.

Alio modo potest sacramentum baptismi alicui deesse re, sed non voto; sicut cum aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu prævenitur morte, antequam baptismum suscipiat: & talis sine baptismo actuali salutem consequi potest, propter desiderium baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interioriter hominem sanctificat, cujus potentia sacramentis visibilibus non alligatur. Unde Ambrosius dicit (in Lib. de obitu Valentinian.) aliquant. a med.) de Valentiniano, qui catechumenus mortuus fuit: *Quem regeneratus eram, amisit; verumtamen ille gratiam, quam poposcit, non amisit.* (3)

Ad

(1) Ex cap. 74. Immediate post superius indicata sumptum est, verbis paululum immutatis, nempe hæc; *Ubi tota Baptismi Sacramenta complentur: ut & refertur in Decretis de consecrat. distinct. 4. cap. Catechumenum, sive 37. non 36. sicut prius.*

(2) Vel per visibilia Sacramenta, ut expressius ibi habet: *Ubi & addit: Nec tamen ideo Sacramentum contemendum est: Nam contempor ejus invisibiliter sanctificari nullo modo potest.* Hinc est quod Cornelius & qui cum ipso erant, cum jam invisibiliter infuso sancto Spiritu sanctificati apparerent, baptizati sunt tamen; nec superflua judicata est visibilis sanctificatio quam invisibilis jam præcesserat, ut Act. 10. videre est. Sic sacerdotem sanctificare dicitur Deus Levit. 21. vers. 15. Moyses autem Exod. 29. vers. 24. Sed *Moses invisibilibus sacramen-*

tis per ministerium suum; Dominus autem invisibilis gratiam per Spiritum sanctum, ubi est totus fructus etiam visibilium sacramentorum, ut ibidem præmittit.

(3) Sive paulo aliter de obitu Valentiniani aliquantulum ante medium *Quis me consolabitur a quo alii petunt consolationis officium? quoniam quem in Evangelio eram generaturus, amisit. Sed ille non amisit gratiam quam poposcit: Et postea: Audio vos dolere quod non acceperis sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc vos habuit, & proxime se baptizari a me velle significavit: Non habes ergo gratiam quam desideravit? Non habes quam poposcit? Certo quis poposcit, accepit, &c.*

Ad primum ergo dicendum, quod sicut dicitur I. Reg. xvi. 7. *Homo vides ea que parent; Dominus autem intuetur cor.* Ille autem qui desiderat per baptismum regenerari ex aqua, & Spiritu sancto, corde quidem regeneratus est, licet non corpore; sicut & Apostolus dicit Rom. II. 29. *quod circumcisio cordis est, in spiritu, non littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*

Ad secundum dicendum, quod nullus pervenit ad vitam æternam, nisi absolutus ab omni culpa, & reatu poenæ: quæ quidem universalis absolutio fit in perceptione baptismi, & in martyrio: propter quod dicitur, quod in martyrio omnia sacramenta baptismi complentur, scilicet quantum ad plenam liberationem a culpa, & poena. Si quis ergo catechumenus sit habens desiderium baptismi, quia aliter in bonis operibus non moreretur, quæ non possunt esse sine fide per dilectionem operante, talis descendens non statim pervenit ad vitam æternam, sed patietur poenam pro peccatis præteritis; ipse tamen *salvus erit sic quasi per ignem*, ut dicitur I. ad Cor. III. 5.

Ad tertium dicendum, quod pro tanto dicitur sacramentum baptismi esse de necessitate salutis, quia non potest esse homini salus, nisi saltem in voluntate habeatur, quæ apud Deum reputatur pro facto.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, & in sensu recto intelligas, merito esse insinuatam a scripturis, August. & concilio: quod aliquis potest salvari sine baptismo. A D. August. quidem; ut ponitur in arg. cons. A Concil. Trid. quoque quod, postquam dixerat sess. 6. ca. 7. hæc verba. *Sacramentum baptismi est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio*, deinde ait sess. 7. de sacramentis, can. 4. „ Si quis dixerit: sine eis sacramentis, „ aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci; „ anathema sit. Item sess. 6. c. 4. si. Item „ ibi. c. 14. dicit. Poena æterna, vel sacramento, vel sacramenti voto, una cum culpa remittitur. Hæc ibi. A scripturis item *Somm. S. Th. Tom. XII.*

per hoc, quod narratur Act. 10. Cornelium centurionem cum quibusdam suis recepisse Spiritum sanctum, quo & linguis loquebatur antequam actualiter baptizaretur a B. Petro, quem ex voto salutis suæ, ideoque ex voto baptismi virtualiter concepto, vocaverat. Item per illud Psal. 9. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Talium enim pauperum, idest humilium, utpote in quorum orationem respicit, & non spernit preces eorum, Psal. 101. est votum, de quo loquimur: & sub hac universalis ad particulare nostrum descendendo, est votum baptismi. Dominum autem exaudire desiderium pauperum, sic in particulari loquendo, est homines ex voto baptismi posse consequi salutem. Exauditio siquidem talis desiderii sonat in salutem, juxta illud ad Moysen Exod. 14. *Quid clamas ad me? Loquere filiis tuis. Tu autem eleva virgam tuam &c. Secundo vides: quomodo, &c.*

A R T I C U L U S III. 386

Utrum Baptismus sit differendus.

IV. dist. IV. quest. III. art. I. quest. 2. & dist. XVII. quest. III. art. I. quest. 4. co. & mal. quest. IV. art. I.

A D tertium sic proceditur. Videtur quod baptismus sit differendus. Dicit enim Leo Papa (epist. IV. cap. V. (1) *Duo tempora, Pascha, & Pentecoste, ad baptizandum a Romano Pontifice legitime prefixa sunt. Unde dilectionem vestram monemus ut nullos alios dies hujus observationi miscatis.* Videtur ergo quod oporteat non statim aliquem baptizari, sed usque ad prædicta tempora baptismum differri.

2. Præterea. In Concilio Agathensi (can. xxxiv. & hab. cap. xciii. de consecrat. dist. IV.) legitur: *Judei, quorum perfidia frequenter ad vomitum redit, si ad leges catholicas venire voluerint, octo menses inter catechumenos Ecclesie limen invocans; & si pura fide venire noscantur, tunc demum baptismi gratiam mereantur.* Non ergo statim sunt homines baptizandi; sed usque ad certum tempus differendum baptismus.

3. Præterea. Sicut dicitur Isaia xxvii. 9. *F iste*

(1) Sicut refertur in Decretis de consecrat. distinct. 4. cap. Duo tempora: Sic autem tantum Leo in epistola ad Decretali c. 1. *Quia manifestissime patet (Apostolica auctoritate, ut præmiserat cap. 4.) baptizandis in Ecclesia electi hæc duo tempora de*

quibus loquuti sumus (Pascha & Pentecoste) esse legitima, dilectionem vestram monemus, &c. Quod subjungitur porro ex Concilio Agathensi; refertur ubi sup. dist. 4. de consecrat. in cap. *Judei*: sed ex canone 4. male prænotatur; nisi series mutata est.

iste est omnis fructus, ut auferatur peccatum. Sed magis videtur auferri peccatum, vel etiam diminui, si baptismus diu differatur. Primo quidem quia peccantes post baptismum gravius peccant, secundum illud Heb. x. 29. *Quanto magis putatis deteriora merere supplicia qui sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est?* scilicet per baptismum. Secundo quia baptismus tollit peccata præterita, non autem futura: unde quanto magis baptismus differitur, tanto plura peccata tollit. Videtur ergo quod baptismus debeat diu differri.

Sed contra est quod dicitur Eccli. v. 8: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* (1) Sed perfecta conversio ad Deum est eorum qui regenerantur in Christo per baptismum. Non ergo debet baptismus differri de die in diem.

Respondet dicendum, quod circa hoc distinguendum est, utrum sint baptizandi pueri, vel adulti. Si enim pueri sint baptizandi, non est differendum baptismum; primo quidem quia non expectatur in eis major instructio, aut etiam plenior conversio; secundo propter periculum mortis, quia non potest eis alio remedio subveniri nisi per sacramentum baptismi. (2)

Adultis vero subveniri potest per solum baptismum desiderium, ut supra dictum est (art.

præc.) Et ideo adultis, non statim cum convertuntur, est sacramentum baptismi conferendum, sed oportet differre usque ad aliquod certum tempus. Primo quidem propter cautelam Ecclesiarum, ne decipiatur, sacramentum fidei accedentibus conferens, secundum illud I. Joan. 1v. 1. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint:* quæ quidem probatio sumitur de accedentibus ab baptismum, quando per aliquod spatium eorum fides, & mores examinantur. Secundo hoc est necessarium ad utilitatem eorum qui baptizantur; quia aliquo temporis spatio indigent, ad hoc quod plene instruantur de fide, & exercitentur in his quæ pertinent ad vitam christianam. Tertio hoc est necessarium ad quandam reverentiam sacramenti, dum in solemnitatibus præcipuis, scilicet Paschæ, & Pentecostes; homines ad baptismum admittuntur; & ita devotius sacramentum suscipiunt.

Hæc tamen dilatio est prætermittenda duplici ratione. Primo quidem quando illi qui sunt baptizandi, apparente perfecte instructi in fide, & ad baptismum idonei; sicut Philippus statim baptizavit Eunuchum, ut habetur Act. viii. & Petrus Cornelium, & eos qui cum eo erant, ut habetur Act. x. Secundo propter infirmitatem, aut aliquod periculum mortis. Unde Leo Papa dicit cap.

(1) Ubi ratio max. redditur vers. 9. *Subito enim venies ira illius, & in tempore vindictæ disperdes eum;* juxta græcum ἐξαίρετον vel in aliis ἐξολοθισθησὶν quamvis & in aliis paulo aliter ἐξελθὶ hoc est *aufertur vel tollit se.*

(2) Sic enim nominatim de illis Augustinus lib. 9. de anima & ejus origine cap. 8. Pelagium alloquens: *Noli credere, noli dicere infantes antequam baptizentur morte prevenios pervenire posse ad originarium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus.* Et Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 11. sive ult. circa medium, occasione circumcissionis de qua dictum est Genes. 17. vers. 14. *Masculus cujus præputij cura circumcisio non fuerit, delebitur animo illa de populo suo referens illud ex Joan. 3. vers. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. inferi: Utrique nullum exdipit; non infantes, non aliquæ preventum necessitate: præter alia quæ art. 1. & generaliter de omnibus dicta sunt & art. 9. specialiter de pueris dicuntur. Quod autem ut ex Leone Papa subjungitur, & sic refertur in Decretis de consecrat. distinct. 4. cap. Si quis, non sicut prius hi qui, paulo aliter apud illum habetur in epistola decretali 4. cap. 6. ubi ait: *Sic ad has duas festivitates (pascha & Pentecosten) incolumium, & in pacis securitate degentium libera vota differimus, ut in moris periculo, in obsequijs, discrimina, & id**

persequantiam angustias, in simone naufragii, nulla tempore hac vera salutis singulari remedium cuiquam denegemus. Hinc licet Gregorius Nazianzenus orat. 40. puerorum baptismum usque ad triennium differri velit, ut expenditur infra, excipit nihilominus periculum imminens mortis, quod si occurrat, eos baptizari vult sine mora. Sed quod adulti peccent si ultra tempus constitutum differant, & maxime usque ad mortis tempus, patet ex investivis Patrum contra eos qui sic baptismum differabant: Sic enim Basilium in exhortatione ad baptismum. Gregor. Nazianzenus orat. 40. Chryostomus in Acta homil. 1. Unde Clinici quasi secularii dicti ex græco καὶν quod significat *lectum* qui decum beates moribundi (sive ut dicitur solet in lecto mortis) baptizabantur. Nec verum est quod sic baptismum suum distulerit ad mortem Constantinus: Et si enim hoc Eusebius narrat gratificari volens Ariano ut eum nempe Nicomediæ ab Ariano Episcopo baptizatum fuisse significet, reicit Nicæphorus lib. 7. cap. 35. refellunt acta Concilii Niceni ut & Concilii Rom. sub Sylvestro; impugnat quoque tum Adriani Papæ primi epistola, lecta in 7. Synodo act. 2. tum epistola Nicolai primi ad Michaelem Imperatorem; ex quibus plane constat, & eum statim post conversionem, & a Sylvestro baptizatum.

cap. vi. cir. præc.) *Hi qui necessitate mortis, aegritudinis, obfidionis, persecutionis, & naufragii urgentur, omni tempore debent baptizari.*

Si tamen aliquis morte præveniatur, articulo necessitatis sacramentum excludente, dum expectat tempus ab Ecclesia institutum, satisfatur, licet per ignem, ut supra dictum est (art. præc.) Peccat, autem; si ultra tempus institutum ab Ecclesia differat accipere baptismum, nisi ex causa necessaria, & licentia prælatorum Ecclesiæ. Sed tamen & hoc peccatum cum aliis deleri potest per succedentem contritionem, quæ supplet vicem baptismi, ut supra dictum est (in corp. & art. præc.)

Ad primum ergo dicendum, quod illud mandatum Leonis Papæ de observandis duobus temporibus in baptismo, intelligendum est de adultis; excepto tamen periculo mortis, quod semper in pueris est timendum, ut dictum est (in corp. art.)

Ad secundum dicendum, quod illud de Judæis est institutum ad Ecclesiæ cautelam, ne simplicium fidem corrumpan, si non fuerint plene conversi; & tamen, ut ibidem subditur, *si infra tempus præscriptum aliquod periculum infirmitatis incuerint, debent baptizari.*

Ad tertium dicendum, quod baptismus per gratiam, quam confert, non solum remouet peccata præterita, sed etiam impedit peccata futura, ne fiant. Hoc autem præcipue desiderandum est ut homines non peccent, securitatio autem ut leuius peccent, vel etiam ut eorum peccata mudentur, secundum illud I. Joan. 11. 1. *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed & si quis peccauerit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum iustum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem destruas errorem *Publicanorum* dicentium, baptizandos non esse parvulos, donec intelligibilem, & rationis capacem ætatem attigerint. Et *Hamsædii* dicentis: Sine baptismo servare infantes ad aliquot annos, liberum esse cuique, nec ullius conscientiam hac in re ad certum tempus adstringi posse. Item *Anabaptistarum* dicentium: quod melius est, omittere baptismum in parvulis quam eos sine fide, id est, non credentes baptizare. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hoc merito damnari a dictis art.

secundo, in coroll. post ad tertium. Item a Concilio Africano: de quo B. Cyprianus ad Fidum, qui opinabatur, pueros infra secundum, & tertium diem constitutos non debere baptizari, respondet sic. Longe aliud in concilio nostro omnibus visum est. In hoc enim quod tu putabas faciendum, nemo consensit; sed uniuersi iudicauimus, nulli hominum nec misericordiam Dei, & gratiam denegandam. Hæc ille. Vide in corpore Conciliorum. Item a Concilio Trident. sess. septima, de baptis. cano. duodecimo. Si quis dixerit: neminem esse baptizandum, nisi ea ætate qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo: anathema sit. Et can. 17. Si quis dixerit: parvulos, eo quod actum eredendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos: aut præstare omitti eorum baptismum, quam eos non actu proprio credentes baptizare in sola fide ecclesiæ; anathema sit. Hæc ibi. Item a dictis in secunda secundæ, articulo numero 912. Tertio vides quomodo &c.

ARTICULUS IV. 387

Utrum peccatores sint baptizandi,

Inst. art. 8. ad 4.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod peccatores sint baptizandi. Dicitur enim Zachar. xiiii. 1. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris, & menstruatæ: quod quidem intelligitur de fonte baptismali. Ergo videtur quod sacramentum baptismi sit etiam peccatoribus exhibendum.*

2. Præterea. Dominus dicit Matth. ix. 12. *Non opus est valentibus medicus, sed male habentibus. Male autem habentes sunt peccatores. Cum igitur spiritualis medici, scilicet Christi, medicina sit baptismus, videtur quod peccatoribus sit sacramentum baptismi exhibendum.*

3. Præterea. Nullum subsidium debet peccatoribus subtrahi. Sed peccatores baptizati ex ipso caractere baptismali spiritualiter adjuvantur, cum sit quædam dispositio ad gratiam. Ergo videtur quod sacramentum baptismi sit peccatoribus exhibendum.

Sed contra est quod Augustinus dicit (tract. lxxii. in Joan. implic. a med. sed expresse

F 2 feria.

ferm. xv. de verb. Apost. cap. xi. cir. med.) *Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te*. Sed peccator, cum habeat voluntatem non dispositam, non cooperatur Deo, immo magis contrarium operatur. Ergo frustra adhiberetur sibi baptismus ad justificationem non disposito. (*)

Respondeo dicendum, quod aliquis potest dici peccator dupliciter. Uno modo propter maculam, & reatum præteritum; & sic peccatoribus est sacramentum baptismi conferendum, quia est ad hoc specialiter institutum, ut per ipsum peccatorum sordes mudentur, secundum illud Ephes. v. 26. *Mundans eam, scilicet Ecclesiam, lavacro aqua in verbo vite*.

Alio modo potest dici aliquis peccator ex voluntate peccandi, & proposito persistendi in peccato; & sic peccatoribus non est sacramentum baptismi conferendum. Primo quidem quia per baptismum homines Christo incorporantur, secundum illud Gal. 111. 37. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Quamdiu autem aliquis habet voluntatem peccandi, non potest esse Christo conjunctus, secundum illud II. Corin. vi. 14. *Qua participatio justitiae cum iniquitate? Unde & Augustinus dicit in Lib. de pœnitentia, (hom. ult. inter L. cap. 11. a princ. (1) quod nullus suæ voluntatis arbiter constitutus potest novam vitam inchoare, nisi eum veteris vite pœnitent*. Secundo quia in operibus Christi, & Ecclesiae nihil debet fieri frustra. Frustra autem est quod non pertingit ad finem ad quem est ordinatum. Nullus autem habens voluntatem peccandi simul potest a peccato mundari, ad quod ordinatur baptismus: quia hoc esset ponere contradictoria esse simul. Tertio quia in sacramen-

talibus signis non debet esse aliqua falsitas. Est autem signum falsum, cui res significata non respondet. Ex hoc autem quod aliquis lavandum se præbet per baptismum, significatur quod se disponat ad interiorem absolutionem; quod non contingit de eo qui habet propositum persistendi in peccato. Unde manifestum est quod talibus sacramentum baptismi non est conferendum.

Ad primum ergo dicendum, quod illud verbum est intelligendum de peccatoribus qui habent voluntatem recedendi a peccato. (2)

Ad secundum dicendum, quod spiritualis medicus, scilicet Christus, operatur dupliciter: uno modo interius per seipsum; & sic præparat voluntatem hominis, ut bonum velit, & malum odiat: alio modo operatur per ministros, exterius adhibendo sacramenta; & sic operatur perficiendo exterius id quod est interius inchoatum. Et ideo sacramentum baptismi non est exhibendum nisi ei in quo interioris conversionis aliquod signum apparet; sicut nec medicina corporalis adhibetur infirmo, nisi in eo aliquis motus vitalis naturæ appareat.

Ad tertium dicendum, quod baptismus est fidei sacramentum. Fides autem informis non sufficit ad salutem; nec ipsa est fundamentum, sed sola fides formata, quæ per dilectionem operatur, ut Augustinus dicit in Lib. de fide & operibus (cap. xvi.) Unde nec sacramentum baptismi salutem conferre potest cum voluntate peccandi, quæ fidei formam excludit. Non est autem per impressionem characteris baptismalis aliquis disponendus ad gratiam, quamdiu in eo apparet voluntas peccandi: quia *Deus neminem ad virtutem compellit*, sicut Damascenus dicit (Lib.

(*) *Hoc tantum argumentum Sed contra habent veteres edit. & codd. an. 1478. & 1535. penes Theologos, desumptum ex IV. Genr. dist. 19. quest. 111. art. 2. levi tantum differentia in minori propositione, legitur enim ibi in contrarium: & in conclusione: Ergo in baptismo non justificatur. Et hoc tamen huic loco additum optime arguit Garcia ex universis hujus mss. libris, qui nullum habent. Editio Romana, & posteriores, alia uno contextu, alia ad marginem addunt aliud sequens. Sed contra est quod Augustinus ad Bonifacium dicit (hab. in Lib. I. de peccator. merit. & remis. cap. xxvi. a med. vide infra quest. lxxviii. art. 3. ad 1.) In baptismo aliquis membrum Christi efficitur. Sed nullus peccator persistens in voluntate peccandi potest fieri membrum Christi: quod est incorporari Christo. Ergo hujusmodi peccator non est baptizandus: quia fru-*

stra baptizaretur.

(1) Velut ex libro de pœnitentiæ medicina cap. 1. tom. 9. prius indicabatur ad marginem: Sed in eo libro qui de utilitate pœnitentiæ inscribitur & indicatur esse idem cum homil. 27. inter 50. quæ recensentur tom. 10. nihil tale occurrit in modernis: Ex homilia vero quinquagesima colligitur, quam de pœnitentia inscribit Beda, & de utilitate ac necessitate pœnitentiæ nova exemplaria inscribunt.

(2) Hinc Hieronymus ibi: *Fons ille (inquit) qui appellatur aqua remissionis & indulgentia de domo Dei egrediens, refertur ad Ecclesiam ut omnes nascamur in Christo, & in aqua baptismatis nostra nobis peccata condonentur: Nihil immundius mentis firmata; quæ quicquid artigerit, immundum facit: Et hujus tanquam sordis Christi abluantur baptismate.*

(Lib. II. orth. Fid. cap. xxx. in princ.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem offendas, & recte intelligas, merito esse insinuarum a scripturis, & concilio ; quod peccatores sunt, & non sunt baptizandi . A scripturis quidem : ut per hoc, quod dicitur Act. 2. ,, His auditis compuncti sunt ,, corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos ; Quid faciemus viri fratres ? Petrus autem ad illos : Pœnitentiam ,, inquit agite ; & baptizetur unusquisque ,, vestrum ; *¶* Qui ergo receperunt sermonem, baptizati sunt, *Item* Act. 3. Pœnitentini igitur, & convertimini ; ut deleantur peccata vestra, *¶* *¶* cap. 4. Multi eorum, qui audierant verbum, crediderunt : & factus est numerus eorum ,, quinque millia . *Item* Act. 10. Respondit Petr. Nunquid aquam quis prohibere potest ; ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt ? *Item* cap. 8. Ait Eunuchus : Ecce aqua . Quis prohibet me ,, baptizari ? Dixit autem Philippus . Si credis ex toto corde : licet . ,, Per regula enim hæc loca constat intentum utrumque, scilicet, quod peccatores sunt, & non sunt baptizandi : quoniam, sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio negationis, secundum Philosophum . Si igitur peccatori, qualis erat Eunuchus credenti ex toto corde licitum esse dare baptismum, dicit Philippus : utique per consequens dicit etiam quod peccatori indispósito ad fidem formatam, quod est, quando manet in voluntate peccandi, non licet conferre baptismum . Vide a. 8. pro bono dictorum captu. Rursus . Si peccatoribus compunctis corde, si pœnitentibus, si recipientibus sermonem salutarum, si conversis, si ad gratiam spiritus sancti dispositis est conferendum baptismum (secundum Apost. Petrum) procul dubio, secundum eundem, impœnitentibus conferendum non est . A Conc. autem *Trid.* insinuat *sess. 14. c. ,, Fuit quidem pœnitentia ,, universis hominib. qui se mortali aliquo ,, peccato inquinassent, quovis tempore ad ,, gratiam assequendam necessaria : illis etiam*

,, qui baptismi sacramento ablui petivissent ;
 ,, ut, perveritate abjecta, & eliminata, tan-
 ,, tam Dei offensionem cum peccati odio,
 ,, & pio animi dolore detestarentur. *Hæc ibi.*
 ,, *Et sess. 6. ca. 6.* Propterea moventur ad-
 ,, versus peccata per odium aliquod, & de-
 ,, testationem : hoc est, per eam pœnitentiam,
 ,, quam ante baptismum agi oportet .
Hæc ibi. Hoc ultimum dicitur : quia pœnitentia
 Christiani hominis post lapsum multo alia a
 baptismali est : ut ait Concil. *Trid. sess. 6. cap. 14. Secundo* vides quomodo &c.

A R T I C U L U S V. 388

Utrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria .

Sup. quest. xlix. art. 3. ad 2. & inf. art. 6. cap. & II. dist. vi. quest. 1. art. 1. quest. 1. corp. & III. dist. xix. ar. 3. quest. 2. ad 1. & IV. dist. vi. quest. 1. art. 1. quest. 1. co. & IV. cont. cap. lviii. & Rom. xi. lect. 4.

AD quintum sic proceditur . Videtur quod peccatoribus baptizatis sint opera satisfactoria imponenda . Hoc enim ad iustitiam Dei pertinere videtur ut pro quolibet peccato aliquis puniatur, secundum illud Eccle. ult. 14. *Cunctis que sunt, adducet Deus in iudicium .* Sed opera satisfactoria imponuntur peccatoribus in pœnam præteritorum peccatorum . Ergo videtur quod peccatoribus baptizatis sint opera satisfactoria imponenda .

2. Præterea . Per opera satisfactoria exercitantur peccatores de novo conversi ad iustitiam, & subtrahuntur eis occasiones peccandi : nam satisfacere est peccatorum causas excidere, & peccatis aditum non indulgere . Sed hoc maxime est necessarium nuper baptizatis . Ergo videtur quod baptizatis sint opera satisfactoria injungenda .

3. Præterea . Non minus debitum est ut homo Deo satisfaciat quam proximo . Sed nuper baptizatis injungendum est ut satisficiant proximis, si eos læserint . Ergo est etiam eis injungendum ut Deo satisficiant per opera pœnitentiæ .

Sed contra est quod Ambrosius (alius Auctor (1) super illud Rom. xi. *Sine pœnitentia*

(1) Vel sub eius nomine suppositivus in epistolas Pauli commentator, qui passim Hilarius Romanus Diaconus creditur, & qui Luciferianis hæreticus fuit : Sic autem ibi paulo aliter & plenius : *Verum*

est (nempe quod vocatio Dei & eius dona sine pœnitentia sint) quia gratia Dei in baptismo non quartis gemitum aut planctum aut opus aliquod nisi solum ex corde professionem : Ne enim, quis gravi

ria sunt dona, & vocatio Dei, dicit: Gratia Dei in baptismo non requirit gemitum, neque planctum vel etiam opus aliquod, sed solam fidem, & omnia gratis condonatur.

Respondeo dicendum, quod, sicut Apostolus dicit Rom. vi. 3. *quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus ei per baptismum in mortem, ita scilicet quod homo per baptismum incorporatur ipsi morti Christi.*

Manifestum est autem ex supradictis (quæst. xlviii. & xlix.) quod mors Christi satisfactoria fuit sufficienter pro peccatis, non solum nostris, sed etiam totius mundi, ut dicitur I. Joan. ii. 2. Et ideo ei qui baptizatur, pro quibuscumque peccatis non est aliqua satisfactio injungenda: hoc enim esset injuriam facere passioni, & morti Christi, quasi ipsa non esset sufficiens ad plenariam satisfactionem pro peccatis baptizatorum.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in Lib. I. de baptismo parvulorum (seu de peccat. merit. & remis. cap. xxvi. a med.) ad hoc baptismus valet ut baptizati Christo incorporentur ut membra ejus. Unde ipsa pœna Christi fuit satisfactoria pro peccatis baptizatorum; sicut & pœna unius membri potest esse satisfactoria pro peccato alterius membri. Unde Isa. liii. 4. dicitur: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.*

Ad secundum, dicendum, quod nuper baptizati exercitandi sunt ad justitiam, non per opera pœnalia, sed per opera facilia, ut quasi quodam lacte facilis exercitii promoveantur ad perfectiora, ut Glossa (ord. implic.) dicit super illud Psal. cxxx. *Sicut abactatus est super matre sua.* Unde & Dominus discipulos suos de novo conversos a jejuniis excusavit, ut patet Matth. ix. Et hoc est quod dicitur I. Petr. ii. 2. *Sicut modo geniti infantes, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.*

Ad tertium dicendum, quod restituere male ablata proximis, & satisfacere eis de injuriis illatis, est cessare a peccando: quia hoc ipsum quod est detinere aliena, & proximum

læsum non placare, est peccatum. Et ideo peccatoribus baptizatis injungendum est quod satisfaciant proximis, sicut & quod desistant a peccato; non est autem eis injungendum quod pro peccatis præteritis aliquam pœnam patiantur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, & Conciliis: quod baptizatis nuper non sunt imponenda opera satisfactoria. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Ephes. 5. *Mundans eam lavacro aque in verbo vite, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi.* Ex eo enim, quod per tale lavacrum, inquit Apostolus, adeo Ecclesiam mundari, ut pro illo tunc non habeat maculam, idest, peccatum mortale, aut rugam, idest, peccatum veniale, aut aliquid hujusmodi, idest, reatum alicujus pœnæ, demonstrat cuique sapienti: quod noviter baptizatis nulla opera satisfactoria injungenda sunt. Nam, si tota, & culpa, & pœna (secundum Apostolum ibi) per baptismum illum relaxatur Ecclesie, idest baptizatis omnibus: injustum esset, aliquam satisfactionem in pœnam tunc baptizato imponere. Pro qua enim vel minima pœna tollenda tunc imponetur ei satisfactio: si tota pœna jam per baptismum sublata fuit? Imponere ergo aliquod opus satisfactorium recenter baptizato esset dicere factis; quod baptismus non delet totam pœnam simulcum tota culpa: id, quod est falsissimum, utpote contra Concil. nunc adducendum. A Concil. autem Florent. idem insinuat. Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur: propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio; sed morientes, antequam culpam aliquam committant; statim ad regnum cælorum, & Dei visionem perveniunt. Hæc illud in dec. seu constit. super un. Arm. Huic concordat etiam Conc. Trid. sess. 14. c. 2. dicens; quod con-

ter deliquerant non recipiendo promissum Dei, & quia qua graviter peccantur, non nisi fletu & gemitu ad veniam pertinent, ne ideo illos non possent accipere misericordiam putarent quia dolere illi non videbant, ostendit hoc inter primordia fidei non requiri: Donum enim Dei gratis donat pecca-

ta in baptismo: Refertur autem in Decretis distinct. 4. de consecrat. cap. Sine iisdem verbis & hic & sub Ambrosii nomine cuius olim commentarius putabatur: Esti alio sensu sine pœnitentia dici videntur dona Dei quia non eum pœnitent quod ea nobis dedit, &c.

constat, ministrum baptismi iudicem esse non oportere; & quod per baptismum Christum induentes nova profus in illo effimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remissionem consequentes. *Secundo* vides, &c.

Sed, sicut Ambrosius dicit (alius Auctor sup. illud Rom. xi. *Sine poenitentia sunt dona,*) gratia Dei in baptismo non requirit gemitum, neque planctum. " Ergo a baptizandis non est requirenda confessio peccatorum .

ARTICULUS VI. 389

Utrum peccatores ad baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri .

II. dist. XIX, art. 3. quæst. 1. ad 1. & IV. cons. cap. XVIII. & Rom. XI. lect. 4.

AD sextum sic proceditur . Videtur quod peccatores ad baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri . Dicitur enim Matth. III. 6. quod *baptizabantur multi . a Joanne in Jordane , confitentes peccata sua .* Sed baptismus Christi est perfectior quam baptismus Joannis . Ergo videtur quod multo magis illi qui sunt baptizandi baptismo Christi debeant sua peccata confiteri .

2. Præterea . Proverb. XXVIII. 13. dicitur : *Qui abscondit scelera sua , non dirigitur ; (1) qui autem confessus fuerit , & reliquerit ea , misericordiam consequetur .* Sed ad hoc aliqui baptizantur ut de peccatis suis misericordiam consequantur . Ergo baptizandi debent sua peccata confiteri .

3. Præterea . Pœnitentia requiritur ante baptismum , secundum illud Act. 38. *Agite poenitentiam , & baptizetur unusquisque vestrum* (2) Sed confessio est pars pœnitentiæ . Ergo videtur quod confessio peccatorum requiratur ante baptismum .

Sed contra est quod confessio peccatorum debet esse cum fletu : dicit enim Augustinus in Libro de poenitentia (3) alius Auctor de vera & falsa pœnit. cap. XIV. parum princ.) *Omnis ista varietas confitenda est , & desenda*

Respondeo dicendum , quod duplex est peccatorum confessio . Una quidem interior , quæ fit Deo : Et talis confessio peccatorum requiritur ante baptismum , ut scilicet homo sua peccata recogitans de eis doleat : *non enim potest inchoare novam vitam , nisi poeniteat eam veteris vita ,* ut dicit Augustinus in Lib. de poenitentia (4)

Alia vero est confessio peccatorum exterior quæ fit sacerdoti : & talis confessio non requiritur ante baptismum . Primo quidem quia talis confessio , cum respiciat personam ministri , pertinet ad pœnitentiæ sacramentum , quod non requiritur ante baptismum , quia est janua omnium sacramentorum . Secundo quia confessio exterior , quæ fit sacerdoti , ordinatur ad hoc quod sacerdos confitentem absolvat a peccatis , & liget ad opera satisfactoria ; quæ baptizatis non sunt imponenda , ut supra dictum est (art. præc.) nec etiam baptizati indigent remissione peccatorum per claves Ecclesiæ , quibus omnia remittuntur per baptismum . Tertio quia ipsa particularis confessio homini facta , est pœnosa propter verecundiam confitentis . Baptizato autem nulla exterior pœna imponitur (5) . Et ideo a baptizatis non requiritur specialis confessio peccatorum ; sed sufficit generalis , quam faciunt , cum secundum ritum Ecclesiæ abrenuntiant Satanae , & omnibus pompis ejus . Et hoc modo dicit quædam Glossa (ord. sup. illud , *Et baptizabantur ab eo*) Matth. III. quod , in baptismo Joannis exemplum dabatur baptizandis , confitendi peccata , & promittendi meliora .

St

(1) Vel non prosperabitur . (in iudiciorum) seu bona via non incedet ; hoc est prosperum iter non habebit .

(2) Adhærtatio Petri est ad Judæos ejusdem prædicatione compunctos vers. 38 .

(3) Sicut refertur in Decretis distinct. 5. de poenit. cap. considero , ubi paulo post principium hæc habentur : Sed ex adulterino libro de vera & falsa poenitentia qui athenis auctoris est cap. 14. desumpta sunt ; & appendix Ambrosii ex alio suppositio commentatore in Epist. Pauli , sicut jam superior notatum est .

(4) Non eodem qui mox indicatus est nec est ipsa Augustini : sed illo qui de utilitate ac necessitate poenitentia nunc inscribitur , sed de poenitentia olim a Beda inscriptus est , & est revera Augustini lib. 50. ut jam sup.

fitate poenitentia nunc inscribitur , sed de poenitentia olim a Beda inscriptus est , & est revera Augustini lib. 50. ut jam sup.

(5) Hinc neque baptizatis in vigilia Paschæ jejunium usque ad Pentecosten indicitur , ut 2. quæst. 189. art. 1. ex Glossa quadam super illud Psal. 130. *Sicut ablatus est* , &c. plenius indicatur : Sed sequens Glossa qua nullius nomine tua in modernis & impressa , tum etiam in veteribus & manuscriptis exemplaribus notata est , colligitur plenius ex Rabano in eum locum ; et si ex Beda super Marcum Rabanus ipse sumpsit , & sub nomine Bedæ indicat Glossa Marc. 1. minus expresse tamen quam apud Bedam & Rabanum .

Si qui tamen baptizandi ex devotione sua peccata confiteri vellent, esset eorum confessio audienda, non ad hoc quod eis satisfactio imponeretur, sed ad hoc quod contra peccata consueta eis spiritualis informatio vitæ traderetur.

- Ad tertium ergo dicendum, quod in baptismo Joannis non remittebantur peccata, sed erat baptismus pœnitentiæ. Et ideo convenienter accedentes ad illud baptismum confitebantur peccata, ut secundum qualitatem peccatorum eis pœnitentia determinaretur. Sed baptismus Christi est sine exteriori pœnitentia, ut Ambrosius dicit (loc. sup. cit.) Unde non est similis ratio.

Ad secundum dicendum, quod baptizatis sufficit confessio interior Deo facta, & etiam exterior generalis, ad hoc quod dirigantur, & misericordiam consequantur; nec requiritur confessio specialis exterior, sicut dictum est (in corp.)

Ad tertium dicendum, quod confessio est pars pœnitentiæ sacramentalis; quæ non requiritur ante baptismum, ut dictum est (in corp. art.) sed requiritur interioris pœnitentiæ virtus.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem a simili interimas hæreses Armenorum dicentium: Baptismum non posse alicui conferri, nisi eidem conferatur Eucharistiæ sacramentum. Si enim, antequam baptizetur quis, voluit eidem conferendam esse Eucharistiam, retunduntur ex ratione art., eoquod baptismus est janua sacramentorum: si vero post, adhuc alia ejus ratione rejiciuntur, eoquod non indigent jam baptizari remissione peccatorum, antequam post baptismum peccent. Quod si dicatur, quod indigent aliis effectibus per Eucharistiam datis, puta augmento gratiæ, sapore quodam spirituali, &c. responderetur, quod indigent illis, sed non necessario, cum per gratiam per baptismum habitam, & adhuc conservatam possint ad salutem pervenire. Et ista erit ratio Conc. Tridentini nunc adducendi. Consequenter ergo non necessitatur quis ad sumptionem Eucharistiæ tempore baptismi, ita scilicet, quod non possit baptizari, nisi ante, vel post adhuc in gratia existens Eucharistiam sumat. A simili ergo determinavit D. Thomas per hunc art. contra Armenorum prædictam hæresim: quando per eandem formaliter determinavit, quod accedentes ad baptismum non tenentur ad sacramentalem confessionem suo-

rum peccatorum. Et sicut determinat, quod ad confessionem talem ex eorum devotione possunt admitti cum limitatione in text. supra hoc adducta: ita a simili determinasse tunc intelligitur, quod si quis adultus vellet post baptismum ex devotione communicari, posset (si tamen per ætatem liceret, aliisque necessariis concurrentibus, puta jejunio, &c.) ad Eucharistiæ sumptionem admitti. Secundo habes: quomodo per rationem a simili ostendas, hanc merito fuisse damnatam a Concil. Tridentini. sess. 21. cap. 4. sic. *Decet sancta synodus, parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem siquidem adeptam in baptismo gratiam illa ætate amittere non possunt.* Hæc ibi. Ecce: Ex Concil. ratio supradicta a simili: quod in gratia baptismali constitutus non indiget necessario communicari sacramentaliter, non quia non possit gratiam amittere, si est adultus: sed quia gratia tunc habita sufficit ex se ad salutem. Item ab eodem sess. ead. can. 4. *Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* Junge dictis id, quod idem Conc. de baptismo parvulorum sanxit; & aperte damnationem erroris Armenorum conspicias. Sic enim in sess. 7. can. 13. de baptismo ait; *Si quis dixerit: parvulos eoquod actum credendi non habens, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse baptizandos; aut præstare, eorum ommissi baptismum, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ: Anathema sit.* Hæc ibi. Ecce Concil. vult; parvulos ante annos discretionis baptizari, & adeo determinare id vult, ut damnet contrarium dicentes: quod tamen Concil. parvulos ipsos baptizatos ad Eucharistiam sumendam dicit non esse ulla necessitate adstrictos, contrarium dicentes anathemate percillens. Tertio habes: quomodo per rationem ostendas merito Conc. Tridentini addidisse *ly post baptismum lapsis*, quando de confessionis necessitate loquens sess. 14. cap. 5. ait: *Ex institutione sacramentum pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia sentit per intellexit institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere.* Et eadem sessione de pœnitentiæ sacramento, cano. 1. *Si quis dixerit; in Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse vere, & proprie sacramentum pro fidelibus: quoties post baptismum in peccata labuisti?*

*untur, ipsi Deo reconciliandi a Christo Domino institutum: Anathema sit. Et cano. 2. Si quis dixerit, &c. atque ideo penitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari: Anathema sit. Hæc ibi. Non sine causa enim Conc., quando penitentialem confessionem necessariam esse dicit, signanter ponit *ly lapsis post baptismum, vel quoties post baptismum in peccata labuntur, vel hanc secundam post naufragium tabulam*. Innuitur enim ex hoc, quod confessio sacramentalis neque ante, neque post baptismum est necessaria; nisi baptizati denuo lapsi sint. Quarto vides: quomodo &c*

A R T I C U L U S VII. 390

Utrum ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi sacramentum Baptismi.

Infr, quest. lxxix. art. 9. & IV. dist. vi. quest. 1. art. 2. quest. 3. & dist. xxvii. quest. 1. art. 2. quest. 4. corp.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod ex parte baptizati non requiratur intentio suscipiendi sacramentum baptismi. Baptizatus enim se habet sicut patiens in sacramento. Intentio autem non requiritur ex parte patientis, sed ex parte agentis. Ergo videtur quod ex parte baptizati non requiratur intentio suscipiendi baptismum.

2. Præterea. Si præmittatur id quod requiritur ad baptismum, homo est denuo baptizandus; sicut cum præmittitur invocatio Trinitatis, ut supra dictum est (1) Sed ex hoc non videtur aliquis esse denuo baptizandus, quod intentionem non habeat suscipiendi baptismum; alioquin cum de intentione baptizati non constat, quilibet posset petere se denuo baptizari propter intentionis defectum. Non videtur ergo quod intentio requiratur ex parte baptizati ut suscipiat sacramentum.

3. Præterea. Baptismus contra peccatum originale datur. Sed originale peccatum con-

trahitur sine intentione nascentis. Ergo baptismus, ut videtur, intentionem non requirit ex parte baptizati.

Sed contra est quod secundum ritum Ecclesie (2) baptizandi profitentur se petere ab Ecclesia baptismum; per quod profitentur suam intentionem de susceptione sacramenti.

Respondeo dicendum, quod per baptismum aliquis moritur veteri vitæ peccati, & incipit quamdam vitæ novitatem, secundum illud Rom. vi. 4. *Consepulti sumus Christo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexisset a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

Et ideo, sicut ad hoc quod homo moriatur veteri vitæ, requiritur secundum Augustinum (3) in habente usum liberi arbitrii voluntas, qua eum veteris vitæ pœniteat; ita requiritur voluntas, qua intendat vitæ novitatem; cujus principium est ipsa susceptio sacramenti. Et ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, sive intentio suscipiendi sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod in justificatione, quæ fit per baptismum, non est passio coacta, sed voluntaria; & ideo requiritur intentio recipiendi id quod ei datur.

Ad secundum dicendum, quod si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus; si tamen hoc non constaret, esset dicendum: *Si non es baptizatus, ego te baptizo.* (4)

Ad tertium dicendum, quod baptismus ordinatur non solum contra originale peccatum, sed etiam contra actualia, quæ per voluntatem, & intentionem causantur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas errorem *Cathabrygarum* dicentium, baptizandos esse mortuos. Non enim mortui cadaver habet intentionem suscipiendi baptismum, ut patet. Nec valet pro illo errore sustentando dicere, baptismum conferri debere mortuo in hoc sensu, quod

G ali-

(1) Non quest. 66. art. 8. sicut prius indicabatur ad marginem, sed quest. 67. art. 5. ex epistola Gregorii II. Bonifacio rescribentis ubi *de novo pro denuo corrupte legebatur, sed correximus.*

(2) Sic in ordine Romano de officiis divinis tom. 10. Bibliothecæ Patrum post benedictionem Pontis baptismalis oblatum sibi ad baptismum infantem interrogat Pontifex in persona suscipientis, *Vis baptizari?* Et respondet interrogatus. *Volo.*

(3) Loco jam superius indicato ex lib. 50. homiliarum hom. ult. quæ *de penitentia* secundum Beadam, vel *de utilitate ac necessitate penitentia* sicut modo vel *de penitentia medicina*, sicut prius hic inferibitur.

(4) Sicut jam supra per aliam occasionem quest. 66. art. 9. ad 4. ex Decretali Alexandri 3. notatum est.

aliquis vivus in demortui locum submissus baptizetur nomine mortui, & sic mortuus intelligatur baptizari, & baptismus ille proficit mortuo. Unde ipsi *Cathabryge*, & *Marcioniste* dicebant, baptismum conferri debere mortuo ei profuturum, baptizato vivo in demortui locum submisso. Errore itaque hoc ultimo errorem primum excusare, aliquantulum declarando, volebant. Illos siquidem per hunc secundum errorem, opinor, voluisse quasi respondendo dicere; quod intentio vivi pro intentione mortui reputabatur tunc, & sic baptismus baptizato vivo proderat defuncto. Quemadmodum, si dicamus nos, sicut & dicimus, quod intentio aliorum pro puerulo ad baptismum delato reputatur pro intentione pueruli ipsius, atque ei prodest, *art. 9.* Verum similitudo non tenet; imo distat plurimum: Nam puer est corpus vivum sub cœlo, & est ille, qui baptizatur; quorum neutrum est in eorum positione. Neque enim cadaver defuncti baptizatur, sed is vivus, qui in locum defuncti submittitur; neque cadaver illud est vivum sub cœlo. Unde intentio repræsentantium pueros ad baptismum potest eis imputari, atque prodesse, quia per aliquid, puta per baptismum actualiter pueris illis collatum, revera eis applicatur. Cum ergo defuncti corpus (etiam abstrahendo ab hoc, quod non est vivum) non tangatur actu per aquam baptismi, intentio illa vivi prædicti non habet, unde re vera possit applicari defuncto. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictum errorem cum sua declaratione merito damnari a scripturis 1. Cor. 15. Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? Ut quid etiam baptizantur pro illis? Ut quid & nos periclitamur omni hora? Intantum ratam (*inquit Ambrosius*) & stabilem vult ostendere resurrectionem mortuorum, ut det exemplum eorum, qui tam securi erant de futura resurrectione, ut etiam pro mortuis baptizarentur, si quem forte mors prævenisset, timentes, ne aut male, aut non resurgeret. *Unde subjecit*: Ut quid & baptizantur pro illis? Exemplo hoc non factum illorum probat, sed fixam sententiam de resurrectione ostendit. Quid & nos periclitamur omni hora? Dicendo, quid & nos periclitamur, discrevit personas, ostendens non catholicos esse, qui pro mortuis baptizantur. Denique supra dixit, ut quid baptizantur pro illis? Hæc D. Ambr. Ubi vides, quod Apostolus in illis laudat unum, de quo

ibi ad longum tractabat, sc. fidem resurrectionis certam, & condemnat aliud, tanquam non catholicum, videlicet vivos baptizari pro mortuis. Ubi etiam nota; quod error hic fuit ab *Cathabrygis*, & *Marcionistis* ab inferis revocatus: & ideo attribuitur nunc illis, quoniam tempore Apostoli, qui fuit eis anterior, inveniebatur. Item ab Eccles. 9. *Mortui non habent ultra mercedem, nec partem in hoc seculo, & in opere, quod sub Sole geritur.* Si igitur, secundum scripturam, mortui non habent ultra mercedem, nec partem in opere, quod sub Sole geritur, quomodo poterit baptismus mortuo prodesse, qui datur vivo in defuncti locum submisso? Diligenter vero nota, quod huiusmodi scriptura loquitur de mortuis extra Dei gratiam: ideo facit mentionem de mercede, quæ non nisi habentibus gratiam in cœlo datur, & etiam negat eos habere partem in bono opere, quod sub Sole geritur, quia sc. sunt extra charitatem, quæ facit omnia communia, ita ut existens in ea possit veraciter dicere Domino: *Particeps ego sum omnium timentium te*, Psal. 118. Hoc dixerim, ne ex illa scriptura male intellecta motus negares, vel dubitares, quod orationes, & pia opera vivorum secundum intentionem S. Ecclesiæ facta, profunt mortuis in purgatorio, & gaudium afferunt in cœlo existentibus, ita, quod utrique horum habent partem in bono opere gesto sub Sole. Ratio, quia illorum quisque est in charitate. At defunctus sine baptismo non erat, neque est in charitate, & consequenter talis, secundum scripturam præmissam non habet partem in bono opere, quod geritur sub Sole. Item a Mar. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit condemnabitur.* Ecce, quod non baptizatus per se, ita quod baptismus eum tangat, non potest salvari: Item a synodo *Carthagenensi* 3. in *Trullo* confirmata, cap. 6. *Placuit, ne corporibus defunctorum Eucharistia non detur. Dicitur enim a Domino: Accipite, & edite. Cadavera autem nec accipere possunt, nec edere. Cavendum est etiam, ne mortuos baptizari posse, fratrum infirmitas credat, quibus nec Eucharistiam dati, licitum est.* Hæc ibi. De Eucharistia non danda mortuis concordat Conc. 6. *Constantinopol.* canon. 3. propter eandem rationem: Item & Concil. *Antisiodorensis* canon. 12. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito dictum fuisse 1. Pet. 3. quod *& vos nunc similis forma salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientia bona interrogatio in Deum.* Ubi ostem-

ostenditur, quod intentio in baptizando requiritur. Patet enim, quod interrogatio præsupponit interrogati intentionem, & ut interrogantem audiat, & ut ad interrogationem respondeat. Habes *Quarto*: quomodo per rationem ostendas, recte uti Ecclesiam hoc ritu, ut scilicet accedentes ad baptismum postulent a sacerdote baptizari. Per hanc liquidem suam postulationem designatur, suam ipsorum intentionem requiri ad baptismum, cum ea, quæ sunt in voce, sint eorum, quæ sunt in anima, passionem notæ; uti dicit Philof. 1. lib. *Peribermenas*. Quanti autem æstimandi sint ritus Ecclesiæ tales, conicies ex anathematismo posito ex *Trid. Conc. supra art. 6. in corollario* immediate post probationem *tertie* conclusionis. *Quinto* vides: quomodo &c.

tentio suscipiendi sacramentum. Sed hoc non potest esse sine recta fide, cum baptismus sit rectæ fidei sacramentum: per eum enim incorporantur homines Christo, ut Augustinus dicit in Libro I. de baptismo parvulor. (seu de peccat. merit. & remiss. cap. xxvi. ante medium Tom. 7.) Hoc autem non potest esse sine recta fide, secundum illud Ephes. 111. 17. *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris*. Ergo videtur quod ille qui non habet rectam fidem, non possit suscipere sacramentum baptismi.

4. Præterea. Infidelitas est gravissima peccatum, ut in secunda parte habitum est (2. 2. quæst. x. art. 3.) Sed permanentes in peccato non sunt baptizandi. Ergo etiam nec permanentes in infidelitate.

Sed contra est quod Gregorius scribens Quirino Episcopo (in Regist. Lib. IX. epist. lxx. a princ.) dicit: *Ab antiqua patrum institutione didicimus (2) ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad finem matris Ecclesie revocantur*. Hoc autem non esset, si recta fides esset de necessitate baptismi. Non ergo recta fides ex necessitate requiritur ad susceptionem baptismi.

Respondeo dicendum, quod, sicut ex dictis patet (quæst. lxxiii. art. 6. & quæst. lxxi. art. 9.) duo efficiuntur in anima per baptismum, scilicet character, & gratia. Dupliciter ergo aliquid ex necessitate requiritur ad baptismum. Uno modo, sine quo gratia haberi non potest, quæ est ultimus effectus sacramenti: & hoc modo recta fides ex necessitate requiritur ad baptismum: quia, sicut dicitur Rom. 111. 22. *justitia Dei est per fidem Jesu Christi*.

Alio modo requiritur aliquid ex necessitate ad baptismum, sine quo character baptismatis imprimi non potest: & sic recta fides baptizati non requiritur ex necessitate ad baptismum, sicut nec recta fides baptizantis,

G 2 dum-

ARTICULUS VIII. 391

Utrum fides requiratur ex parte baptizati.

IV. dist. vi. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. & quæst. 11. art. 2. quæst. 3. cor. & dist. 11. art. 2. quæst. 2. ad 2.

AD octavum sic proceditur. Videtur quod fides requiratur ex parte baptizati. Sacramentum enim baptismi a Christo est institutum. Sed Christus formam baptismi tradens fidem baptismi præmittit, dicens Marci ult. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*. Ergo videtur quod nisi sit fides, non possit esse sacramentum baptismi.

2. Præterea. Nihil frustra in sacramentis Ecclesiæ agitur. Sed secundum ritum Ecclesiæ (1) ille qui accedit ad baptismum, de fide interrogatur, cum dicitur: *Credis in Deum Patrem?* &c. Ergo videtur quod fides ad baptismum requiratur.

3. Præterea. Ad baptismum requiritur in-

(1) Qui ex tomo 10. Bibliothecæ Patrum jam paulo ante indicatus est, ad predictæ interrogationi an baptizari velit, præmittitur interrogatio an credat.

(2) De qua sic Vincentius Lyrinensis lib. contra phanas hæresum novitates cap. 9. *Primus omnium Agrippinus Carthaginensis Episcopus contra divinum canonem, contra universalem Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium sacerdotum, contra morem antiquissimum majorum, redaptandum esse consuebat: Que præsumptio sanum mali-inventis; ut non so-*

lum hæresicis omnibus formam sacrilegii, sed etiam quibusdam Catholicis occasionem præbuerit erroris, Cam ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, beatæ memoriæ Papa Stephanus Apostolicæ Sedis Antistes præ cæteris vestitis, dignum existimans, opinor, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret quantum loci auctoritate superabat: Denique in epistolis quæ tunc ad Africam missa est, nihil novandum sanxit nisi quod traditum est, Præter alia quæ jam supra in eam sententiam ex Augustino allata sunt.

dummodo adfint cetera quæ sunt de necessitate sacramenti: non enim sacramentum perficitur per iustitiam hominis dantis, vel suscipientis baptismum, sed per virtutem Dei.

Ad primum ergo dicendum, quod Dominus loquitur ibi de baptismo, secundum quod perducit homines ad salutem per gratiam iustificantem; quod quidem sine recta fide esse non potest; & ideo signanter dicit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.*

Ad secundum dicendum, quod Ecclesia intendit homines baptizare, ut emundentur a peccato, secundum illud Isa. xxvii. 9. *Hic est omnis fructus ut auferatur peccatum.* Et ideo quantum est de se, non intendit dare baptismum nisi habentibus rectam fidem, sine qua non est remissio peccatorum: & propter hoc interrogat accedentes ad baptismum, an credant. Si tamen sine recta fide aliquis baptismum suscipiat extra Ecclesiam, non percipit illud ad suam salutem. Unde Augustinus dicit (Lib. IV. de baptism. cont. Donatist. in princ. (1) *Ecclesia paradiso comparata indicat nobis, posse quidem baptismum ejus homines etiam foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem percipere, vel tenere.*

Ad tertium dicendum, quod etiam non habens rectam fidem circa alios articulos, potest habere rectam fidem (2) circa sacramentum baptismi; & ita non impeditur quin possit habere intentionem suscipiendi sacramentum baptismi. Si tamen etiam circa hoc sacramentum non recte sentiat, sufficit ad perceptionem sacramenti generalis intentio, qua intendit suscipere baptismum, sicut Christus instituit, & sicut Ecclesia tradit.

Ad quartum dicendum, quod sicut sacramentum baptismi non est conferendum ei qui non vult ab aliis peccatis recedere; ita etiam nec ei qui non vult infidelitatem deserere. Uterque tamen suscipit sacramentum, si ei conferatur, licet non ad salutem.

A P P E N D I X.

EX art. habes: *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Anabaptistarum* dicentium, melius esse omittere baptismum,

quam pueros sine fide, idest non credentes, baptizare. Vel sic, præstare prorsus omittere baptismum in parvulis, quam eos baptizare sine fide. Item hæresim *Henricianorum* dicentium; quod baptismus nihil proficit ei, qui id sine prævia fide suscipit. Nam, cum ei imprimat characterem, & aggreget numero fidelium (ut supra & per articulum, & per Concilium *Florent.* vidimus) aliquid proficit ei. Quod, si intelligeretur per *ly nihil ei proficit*, quod non confert ei indigno gratiam, esset sententia catholica, & non hæresis. At, quia ab Gabriele Prateolo (tit. *Henriciani*) recensetur inter hæreses: ideo sensum hunc non catholicum, sed erroneum habere, putandum videtur. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito has damnari per decretum *Eugenii IV.* sacro approb. *Florent.* Concil. Ibi enim, cum perfici dicuntur sacramenta tribus, (videlicet materia, forma, & intentione) nulla fit mentio de fide, & consequenter per hoc reprobantur *Anabaptiste*, & omnes, qui fidem de necessitate sacramenti requiri in baptizando, contendunt. Pro tanto namque sunt nunc allatæ illorum positiones, pro quantum hoc ipsum includunt, vel dicunt. Item per Concil. *Trident.* ibi adductum damnari intelliguntur, dum de intentione ad conferenda sacramenta requisita necessario, nulla facta mentione de fide, loquitur. Item per *Gregorium* Papam *III.* ad Bonifacium sic: „ Quomodo, idem absque interrogatione symboli ab ad- „ ulteris, & indignis presbyteris factus es „ baptizatus. In his tua dilectio teneat anti- „ quam morem Ecclesiarum, quia quisquis in „ nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizatus est, rebaptizari eum minime licet. „ Hæc Gregorius. Ubi vides, non esse reiterandum baptismum, etiam quod sine interrogatione fidei quis baptizatus sit. Papa ergo per hoc decretum innuit, quod fides baptizati ad baptismi characterem imprimendum non concurrat de necessitate, & consequenter damnare contrarium. Item per omnia illa Concilia videntur huiusmodi positiones damnari, per quæ determinatur, quod ab hæreticis, Paganis, Judæis (& ut semel dicam) ab infidelibus potest conferri baptismus verus, ut a *Nicolao IV.* ad consulta *Bulgarorum*, supra q. 67. art. 5. & a *Concil.*

(1) Ex quo etiam in Decretis refertur distinct. 4. de consecratione cap. *Ecclesia*.

(2) Non divinam sive theologicam sed humanam, quæ qualemcumque rectum sensum circa baptismum

significat; ut ex antithesi adjuncta patet, *Si circa hoc sacramentum non recte sentiat*, &c. Unde non obstat quod 2. quæst. 7. art. 3. dicit unius articuli fidem sine alio non haberi.

cil. *Trid. sess. 7. de baptismo, can. 4.* Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum: Anathema sit. Hæc ibi. Ratio, quod damnatur per hæc, quod est, quia semper agens est nobilior patiente, & principaliter consideratum, quam patiens in materia alicujus rei vere perficiendæ. Unde, si vera fides non requiritur de necessitate sacramenti in agente ad baptismum, sequitur, quod nec in patiente, seu recipiente baptismum requiratur de necessitate tali ad suscipiendum characterem: & consequenter, quod damnans unum, scilicet de agente, damnat & aliud, scilicet de patiente. *Tertio* habes: quomodo per rationem probes; regulas fidei catholicæ, quæ ponuntur a B. Augustino in lib. de fide a Petrum, c. 33. merito dicere. Firmissime tene, & nullatenus habites; sacramentum baptismatis non solum apud Ecclesiam catholicam, sed etiam apud hæreticos, qui in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti baptizant, esse posse; sed extra Ecclesiam catholicam prodesse non posse. Hæc ibi. Applica ex superioribus ad propositum. *Quarto* vides: quomodo &c.

ARTICULUS IX. 392

Utrum Pueri sint baptizandi.

IV. dist. IV. quæst. III. art. I. quæst. I. & mal. quæst. IV. art. I. co. princ. & quol. IV. art. 10. cor. & quol. IX. art. 22. cor.

Ad nonum sic proceditur. Videtur quod pueri non sint baptizandi. In eo enim qui baptizatur, requiritur intentio suscipien-

di sacramentum, ut supra dictum est (art. 7. hu. quæst.) Hujusmodi autem intentionem non possunt pueri habere, cum non habeant usum liberi arbitrii. Ergo videtur quod non possint suscipere sacramentum baptismi.

2. Præterea. Baptismus est fidei sacramentum, ut supra dictum est (1). Sed pueri non habent fidem, quæ consistit in credentium voluntate, ut Augustinus dicit super Joan. (tract. xxvi. aliquant. a princ. & Lib. de prædest. Sanctior. cap. v. in fin.) Nec etiam potest dici, quod salventur in fide parentum: quia quandoque parentes sunt infideles; & sic magis per eorum infidelitatem damnarentur, Ergo videtur quod pueri non possint baptizari.

3. Præterea. I. Petr. III. 21. dicitur, quod *homines salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientia bonæ interrogationis in Deum.* Sed pueri neque conscientiam habent bonam, vel malam, cum non habeant usum rationis, neque etiam convenienter ipsi interrogantur, cum non intelligant. Non ergo pueri debent baptizari.

Sed contra est quod Dionysius dicit ultimo cap. eccl. Hierarch. (vers. fin.) *Divini nostri duces, scilicet Apostoli, probaverunt infantes recipi ad baptismum.* (2)

Respondeo dicendum, quod, sicut Apostolus dicit Rom. v. 17. *si unius delicto mors regnavit per unum, scilicet per Adam, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Pueri autem ex peccato Adæ peccatum originale contrahunt: quod patet ex hoc quod sunt mortalitati subjecti, quæ per peccatum primi hominis in omnes pertransiit, ut Apostolus ibidem dicit. Unde multo magis pueri possunt per Christum gratiam accipere, ut regnent in vita æterna. Ipse

(1) Nimirum quæst. 66. art. 1. ubi fidei sacramentum dici notatur, quia est *quandam professio fidei*: Non sicut prius ad marginem indicabatur quæst. 65. Sic autem illum Augustinus appellat epistola 23. prope finem, unde refertur in Decretis distinct. 4. de consecrat. cap. *Nihil est*: Nec diffinili sensu fidei *sustentaculum* Gregorius Nazianz. vocat.

(2) Hinc Origenes lib. 5. in cap. 6. ad Rom. *traditionem ab Apostolis acceptam esse dicit*: Hinc Augustinus lib. 10. super Genesim ad lit. cap. 25. *Consuetudo Matris Ecclesie in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, nec ullo modo superflua repetenda, nec omnino erodenda, nisi Apostolica*

esse traditio: Hinc lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 24. postquam premitit quod per sanctificationem sacramenti perficitur salus, mox addit: *Quod eracitum tenet universitas Ecclesie, cum parvuli infantes baptizantur qui corde nondum possunt credere ad justitiam & ore confiteri ad salutem, quin etiam stendo & vagiendo cum in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstreperunt*: Et *salvamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari, & si quisquam in hac re auctoritatem divinam querat, quanquam quod universa tenet Ecclesia nec Conciliis institutum sed semper veterum est, non nisi auctoritate apostolica traditam reddissima traditur: tamen veraciter conficere possumus quid valeat*

le autem Dominus dicit Joan. 111. 5. quod nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Unde necessarium fuit pueros baptizari; ut sicut per Adam damnationem incurrerunt nascendo, ita per Christum salutem consequantur renascendo.

Fuit etiam conveniens pueros baptizari, ut a pueritia nutriti in his quæ sunt christianæ vitæ, firmius in ea perseverent, secundum illud Prov. xxii. 6. *Adolescens juxta viam suam; etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Et hanc rationem assignat Dionysius ult. cap. eccles. Hierarch. (vers. fin.)

Ad primum ergo dicendum, quod regeneratio spiritualis, quæ fit per baptismum, est quodammodo similis natiuitati carnali, quantum ad hoc quod sicut pueri in matris utero constituti non per se ipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur; ita etiam pueri nondum habentes usum rationis, quasi in utero matris Ecclesiæ constituti, non per se ipsos, sed per actum Ecclesiæ salutem suscipiunt. Unde Augustinus dicit in Libro I. de peccatorum meritis & remissione [cap. xxv. cir. fi.] *Mater Ecclesiæ materiam os parvulis præbet, ut sacris mysteriis imbuantur: quia nondum possant corde proprio credere ad justitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem.* (Et cap. xix. cir. fin.) *Si autem propterea recte fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quoddammodo proficiunt; cur etiam non penitentes habeantur,*

tur, cum per eorundem verba gestantium, diabolo; & huic seculo adveniant manifestentur? Et eadem ratione possunt dici intendentes, non per actum propriæ intentionis, cum ipsi quandoque contrantantur, & plorent, sed per actum eorum qui pro eis offeruntur.

Ad secundum dicendum, quod sicut Augustinus scribens Bonifacio (Lib. I. cont. duas epist. Pelag. cap. xxii.) dicit, in Ecclesia Salvatoris parvuli per alios credunt, sicut ex aliis, quæ in baptismo remittuntur, peccata trahunt. Nec impeditur eorum salus, si parentes sint infideles: quia, sicut Augustinus dicit eidem Bonifacio scribens (epist. xcvi. al. xxiii. cir. med.) offeruntur parvuli ad percipiendam spiritualem gratiam; non tam ab eis quorum gestantur manibus (quamvis & ab ipsis; si ipsi boni fideles sunt) quam ab universa societate sanctorum, atque fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet quod offeruntur, quorum caritas ad communionem sancti Spiritus adjunguntur. Infidelitas autem propriorum parentum, etiam si eos post baptismum demoniorum sacrificiis imbuere conentur, pueris non nocet: quia, ut Augustinus ibidem (cir. princ.) dicit, puer semel generatus per aliorum carnalem voluptatem, cum semel regeneratus fuerit per aliorum spiritualem voluntatem, deinceps non potest vinculo alienæ iniquitatis obstringi, cui nulla sua voluntate consentit. (Secundum illud Ezech. xviii. 4. *Sicut anima patris mea est, ita etiam anima filii: anima quæ peccaverit,*

in parvulis baptismi sacramentum ex circumcisione carnis, &c. Hinc rursus lib. 1. de peccatorum meritis & remissione seu de baptismo parvulorum cap. 26. *Quia parvulos (inquit) baptizandos esse concedunt (Pelagiani) qui contra auctoritatem universæ Ecclesiæ proculdubio per Dominum & Apostolos traditam venire non possunt, concedens oportet eos egerit illis beneficiis Mediatoris, &c.* indeque infert originale peccatum: Cur autem illam auctoritatem per Dominum traditam dicit, nisi propter illud quod prius ex Joan. 3. notatum est, *Nisi quis renatus, &c.* ubi nec infantes excipit, & ut ex Ambrosio additum art. 2. Hinc etiam in Concilio Milevitano sub Innocentio primo Can. 2. *Placuit ut quicumque parvulos recentes ab utrisque matrum baptizandos negat, anathema sit.* Hinc Innocentius 3. (ut cap. Majores extra de baptismo & ejus effectu videre est) postquam præmissit quod cum circumcisio tam parvulis in Mosaicâ lege quam adultis conferri juberetur, baptismus quoque tam adultis est conferendus quam parvulis: *Abse ut universi parvuli pereant (inquit) quid misericors Deus qui neminem vult perire. aliquibus ipsis remedium procuraverit ad salutem.* Hinc de quibusdam hæreticis qui

se Apostolicos nominabant, sed verius Apostatios appellarent, Bernardus in Cantica serm. 66. *Videte destructores, videte canes (inquit) irridens nos quia baptizamus infantes:* Et paulo post: *Quid enim si infans pro se loqui non potest, pro quo vox sanguinis fratris sui & salis fratris (nimirum Christi) clamat ad Deum de terra: astas & clamat nihilominus mater Ecclesiæ? Quid tamen infans? Nonne & ipse sibi videtur inhiare de fontibus Salvatoris, vociferari ad Deum, suisque vagitibus clamitare: Domine vim patior, responde pro me: Flagitas auxilium gratiæ quia vim patitur ad origine: Clamat innocentia miseri clamat ignorantia parvuli, clamat infirmitas addicti &c.* Nemo mihi dicat quia non habet fidem, cui mater (Ecclesiæ) impendit suam, &c. Proinde anathema Concilio Tridentino dicitur iis qui vel parvulos cum ad annis discretionis pervenerint rebaptizandos; vel in baptismum jam susceptum ratum habere velint interrogandos esse dicunt: Sicut Sess. 4. Can. 13 & 14. videre est: Nec obstat Gregor. Nazianzeni consilium de triennio expectando, quia cæteris non placuit, & ipse dicitur eodem loco & idem docet. 40.) eos vult statim baptizari, cum periculum urget.

verit, ipsa manet.) Sed ideo, ex Adam trahitur, quod sacramenti istius signatio solvatur, quæ nondum erat anima separata vivens, Fides autem unius, immo totius Ecclesie, parvulo prodest per operationem Spiritus sancti, qui vivit Ecclesiam, & bona unius alteri communicat.

Ad tertium dicendum, quod sicut puer, cum baptizatur, non per se ipsum, sed per alios eredit; ita non per se ipsum, sed per alios interrogatur; & interrogati consentunt fidem Ecclesie in persona pueri, qui huic fidei aggregatur per fidei sacramentum. Conscientiam autem bonam consequitur puer etiam in seipso, non quidem actu, sed habitu per gratiam justificantem.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses illorum, qui etiam contra puerulos, absque ratione, sed quadam vecordia propria moti favere non erubuerunt. Hi sunt *Munzerici* dicentes: baptismum infantum non esse a Deo. Item *Paterini*, ut infra qu. 69. art. 2. Item *Lutherus* (ut *Papa Leo X.* in bulla sua contra illum refert) dicens: in *Puero post baptismum negans remanens peccator, est Paulum, & Christum simul concutere*. Item *quidam*, *Direct. Inquis. 2. par. 9.* dicentes, quod baptismus non est communiter tam parvulis, quam adultis perfectum remedium ad salutem. Item *Publicani* dicentes, baptizandos non esse parvulos, donec intelligibilem, & rationis capacem ætatem attigerint. Item *Henriciani* dicentes, baptismum nihil prodesse parvulis usu rationis carentibus, quod fidem habere nequeant rationis expertes. Item *Hansstedii* dicentes, sine baptismum servare infantes ad aliquot annos, liberum esse cuique nec ullius conscientiam hac in re ad certum tempus adstringi posse. Adducitur hic error præsens, pro quanto ex eadem officina, saltem per modum fautorie, proficisci videtur. Item *Casbari* dicentes, baptismum non indigere infantes, quod sint sine peccato. Item omnes illi, qui supra ar. 8. in appen. adducuntur. Ibi enim alia ratione recensentur, & hoc in loco alia (ut consideranti patere potest) recensendi veniunt. Item *Pelagius*, & *Armeni* dicentes, baptismum non indigere pueros ob peccatum originale, quia illud non habent. Item *Balsbasar Pacomastanus* dicens, baptizatos parvulos, cum ad annos discretionis pervenerint, rebaptizandos fore, quia

baptismus parvulis non prodest. Item *Anabaptiste* dicentes, pueros rebaptizandos, sive aqua retingendos. Secundo habes: quomodo per rationem demonstres, has omnes prodiversis suis partibus merito damnari ab aliquo sequentium Conciliorum, vel, &c. Ut a Concil. *Trid. sess. 7. de baptismo, can. 13.* „ Si quis dixerit, parvulos, eo quod „ actum credendi non habent, suscepto ba- „ ptismo, inter fideles computandos non esse, „ ac propterea, cum ad annos discretionis „ pervenerint, esse rebaptizandos, aut præ- „ stare omitti eorum baptismum, quam eos „ non actu proprio credentes baptizari in „ sola fide Ecclesie: Anathema sit. „ Item a *Papa Leone X.* in bulla sua contra errores *Martini Lutheri*, quæ incipit: *Exsurge Domine*, ubi, hoc prædicto inter multos enarrato, dicit. „ De eorumdem itaque venera- „ bilium fratrum nostrorum consilio, & as- „ sensu, ac omnium, & singulorum prædi- „ ctorum matura deliberatione præhabita „ auctoritate omnipotentis Dei, & Beato- „ rum Apostolorum Petri, & Pauli, & no- „ stra præfatos omnes, & singulos artic. seu „ errores, tanquam (ut præmittitur) re- „ spectively hæreticos, aut scandalosos, aut „ falsos, aut piæ auriem offensivos, vel „ simplicium mentium seductivos, & veri- „ tati catholicæ obvias, damnamus, re- „ probamus, atque omnino rejicimus, ac „ pro damnatis, reprobatis, & rejectis ab „ omnibus utriusque sexus Christianis debent „ haberi debere, harum serie decernimus, & „ declaramus. *Hæc ille. Item a Concil. Pa- ris. sub Ludovico, & Lothario lib. 1. c. 9.* Quoniam fides Christi ubique posset, & parvuli de Christianis parentibus nati, antequam ad intelligibilem ætatem veniant, baptismatis sacramenta percipiunt, necesse est, ut, quod imbecillis ætas nequivit, intelligibilis discere satagat. Quod, quia ab usu Christianæ religionis propter quorundam incuriam recessit, quantæ est negligentie, quantique discriminis, satis dici non potest. „ Hæc ibi. Ecce: Non dixit Concilium, quod hujusmodi parvuli rebaptizentur, aut quod interrogentur, si voluit habere ratum, quod alii vice eorum promiserunt, sed tantum, ut audisti. Item a Concil. *Trid. sess. 7. de baptismo, can. 14.* „ Si quis dixerit, hujusmodi par- „ vulos baptizatos, cum adoleverint, inter- „ rogandos esse, an ratum habere velint, „ quod patrini eorum nomine, dum baptiza- „ rentur, polliciti sunt, & ubi se nolle res- „ pon-

„ ponderint, suo esse arbitrio relinquendos ,
 „ nec alia interim pœna ad Christianam vi-
 „ tam cogendos, nisi ut ab Eucharistia, a-
 „ liorumque sacramentorum perceptione ar-
 „ ceantur, donec resipiscant : Anathema sit.
 „ *Hæc ibi . Item a Concilio eod. sess. 5. Si*
 „ quis parvulos recentes ab uteris matrum
 „ baptizandos negat, etiamsi fuerint a bap-
 „ tizatis parentibus orti, aut dicit in remis-
 „ sionem quidem peccatorum eos baptizari,
 „ sed nihil ex Adam trahere originalis pec-
 „ cati, quod regeneratione necesse sit ex-
 „ piari ad vitam æternam consequendam,
 „ unde sit consequens, ut forma baptisma-
 „ tis in remissionem peccatorum non vera
 „ in eis, sed falsa intelligatur : Anathema
 „ sit . Quoniam non aliter intelligendum est
 „ quod dixit Apostolus : Per unum homi-
 „ nem peccatum intravit in mundum, &
 „ per peccatum mors, & ita in omnes homi-
 „ nes pertransiit, in quo omnes peccave-
 „ runt, nisi quemadmodum Ecclesia catholi-
 „ ca ubique diffusa semper intellexit . Propter
 „ hanc enim regulam fidei, ex traditione
 „ Apostolorum, etiam parvuli, qui nihil pec-
 „ catorum in semetipsis adhuc committere
 „ potuerant, ideo in remissionem peccato-
 „ rum veraciter baptizantur, ut in eis re-
 „ generatione mundetur, quod generatione
 „ contraxerunt . Nisi enim quis renatus fue-
 „ rit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest
 „ introire in regnum Dei . „ *Hæc ibi . Item*
 „ a Concilio *Milevitano c. 2. totidem fere ver-*
 „ bis : & ponitur in *lib. Decretorum de consecr.*
 „ *dist. 4. cap. Placuit, ut quicumque parvulos*
 „ *Item ab Innocentio I. Papa . Hic enim con-*
 „ *stituit, ut, qui natus fuisset de Christiana,*
 „ *denuo nasci deberet per baptismum . Hæc in*
 „ *Concilio de vita hujus Papæ . Item a Con-*
 „ *cilio Carthaginensi in epistola ad Papam In-*
 „ *nocentium primum, ubi damnat hanc Pelagii*
 „ *hæresim, quod parvuli propter salutem, quæ*
 „ *per Salvatorem Christum datur, baptizandi*
 „ *non sunt . Dicebat siquidem animarum hic*
 „ *necator Pelagius, quod parvuli habituri essent*
 „ *vitam æternam, etiamsi non baptizarentur .*
 „ *Ad hoc Concilium rescribit Innocentius, &*
 „ *errorem illum cum ejus auctore Pelagio*
 „ *condemnat . Hæc ex epistola illa, & rescri-*
 „ *pto summata sunt . Item a Papa Siricio in*
 „ *epistola prima ad Himerium Tar, Episcopum .*
 „ *Infantibus, qui necdum loqui pote-*
 „ *runt per ætatem, vel his, quibus in qua-*
 „ *libet necessitate opus fuerit, unda sacri*
 „ *baptismatis omni volumus celeritate suc-*
 „ *curri : ne ad nostrarum perniciem tendat*

„ animarum, si negato desiderantibus fonte
 „ salutaris, exiens unusquisque de sæculo, &
 „ regnum perdat, & vitam . *Et infra . Ha-*
 „ *tenus erratum in hac parte sufficiat : nunc*
 „ *præfatam regulam omnes teneant sacerdo-*
 „ *tes, qui nati sunt ab Apostolicæ petræ, su-*
 „ *per quam Christus universalem construxit*
 „ *Ecclesiam, soliditate divelli . „ Hæc ille .*
 „ *Item a Concilio Africano circa tempora*
 „ *Bonifacii Papæ I. celebrato, cap. 76. ubi iis-*
 „ *dem verbis, quibus & Milevisanum, & Tri-*
 „ *dontium supra de parvulis recentior ab uteris*
 „ *matrum natis utitur . Item a Concilio Ge-*
 „ *mundinensi cap. 5. De parvulis, qui nuper e*
 „ *materno utero editi sunt . placuit constitui ;*
 „ *ut, si infirmi (ut afolet) fuerint, & lac*
 „ *maternum non appetunt, etiam eadem die qua*
 „ *nati sunt, si oblati fuerint, baptizentur . Hæc*
 „ *ibi . Item a Papa Gregorio, & habetur in*
 „ *lib. Decretorum distinct. 5. cap. Baptizari au-*
 „ *tem . Ubi dicit, quod eadem hora, qua pro-*
 „ *les gignitur, imminente periculo, baptizetur*
 „ *ne interveniente paululum mora, inveniri*
 „ *non valeat, qui redimatur . Item a Papa*
 „ *Innocentio III. extra, de baptismo, & ejus*
 „ *effectu. can. Majoris . Ubi determinat, quod*
 „ *pueris baptizatis non tantum aufertur pecca-*
 „ *tum originale, sed etiam patet aditus in*
 „ *regnum colorum . Item a Christo Domino*
 „ *quasi prædictos parvulorum impugnationes in-*
 „ *crepante Matth. 19. Sinite parvulos, & no-*
 „ *lisse eos prohibere ad me venire, saluum est*
 „ *enim regnum colorum . Scilicet si venerint ad*
 „ *me per baptismi actuale susceptionem ut*
 „ *pater ex prædictis, præcipue a Pontificibus Siricio*
 „ *& Gregorio . Tertio habes : quomodo per ratio-*
 „ *nem ostendas, præmissa omnia, pro quanto*
 „ *pueros esse baptizandos statuunt, & intelli-*
 „ *gas, & declares, & probes, atque defendas .*
 „ *Ex quibus præmissis vigilanter quoque nota-*
 „ *bis : quam derisibilis, atque damnable sit*
 „ *Calvinus in irrisione sua, qua scilicet irridet*
 „ *Papistas (sic enim Sedes Apostolicæ filios*
 „ *vocat) de hoc, quod dicunt : Infantes om-*
 „ *nes sine baptismo decedentes privari gloria*
 „ *Dei in perpetuum . Hæc ejus inulsißima ir-*
 „ *risio est in ejusdem libello contra act. Con-*
 „ *cilii Tridentini . Pro firmanâ adhuc ista*
 „ *veritate contra Calvinum, vide art. 2. coroll-*
 „ *ar. post ad tertium, & textum cor. ipsius*
 „ *articuli . Ratione enim opus est ad illuden-*
 „ *das phantasias irridendum . Quarto vides :*
 „ *quomodo &c.*

ARTICULUS X. 393

Utrum pueri Judæorum, vel aliorum infidelium sint invitis parentibus baptizandi.

2. 2. quæst. X. art. 12. & quod. 12. art. 7. & 11. cor.

AD decimum sic proceditur. Videtur quod pueri Judæorum, vel aliorum infidelium sint baptizandi etiam invitis parentibus. Magis enim debet homini subveniri contra periculum mortis æternæ quam contra periculum mortis temporalis. Sed puero in periculo mortis temporalis existenti est subveniendum, etiam si parentes per malitiam contraniterentur. Ergo multo magis est subveniendum pueris infidelium filiis per baptismum contra periculum mortis æternæ, etiam invitis parentibus.

2. Præterea. Filii servorum sunt servi, & in potestate dominorum. Sed Judzi sunt servi Regum, & Principum, & quicumque etiam alii infideles. Ergo atque omni injuria possunt Principes filios Judæorum, vel aliorum servorum infidelium facere baptizari.

3. Præterea. Quilibet homo est magis Dei a quo habet animam; quam patris carnalis, a quo habet corpus. Non est ergo injustum si pueri infidelium filii parentibus carnalibus auferantur, & Deo per baptismum consecratur.

Sed contra est quod in Decretis dist. xlv. (cap. v.) ex Concilio Toletano (IV. can. LVIII.) sic dicitur: *De Judæis præcipis sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre; non enim tales inviti salvandi sunt; sed volentes, ut integra sit forma justitiæ.*

Respondetur dicendum, quod pueri infidelium filii aut habent usum rationis, aut non habent. Si autem habent, jam quantum ad ea quæ sunt juris divini, vel naturalis, incipiunt sui potestatis esse: & ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt baptismum suscipere, sicut & matrimonium contrahere. Et ideo tales licite moneri possunt, & induci ad suscipiendum baptismum.

Si vero nondum habent usum liberi arbitrii, secundum jus naturale sunt sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt. Unde etiam de pueris antiquorum dicitur, quod salvabantur in fide parentum. Et ideo contra justitiam naturalem esset, si

Summ. S. Th. Tom. XII.

tales pueri invitis parentibus baptizarentur; sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus. Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare: quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes. Et ideo non habet hoc Ecclesiæ consuetudo quod filii infidelium, invitis parentibus baptizentur.

Ad primum ergo dicendum, quod a morte corporali non est aliquis eripiendus contra ordinem juris civilis; puta si aliquis a suo iudice condemnatur ad mortem, nullus debet eum violenter a morte eripere. Unde nec aliquis debet irrumpere ordinem juris naturæ, quo filius est sub cura patris, ut eum liberet a periculo mortis æternæ.

Ad secundum dicendum, quod Judzi sunt servi Principum servitute civili, quæ non excludit ordinem juris naturalis, vel divini.

Ad tertium dicendum, quod homo ordinatur ad Deum per rationem, per quam Deum cognoscere potest. Unde puer, antequam usum rationis habeat, naturali ordine ordinatur in Deum per rationem parentum, quorum curæ naturaliter subjacet: & secundum eorum dispositionem sunt circa ipsum divina agenda.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per secundæ conclusionis rationem ostendas, merito fuisse dictum a Concilio Tolet. 4. can. 45. vel 56. sic: „De Judæis præcepit sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. Cui enim vult, Deus miseretur, & quem vult, indurat. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ. Sicut enim homo propria arbitrii voluntate serpenti obediens periit; sic (vocante se gratia Dei) propriæ mentis conversione quisque credendo salvatur. Qui autem jampridem ad Christianitatem venire coacti sunt (sicut factum est temporibus religiosissimi principis Sisebuti) quia jam constat, eos sacramentis divinis associatos & baptismi gratiam suscepisse, & christum unctos esse, & corporis Domini, & sanguinis extitisse participes, oportet, ut fidem etiam, quam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam susceperunt, vilis, ac contemptibilis habeatur. Hæc ibi: & registrantur in Decretis dist. 45. De Judæis. Nec minus facit

H in

in proposito, quod loquatur de adultis, quibus & vim (conditionatam scilicet) jam pridem fuisse illatam pro baptismi susceptione innuit: hoc, inquam, non minus facit in proposito, quoniam formalitas, ad quam fertur Concilium, est una, videlicet, quod non inferatur vis neq̄ etiam conditionalis, alicui in causa baptismi. Vim ergo absolutam magis prohibet Concilium, Cum igitur formalitas principaliter ab ipso intenta de adultis, tam pro seipsis, quam pro filiis baptizandis verificatur, eodem tenore, quo vim etiam conditionalem inhibet fieri adultis pro seipsis baptizandis, cointelligitur & inhibere, inferri vim etiam conditionalem adultis pro suis filiis baptizandis, quod est baptizare filios, invitis parentibus. Per rationem ergo articuli ostendere potes, quod Concilium hoc recte sanxit, filios Judæorum non esse baptizandos parentibus invitis absolute, licet Concilium superaddat, quod nec ipsis invitis conditionaliter, de qua re articulus videtur non disputare. *Secundo* habes: quomodo per *tertiam* conclusionis rationem ostendas, idem Concilium cano. 58. vel 59. merito dixisse, *Judeorum filios, vel filios baptizatos, ne parentum involvantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus. Deputandos autem monasteriis, aut Christianis viris, aut mulieribus Deum timentibus, ut in moribus, & fide proficiant.* Hæc ibi: & recitantur in Decretis, 28. q. 1. *Judeorum filios*. Ob periculum subversionis filiorum ne propter affectum parentum (inquit articuli ratio), redierint ad infidelitatem, hunc saluberrimum canonem sanxit Concilium. Et nota, quod non loquitur de filiis baptizatis parentibus invitis (hoc enim tanquam strictè prohibitum, cano. 55. vel 56. silentio præterit) ne ob hoc capitulum de veritate præsentis articuli dubitare inciperes. Porro capitulum illud loquitur de filiis Judæorum jam baptizatorum, & consequenter non invitis parentibus, sed volentibus baptizari. Verum, quia parentes iidem aliquando ad Judæismum redibant, ne suos illos filios a fide suscepta per baptismum ad infidelitatem traherent, vel circumciderent eos adhuc parvulos, vel alia hujusmodi circa illos facerent, sacrum Concilium providit, ut supra. Et, quod hic sensus canonis hujus sit ad mentem Concilii verus, patet per ejusdem Concilii canonem immediate præcedentem, ubi legitur sic. „ Plerique, qui ex Judæis dudum ad Christianam fidem promoti sunt, nunc blasphemantes in Christum, non solum Judæos

ritus perpetrasse noscuntur, sed etiam abominandas circumcisiones exercere præsumperunt. De quibus consultum piissimi, ac religiosissimi Domini nostri Sisenandi regis hoc sanctum decrevit Concilium, ut hujusmodi transgressores pontificali auctoritate correcti ad Christiani dogmatis cultum revocentur, ut, quos voluntas propria non emendat, animadversio Sacerdotalis coerceat; ii autem, quos circumciderunt, si filii eorum sint, a parentum consortio separentur, si servi, pro injuria corporis sui libertati tradantur. „ Hæc ibi cano. 57. & recitantur in Dec. de consec. dist. 4. *Plerique*. Clare igitur perspicere datur, quod propter hos Judæos apostatantes a Christo, postea cano. sequenti, qui incipit, *Judeorum filios*, Concilium decernit, ut jam supra narratum est. Nec mirum, si hoc de filiis dixit, qui propter affectum ad parentes, juxta ar. præsentem magis sunt in periculo, quandoquidem etiam adultis, ne ad infidelitatem relaberentur, accuratissime providit sic. „ Sæpe malorum consortia etiam bonos corrumpunt, quanto magis eos, qui ad vitia proni sunt? Nulla ergo communitio ultra sit Hebræis ad fidem Christianam translatis cum his, qui adhuc in veteri ritu consistunt, ne forte eorum participatione subvertantur. Quicumque ergo amodo ex his, qui baptizati sunt, infidelium consortia non vitaverint, & hi Christiani deventur, & illi publicis caedibus deperuntur. Hæc idem Concilium cano. 60. vel 61. & registratur in Decretis 29. q. 1. c. *Sæpe malorum*. Adducti sunt sub disjunctione canones, quoniam exemplaria duo habita non concordabant in numeris; quod, si forte alibi sic contigerit, hinc aut simili motivo imperturbatus adscribas. *Tertio* habes: quomodo per rationem præmissas Concilii sententias, pro quanto vel invitis parentibus filios infidelium non baptizandos, vel hoc periculosum dicit, & intelligas, & declares, & probes. *Quarto* vides: quomodo &c.

Utrum Pueri in maternis uteris positi sint baptizandi.

IV. dist. VI. quæst. I. art. I. quæst. I. ☉
dist. XXIII. quæst. II. art. 8. quæst. I.
ad I. ☉ 2.

AD undecimum sic proceditur. Videtur possint baptizari. Efficacius enim est donum Christi ad salutem quam peccatum Adæ ad damnationem, ut Apostolus dicit Rom. v. Sed pueri in maternis uteris damnantur propter peccatum Adæ. Ergo multo magis salvari possunt per donum Christi: quod quidem fit per baptismum. Ergo pueri in maternis uteris existentes possunt baptizari.

2. Præterea. Puer in utero matris existens aliquid matris esse videtur. Sed baptizata matre, baptizatur quicquid est ejus intra ipsam existens. Ergo videtur quod, baptizata matre, baptizetur puer in utero ejus existens.

3. Præterea. Mors æterna pejor est quam mors corporalis. Sed de duobus malis minus malum est eligendum. Si ergo puer in utero matris existens baptizari non potest, melius esset quod mater aperiretur, & puer vi eductus baptizaretur, quam quod puer æternaliter damnaretur, absque baptismo decedens.

4. Præterea. Contingit quandoque quod aliqua pars pueri prius egreditur, sicut legitur Gen. xxxviii. 27. quod pariente *Thamar in ipsa effusione infantium unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum, dicens Ille egredietur prior: illo vero manum retrahente, egressus est alter.* Quandoque autem in

tali casu imminet periculum mortis. Ergo videtur quod illa pars debeat baptizari, pueri adhuc in materno utero existente.

Sed contra est quod Augustinus dicit in epist. ad Dardanum (cclxxxvii. al. lvii. inter med. & fin.) (1) *Nemo renascitur, nisi primo nascatur.* Sed baptismus est quædam spiritualis regeneratio. Non ergo debet aliquis baptizari, priusquam ex utero nascatur.

Respondeo dicendum, quod de necessitate baptismi est quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur, cum baptismus sit quædam ablutio, ut supra dictum est (quæst. lxxvi. art. I.) Corpus autem infantis, antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua: nisi forte dicatur, quod ablutio baptismalis, qua corpus matris lavatur, ad filium in ventre existentem perveniat. Sed hoc esse non potest: tum quia anima pueri, ad cujus sanctificationem ordinatur baptismus, distincta est ab anima matris: tum quia corpus pueri animati jam est formatum, & per consequens a corpore matris distinctum: & ideo baptismus quo mater baptizatur, non redundat in prolem in utero matris existentem. Unde Augustinus dicit contra Julianum (Lib. VI. cap. xiv. inter med. & fin.) *Si ad matris corpus id quod in ea concipitur, pertinet, ita ut ejus pars impuretur; non baptizaretur infans, cujus mater baptizata est aliquo mortis urgente periculo, cum eum gestaret in utero. Nunc vero cum ipse etiam, scilicet infans, baptizetur, non utique ad maternum corpus, cum esset in utero, pertinebat.*

Et ita relinquitur quod nullo modo infantes in maternis uteris existentes baptizari possunt.

Ad primum ergo dicendum, quod pueri in maternis uteris existentes nondum prodierant

H 2 in

(1) Ubi æquivalenter & plenius: *Nemo nascitur nisi operante concupiscentia carnali que tracta est ex primo homine qui est Adam, & nemo renascitur nisi operante gratia spirituali qua data est per secundum hominem qui est Christus. Quapropter si ad illum nascendo pertinemus, ad hunc renascendo, nec renasci quisquam potest antequam natus sit, profecto ille singulariter natus est cui renasci non opus fuit, quia non ex peccato in quo nunquam fuit, transitum fecit, &c. Hoc igitur excepto non video quomodo edificentur homines in domum Dei ad habendam in se inhabitantem Deum nisi cum fuerint renati, quod non possunt esse antequam nati: Et paulo infra: Quod si quisquam dicit jam esse natum hominem, etiam cum adhuc est in utero matris, quia dictum est de pregnantæ virginæ Dei ma-*

tre, quod in ea natum est, de Spiritu sancto est, nunquidnam huic natiuitati accedit secunda natiuitas? Alioquin non erit jam secunda sed tertia: Dominus autem cum hinc loqueretur: Nisi quis renatus (inquit) &c. eam scilicet computans primam natiuitatem qua fit matre pariente, non concipiens atque pregnantæ, qua fit ex ea, non qua in ea: Neque enim renatum dicimus hominem quem mater peperit, sanquam iterum natus sit qui vel semel natus iterum natus fuerat in utero: Sed illa natiuitate non computata que gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut possit renasci ex aqua & Spiritu: Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in utero potest, quoniam restat illi adhuc nasci, renascitur ergo antequam nascitur, quod fieri nullo modo potest.

in lucem, ut cum aliis hominibus vitam ducant: unde non possunt subijci actioni humanæ, ut per eorum ministerium sacramenta recipiant ad salutem; possunt tamen subijci operationi Dei, apud quem vivunt, ut quodam privilegio gratiæ sanctificationem consequantur, sicut patet de sanctificatis in utero.

Ad secundum dicendum, quod membrum interius matris est aliquid ejus per continuationem, & unionem naturalem partis ad totum; puer autem in utero matris existens est aliquid ejus per quamdam colligationem corporum distinctorum. Unde non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod *non sunt facienda mala, ut veniant bona*, ut dicitur Rom. 111. 8. Et ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum. Si tamen mater mortua fuerit vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur.

Ad quartum dicendum, quod expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad baptismum, nisi mors imminet. Si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari, periculo imminente; & non est postea rebaptizandus, si eum perfecte nasci contigerit. Et videtur idem faciendum, quæcumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit sicut in capite, videtur quibusdam quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, fuisse merito a Concilio *Neocesariensi*, cujus canones per Synodum *Constantinopolitanam in Trullo* celebratam probati fuerunt, insinuat, quod pueri in maternis uteris non possunt baptizari. Dicit enim cano. 6. „ Gravidam oportet baptizari, „ quando voluerit. Nihil enim in hoc, quæ „ parit, nascenti communicat, propterea quod „ uniuscujusque suum propositum in confessione „ ne declaretur. „ Hæc secundum editionem *primam* illius Concilii. Et secundum editionem *secundam* clarius. „ De prægnantibus, „ quod oporteat eas baptizari, quando vo- „ lunt. Nihil enim in hoc sacramento com- „ mune est parituræ, & illi, qui de ejus „ utero fuerit editus, quia uniuscujusque in „ illa confessione libertas arbitrii declaratur.

„ Hæc ibi. Ecce, quam aperte determinat, quod in sacramento baptismi, quo baptizatur mater, nihil communicat infans utero ejus inclusus. Ergo a fortiori innuit Concilium quod per hoc, quod corpus matris jam baptizatur lavatur aqua ad baptizandum puerum intus existentem, non attingitur puer ille a sacramento. Si enim sacramentum baptismi collatum matri baptizandæ non pertingit ad puerum baptizandum: multo minus aqua superfusa matri baptizatur jam, & non baptizans matrem, baptizabit infantem. Nec valet, si recurratur ad intentionem volentem baptizare infantem, non matrem: quoniam loquitur Concilium de re ipsa in se considerata. Si enim vidisset, quod secundum rem ipsam posset baptismus matris baptizare & inclusum puerum, cur non dixisset: Baptizantes vos matrem gravidam habeatis intentionem ad baptizandum etiam simul puerum? Certe hoc dicere facile erat Concilio, & facilius pro salute pueri, si verum esset. Potuisset namque tunc & ipsa confessio matris, qua respondebat, *Credo*, reputari etiam pro puero, sicut & confessio patris talis computatur nunc pro puero nato baptizando: potuisset & forma baptismi proferri sic, *Ego baptizo vos*, sicut & nunc fieret, quando in necessitate multi simul baptizarentur, q. 66. ar. 5. ad 4. Ceterum, quia Concilium vidit, baptismum illum secundum rei veritatem non posse attingere prolem inclusam: ideo de intentione tali, ac forma nec verbum fecit: imo patenter aperuit, quod in hoc baptismi sacramento nihil communionis habet nascitura proles. Eadem ratione motum fuit Concilium ad non dicendum baptizaturis matrem gravidam. Non habeatis intentionem ad baptizandum prolem, sive potius habeatis intentionem, quod non vultis per talem baptismum matris baptizare prolem: & sitis securi, quod tunc proles non erit baptizata. Pro quo sciendum, quod baptizaturi matrem (quantum ex contextu ipso conjicitur) dubitabant, ne per hoc baptizaretur proles. Unde scrupulo conscientiæ agitabantur dicentes: Si postea baptizabimus prolem, erimus rebaptizantes, si autem non, scandalizabitur populus, videndo, puerum nasci ex baptizata, & ad Ecclesiam pro baptismum recipiendo non portari. Quid juris ergo Domini Patres? Melius est, ut non baptizetur mater, donec emisserit infantem. Sic enim & conscientiæ nostræ ex præmissis tricis liberabantur, & nihilominus mater, etiam si mortua prægnans fuerit in voto baptismi salvabitur, & tunc puer

puer e ventre matris aperto extractus ad Ecclesiam portabitur, atque cum ædificatione populi solemniter baptizabitur? Responderunt Patres Concilii ad istos presbyteros, ut supra. Quasi dixissent. Relinquatis vos Plebani istum scrupulum, quod baptizando matrem baptizetis simul & prolem: quoniam hoc omnino falsum est. Baptizanda mater confessione propria symboli fidei per baptismum salvabitur: baptizandus postea puer natus confessione Ecclesie de symbolo fidei facta, & ipse per baptismum actu tunc susceptum ab originali mundabitur. Respondit sic Concilium. Poterat vero, si dubitasset de baptizazione pueri in utero existentis, respondere adhuc: ut omnia consona fiant, & conscientie vestre scrupulose non lædantur, postea portato puerulo ad Ecclesiam, omnes ceremonias baptismo circumstantes facietis circa illum, excepto, quod eum non baptizabitis, quia, jam baptizata matre, baptizatus fuit, vel si eum baptizare vultis ad cautelam, ne forte tunc non fuerit baptizatus, baptizabitis illum sub conditione hac, scilicet, si non es baptizatus, ego te baptizo. Denique, quia Concilium sacrum nihil dubitavit de hoc, quod puer ille non baptizatur, baptizata simul matre: ideo cunctis his, sive de intentione, sive de forma, sive de cautela, sive de conditione (ut præfertur) totaliter omisissis, stabilem sententiam resolute pro responso dedit, scilicet, quod puer ille nullo modo erat, baptizata matre, baptizatus. Item insinuat id ipsum a Concilio Martini Papæ. Si qua mulier prægnans desideraverit gratiam baptismi percipere, quando voluerit, habeat potestatem: Nam nihil participat in hoc mater infanti, qui nascitur, propterea quod uniuscujusque propria voluntas in confessione monstratur. Hæc ibi: & recitatur in Decretis de corp. dist. 4. c. Si qua mulier. Quæ dicta proculdubio cum Concilio Neocasariensi prædicto in sensu omnino conveniunt. Item ab Id. ut recitatur in Decretis de consecr. dist. 4. c. Qui in matris sunt useris, ideo baptizari non possunt, quia, &c. Vide ad hoc positum aliquid simile, si bene applicetur,

dictum a Papa Inn. II. extra de baptis. & ejus effectu, cap. Non ut apponeret. Hoc dictum Innocentii ponitur verbatim sup. art. 2. coroll. post ad 3. Inde firmam determinationem sumes ad quædam argumenta, quæ in præsentis articuli materia solent fieri a quibusdam in contrarium, quasi pro pietate. Secundo habes: quomodo per rationem prædicta a Patribus, pro quanto pueros in utero inclusos statuunt baptizari non posse, & intelligas, & probes, & defendas. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS XII. 395

Utrum furiosi, & amentes debeant baptizari.

IV. dist. IV. quæst. III. art. I. quæst. dist. XVIII. quæst. I. art. 3. quæst. I. corp. & ver. quæst. XXXVIII. art. 3. ad 1.

AD duodecimum sic proceditur. Videtur quod furiosi, & amentes non debeant baptizari. Ad susceptionem enim baptismi requiritur intentio in eo qui baptizatur, ut supra dictum est (art. 7. hu. quæst.) Sed furiosi, & amentes, cum careant usu rationis, non possunt habere nisi inordinatam intentionem. Ergo non debent baptizari.

2. Præterea. Homo bruta animalia super excedit in hoc quod habet rationem. Sed furiosi, & amentes non habent usum rationis, & quandoque etiam in eis non expectatur, sicut expectatur in pueris. Ergo videtur quod sicut bruta animalia non baptizantur, ita nec tales furiosi, & amentes debeant baptizari.

3. Præterea. Magis est ligatus usus rationis in furiosis, vel amentibus, quam in dormientibus. Sed baptismus non consuevit dari dormientibus. Ergo non debet dari amentibus, & furiosis.

Sed contra est quod Augustinus dicit IV. Confes. (cap. IV. cir. med.) de amico suo, qui cum desperaretur, baptizatus est nesciens: & tamen baptismus in eo efficaciam habuit. (1) Ergo carentibus usu rationis aliquando baptismus dari debet.

Re-

(1) Sic enim ibi plene narrare pergit Augustinus: Baptizatus est nesciens, me non curante, & præsumente id retinere potius animam ejus quod a me acceperat (id est supersticiosas & perniciosas fabellas quibus eum a vera fide averterat, sicut præmittit ibi) quam quod in corpore nescientis fiebat: Longe autem aliter erat: Nam recreatus est & saluus factus: Stansque ut primum cum eo loqui

potui (potui autem mox ut ille potuit quoniam non discedebam & nimis pendebamus ex invicem) sentavi apud illum irridere, tanquam & illo irrisuro mecum, baptismum quem acceperat mente atque sensu absentissimus, sed tamen se jam accepisse didicerat: At ille ita me exhorruit ut inimicum, ammonisque mirabili & repentina libertate ut si amicus esse vellem, salia sibi dicere desinere.

Respondeo dicendum, quod circa amentes, & furiosos est distinguendum. Quidam enim sunt a natiuitate tales, nulla habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus usus rationis apparet: & de talibus, quantum ad baptismi susceptionem, videtur esse idem iudicium quod de pueris, qui baptizantur in fide Ecclesie, ut supra dictum est. (art. 9. hu. quæst.)

Alii vero sunt amentes, qui ex sana mente, quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt: & tales sunt iudicandi secundum voluntatem, quam habuerunt, dum sanæ mentis existerent. Et ideo si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi baptismum, debet eis exhiberi in furia, & amentia constitutis, etiam si tunc actu contradicant: alioquin si nulla voluntas suscipiendi baptismum in eis apparuit, dum sanæ mentis essent, non sunt baptizandi.

Quidam vero sunt qui etsi a natiuitate fuerint furiosi, vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti possunt. Unde si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt etiam in amentia constituti; & debet eis tunc sacramentum conferri, si periculum timeatur: alioquin melius est ut tempus expectetur, in quo sint sanæ mentis, ad hoc quod deuotius suscipiant sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non apparet in eis voluntas suscipiendi baptismum, baptizari non debent in amentia constituti.

Quidam vero sunt qui etsi non omnino sanæ mentis existant, intantum tamen ratione utuntur quod possunt de sua salute cogitare, & intelligere sacramenti virtutem: & de talibus idem est iudicium sicut de his qui sanæ mentis existunt, qui baptizantur volentes, non autem inuiti. (1)

Ad primum ergo dicendum, quod amentes qui nunquam habuerunt, nec habent usum rationis, baptizantur ex intentione Ecclesie, sicut & (*) ex actu Ecclesie credunt, & pœ-

nitent, sicut supra de pueris dictum est (art. 9. hu. quæst.) Illi vero qui aliquo tempore habuerunt, vel habent usum rationis, secundum propriam intentionem baptizantur, quam habent, vel habuerunt tempore sanæ mentis.

Ad secundum dicendum, quod furiosi, vel amentes carent usu rationis per accidens, scilicet propter aliquod impedimentum organi corporalis, non autem propter defectum anime rationalis, sicut bruta animalia. Unde non est de his similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod dormientes non sunt baptizandi, nisi periculum mortis immineat: in quo casu baptizari debent, si prius in eis voluntas apparuit suscipiendi baptismum, sicut & de amentibus dictum est (in corp. art.) sicut Augustinus narrat in IV. Lib. Confess. (loc. sup. cit.) de amico suo, qui baptizatus est nesciens, propter periculum mortis.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, fuisse merito insinuatam a Conciliis, quod furiosi sunt, & non sunt baptizandi. Ut a Concilio Arausicano 1. sub Leone I. c. 12. *Subito obmutescens, prout statutum est, baptizari, aut penitentiam accipere potest, si voluntatis præterite testimonium aliorum verbis habet, aut presentis in suo nutu.* Hæc ibi. Et recitantur in Dec. 27. qu. 6. e. *Qui recedunt.* Item ab eodem Concilio cap. 13. *Amentibus, quæcumque sunt pietatis, conferenda sunt.* Intellige tu ex Concilio eiusdem præmissio ca. conditionem hanc, sc. si amentes voluntatis præterite testimonium aliorum verbis habent, quando videlicet erant in lucido intervallo. Alioquin secundum Concilium iudica de illis, si nunquam habuerunt lucidum intervallum, sicut de pueris. Vide art. 9. Et hæreses ibi narratas de pueris, si ad tales amentes applicentur, per huius articuli

ra-

(1) Quamvis inter inuitum & coactum aliqui non absurde distinguunt (inquit) Innocentius 3. in cap. *Majores* extra de baptismo & ejus effectus, §. *Item queritur*: Qui enim terroribus ac suppliciis attrahitur, & ne detrimentum incurras baptismi suscipis sacramentum, talis characterem suscipit Christianitatis impressum, & tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam fidei Christiana, sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisebuti (ex Concilii Tolentani Decreto) &c. Ille vero qui non consensit sed penitus contradixit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti; sicut nec ille notam alicujus reatus incurrit qui contradicens penitus & reclamans obfuscare idolis cogitur violenter, Et mox: Dormientes autem & amentes, si priusquam amentiam incurerent aut dormirent in contradictione persisterent, quia in eis intelligitur propositum contradictionis perdurare, characterem non suscipiunt Sacramenti: Secus autem si habuissent propositum baptizandi (passivo sensu, id est baptismi suscipiendi) &c.

(*) Ita ed. passim. iuxta sententiam Garcia, quæ sic legendum vult. Al. ex ritu, Cod. Alcan. habes obfure ex ritu, vel ex nutu.

rationem rejice. Et Concilia ibi illas damnantia hac etiam ratione sustentata. Item idipsum insinuat a Concilio *Carthaginensi* 3. cap. 34. *Ægrotantes, si pro se respondere non possunt, cum voluntas eorum testimonium sui dixerit, baptizentur.* Hæc ibi. Et recitatur de consecratione, dist. 4. Ecce, quod omnia Concilia ad voluntatem baptizandi, si aliquando usum rationis habuerit, respici aliquo modo statuunt. Unde ex hoc stabilitatem agnoscas notationem post *secunda* conclusionis probationem supra positam. item a Papa *Innoc. III.* extra de baptif. & ejus effectum, cap. *Majores*. Ubi postquam dixerat, quod amentibus, si voluntatem non habuerunt suscipiendi baptismum, non debet conferri: si autem habuerunt, baptizandi sunt, concludit, quod tunc sacramentalis operatio imprimat characterem, quando obicem voluntatis contrariæ non invenerit obstantem. Vide ibi circa finem capituli de amentibus, & circa post medium de dormientibus, ubi Concilii præmissis, maxime quoad rationem formalem de voluntate baptizandorum consona profert. Pro prædictis juvat etiam videre *lib. Decr. de consecr. d. 4. c. parvuli alio, &c. cum pro parvulis.* Secundo habes: quomodo per rationem prædicta Papæ, atque Conciliorum pro quanto amentibus baptismum vel dandum, vel non dandum statuunt, & intelligas, & probes, & defendas. Tertio vides: quomodo &c.

Q U Æ S T I O LXIX.

De effectibus Baptismi,

In decem articulos divisa.

DEinde considerandum est de effectibus baptismi: & circa hoc quaeruntur decem. Primo, utrum per baptismum auferantur omnia peccata.

Secundo, utrum per baptismum liberetur homo ab omni poena.

Tertio, utrum baptismus auferat penalitates hujus vitæ.

Quarto, utrum per baptismum conferatur homini gratia, & virtutes.

Quinto, de effectibus virtutum, qui per baptismum conferuntur.

Sexto, utrum etiam parvuli in baptismo gratiam, & virtutes accipiant.

Septimo, utrum per baptismum aperiatur baptizatis janua regni cælestis.

Octavo, utrum baptismus æqualem effectum habeat in omnibus baptizatis.

Nono, utrum fictio impediatur effectum baptismi.

Decimo, utrum, recedente fictione, baptismus obtineat suum effectum.

A R T I C U L U S I. 396

Utrum per Baptismum tollantur omnia peccata.

I. dist. xxxii. quest. i. art. i. & IV. dist. iv. quest. 2. art. i. quest. i. & dist. xvii. quest. iii. art. 5. quest. i. & IV. cont. cap. lvii. & lxxii. & Hebr. vi. lect. 3. fin.

AD primum sic proceditur. Videtur quod per baptismum non tollantur omnia peccata, Baptismus enim est quædam spiritalis regeneratio, quæ contraponitur generationi carnali. Sed per generationem carnalem homo contrahit solum originale peccatum. Ergo per baptismum solvitur solum originale peccatum.

2. Præterea. Pœnitentia est sufficiens causa remissionis actualium peccatorum. Sed ante baptismum in adultis requiritur pœnitentia, secundum illud Act. 11. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Ergo baptismus nihil operatur circa remissionem actualium peccatorum.

3. Præterea. Diverforum morborum diversæ sunt medicinæ: quia, sicut Hieronymus (alius Auctor) dicit (sup. illud Marci ix. *Hoc genus Damoniorum,*) non sanat oculos quod sanat calcaneum. Sed peccatum originale, quod per baptismum tollitur, est aliud genus peccati a peccato actuali. Ergo non omnia peccata remittuntur per baptismum.

Sed contra est quod dicitur Ezech. xxxvi. 25. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* (1)

Respondendo dicendum, quod, sicut Apostolus dicit Rom. vi. 3. *quicumque baptizati sumus in*

(1) Hinc Hieronymus id Judæis applicans postquam Christi sanguinem effuderunt, sic ex persona Dei ait: *Peperci eis & sanctificavi eos & pristina gloria restitui, in eis super credentes & ab errore*

conversus effunderem aquam mundam baptismi salutaris, & mundarem eos ab abominationibus suis & ab universis erroribus quibus fuerant occupati, & darem eis cor novum & spiritum novum ut credere

in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus: & postea concludit: Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro.

Ex quo patet quod per baptismum homo moritur vetustati peccati, & incipit vivere novitati gratiæ. Omne autem peccatum ad pristinam vetustatem pertinet. Unde consequens est quod omne peccatum per baptismum tollatur.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Apostolus dicit Rom. v. 16. peccatum Adæ non tantum potest, quantum potest donum Christi, quod in baptismo percipitur. Nam *judicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem*. Unde & Augustinus dicit in Lib. I. de baptismo parvulor. (seu de peccator. merit. & remis. cap. xv. in fi.) quod *generante corne, tantummodo trahitur peccatum originale, regenerante autem Spiritu, non solum originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum*.

Ad secundum dicendum, quod nullius peccati remissio fieri potest nisi per virtutem passionis Christi: unde & Apostolus dicit Hebr. ix. 22. quod *sinè sanguinis effusione non fit remissio*. Unde motus humanæ voluntatis, qui est in pœnitente, non sufficeret ad remissionem culpæ, nisi adesset fides passionis Christi, & propositum participandi ipsam, vel suscipiendo baptismum, vel subji-ciendo se clavibus Ecclesiæ. Et ideo quando aliquis adultus pœnitens ad baptismum accedit, consequitur quidem remissionem omnium peccatorum ex proposito baptismi, perfectius autem ex reali susceptione baptismi.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de particularibus medicinis. Baptismus autem operatur in virtute passionis Christi, quæ est universalis medicina omnium peccatorum: & ideo per baptismum omnia peccata tolluntur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses *Manicheorum* (ut refert Directorium Inquisit. 2. par. questio 13.) dicentium, baptismum esse quid va-

num, & inane. Loco autem baptismi aquæ, ut narratur ibidem, dicebant, esse quendam spiritualem baptismum, quod est consolamentum spiritus, quod *Manichei* ipsi conferre gloriabantur manu impositione ad suam sectam venientibus. Contra hos enim articulus præsens, imo tota quæstio pugnat, dum in singulis articulis aliquem bonum effectum a baptismo, quantum est ex parte sui, fieri demonstrat. Inane siquidem, & vanum esse non potest id, quod aliquem effectum producit. Item illam quorundam, de quibus in *Clementina, de sum. Trin. & fide cath.* dicentium, quod baptismus non est communiter tam parvulis, quam adultis perfectum remedium ad salutem. Contra hunc enim errorem determinat præsens articulus, quod baptismus omne peccatum, quod invenit in baptizato, delet, quantum est de se. Item illam *Brentii* dicentis, baptismate, licet peccatum originale dimittatur, non omne tamen peccatum deletur, quia suscepto baptismo adhuc remanet in baptizato carnis concupiscentia, quæ vere peccatum est contra illud, *non concupisces*, etsi a Deo non imputetur. Item illam horrendissimam *Luca Sternberger* plusquam blasphemè evomentis, quod baptismate intincti, nonnisi ad tartarum, & sempiternam damnationem baptizantur. Item illam sacrilegio plenam *Suenckfeldii*, ore diabolico effluentis, baptismum esse balneum suillum. Articulus enim, imo tota quæstio bestiam hujusmodi oppugnat, & efficacissime expugnat, dum baptismum esse balneum saluberrimum validissimis rationibus indicat. Item illas *Lutheri, & Baltasaris*, quas sup. q. 9. ar. 9. adduximus, ubi in pueris peccatum post baptismum remanere ponunt, vel quod baptismus parvulis non prodest. Sic dicas de aliis hujusmodi, si qui sunt, quocumque nomine vocentur. Noster enim articulus loquitur universaliter de omnib. baptizatis, quod ex illis abraditur omne peccatum quod habent, quod maxime de pueris, utpote non potentibus ponere virtuti baptismali obicem, verificatur. Item illam *Albanensium* dicentium, baptismum nullius esse virtutis. Item illam *Adelpii* dicentis: quod ex baptismo nulla provenit virtus, sed oratio sedula dæmonem vernaculam, & fa-

rens in Filium Dei: De quibus David loquitur Psal. 50.) Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis: Et considerandum quod cor novum & spiritus novus datur per effusionem & asperersionem aquæ: Nimirum in

figuram baptismi, &c. Sic etiam Theodoretus ibi: Aquam mundam regenerationis aquam nuncupavit, in qua baptizati peccatorum remissionem accipiunt: Et in similem sensum Cyprianus ei applicat epist. 76. seu lib. 1. epistola 6. &c.

& familiarem efficit. Item *Fulgentii* dicentis, baptismum reis, & peccatoribus nihil conferre. *Secundo* habes: quomodo per rationem has damnatas merito fuisse ostendas a Beato Petro Apostolo 1. Pet. 3. *Expectabant Dei patientiam, cum fabricaretur arca, in diebus Noe, in qua pauci, id est esse anima salvæ factæ sunt per aquam, quod & vos nunc similis formæ salvos facis baptisma.* Ecce, quod baptismus omne peccatum repertum in baptizato tollit: alioquin non faceret baptizatos salvos. Item ab *Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris.* Ista enim aqua munda, de qua Propheta, est baptismi aqua, jam olim semel pro semper mundata per Christum baptizatum tactu suæ mundissimæ carnis. Item ab *Zach. 13. Erit fons patens domui David, & habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.* Per menstruatam intellige tu culpam originale, quam videlicet contrahit homo, dum adhuc est in menstribus matris suæ, cibatus scilicet illis, atque nutritus, ac in illis habitator effectus: per peccatorem vero intellige peccata actualia, sive potius peccatis actualibus involutum. Item ab *Act. 2. baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum.* Loquitur B. Pet. de adultis ibi, & baptismum prodesse illis dicit in remissionem peccatorum, utique actualium etiam, ultra originale. Alioquin nec in remissionem esset peccatorum adultorum, cum illorum, ut sic, sint tantum actualia, quoniam originale, quod habent, contraxerunt, non ut adulti, sed ut infantes in materno utero concepti: imo nec in remissionem esset peccati originalis adultorum ipsorum, quoniam unum mortale, quod utique originale est, non remittitur sine remissione omnium mortalium. Implicaret enim contradictionem, quia tunc per gratiam peccator viveret, dum per gratiam unum mortale esset sibi remissum, & idem peccator simul esset mortuus, & sine gratia, dum unum aliud mortale haberet. Item ab *Inno. III. in Con. Læteran. extra, de summ. Trin. & fid. cath. cap. firmiter.* „ Sacramentum baptismi, quod ad invocationem individuae Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus sancti consecratur in aqua, tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesie, a quocumque rite collatum proficit ad salutem. Item a Papa Clem. V. in Conc. Viennensi, ut habetur in *Clemens. de summa Trinitate & fide cath.* Baptisma unicum omnes in Christo

„ regenerans esse (sicut unus Deus, ac fides „ unica) ab omnibus fidelibus confitendum, „ quod celebratur in aqua, in nomine Patris, „ & Filii; & Spiritus sancti, credimus esse „ tam adultis, quam parvulis communiter „ perfectum remedium ad salutem. „ Hæc „ ibi. Si adultis est ad salutem remedium per- „ fectum. ergo secundum Concilium in adultis „ omnia etiam actualia peccata delet. Item a „ &c. ut sup. q. 68. ar. 9. contra *Lutherum, & Balthasarem.* Item a Concilio *Florentino,* „ sive a Papa *Eugenio IV.* sacro ipso approban- „ te Concilio, in Decreto, quod „ incipit „ *Exultare Deo adiutori nostro.* Hujus sa- „ cramenti effectus est remissio omnis culpæ „ originalis, & actualis, omnis quoque pe- „ næ, quæ pro ipsa culpa debetur: propter „ rea baptizatis nulla pro peccatis præteritis „ injungenda est satisfactio: sed morientes, „ antequam culpam aliquam committant, sta- „ tim ad regnum cælorum, & Dei visionem „ perveniunt. „ Hæc ibi. Quæ partim faciunt ad q. 68. ar. 5. & 6. ideo, quantum „ sufficit, illuc applica. Sic faciendum est etiam de dictis aliarum scripturarum, Conciliorum, Summorumve Pontificum, quando ad alias quoque materias articulorum aliquorum, in quibus non allegantur, vel pro toto, vel pro parte, valent: quoniam non omnia in omnibus citari potuerunt, & eadem repetere superfluitas est iudicatum, nisi forsitan aliquando speciali causa movente. Item a Concilio *Trident. sess. 5.* „ Si quis per Jesu Christi „ Domini nostri gratiam, quæ in baptismate „ confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, sed dicit, tantum radi, aut non imputari: Anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere consecuti sunt cum Christo per baptismam in morte, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & novum induentes, qui secundum Deum creatus est, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti, effecti sunt hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; ita, ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur. Et infra. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium

„ fenserit : Anathēma sit . „ Hæc ibi . *Tertio*
vides : quomodo &c.

A R T I C U L U S II. 397

*Utrum per Baptismum liberetur homo ab
omni reatu peccati .*

*Sup. quest. lxxviii. art. 2. & III. dist. xix.
art. 3. quest. 2. & IV. dist. iv. quest. 11.
art. 1. quest. 2. & art. 3. quest. 1. & dist.
vii. quest. 1. art. 1. quest. 1. & IV. cons.
cap. lxxviii. lix. & lxxii. & Rom. xi. lecti.
4. & Heb. vi. lec. 3. fi.*

AD secundum sic proceditur . Videtur
quod per baptismum non liberetur ho-
mo ab omni reatu peccati . Dicit enim Apo-
stolus Rom. xiiii. 1. *Que a Deo sunt , ordi-*
nata sunt . Sed culpa non ordinatur nisi per
pœnam , ut Augustinus dicit (Lib. I. Re-
tract. cap. ix. & Lib. III. de lib. arbit. cap.
xviii.) Ergo per baptismum non tollitur
reatus pœnæ præcedentium peccatorum .

2. Præterea . Effectus sacramenti aliquam
similitudinem habet cum ipso sacramento :
quia sacramenta novæ legis efficiunt quod fig-
urant , ut supra dictum est (quest. lxxi.
art. 1. ad 1.) Sed ablutio baptismalis habet
quidem aliquam similitudinem cum ablutione
maculæ , nullam autem similitudinem habere
videtur cum subtractione reatus pœnæ . Non
ergo per baptismum tollitur reatus pœnæ .

3. Præterea . Sublato reatu pœnæ , aliquis
non remanet dignus pœna ; & ita injustum
esset eum puniri . (1) Si igitur per baptismum
tollitur reatus pœnæ , injustum esset post ba-
ptismum suspendere latronem , qui ante ho-
micidium commisit ; & ita per baptismum
tolleretur rigor humanæ disciplinæ : quod
est inconueniens . Non ergo per baptismum
tollitur reatus pœnæ .

Sed contra est quod Ambrosius (alius Au-
ctor) dicit super illud Rom. xi. *Sine pœni-*

sentia sunt dona , & vocatio Dei . Gratia
„ (inquit) Dei in baptismo gratis omnia
„ condonat . (2)

Respondeo dicendum , quod , sicut supra
dictum est (quest. lxxviii. art. 5. in corp.
& ad 1.) per baptismum aliquis incorpora-
tur passioni , & morti Christi , secundum illud
Rom. vi. 8. *Si mortui sumus cum Christo ,*
credimus quia simul etiam vivemus cum eo .
Ex quo patet quod omni baptizato commu-
nicatur passio Christi ad remedium , ac si ipse
passus , & mortuus esset .

Passio autem Christi , sicut dictum est
(quest. lxxviii. art. 5.) est sufficiens satis-
factio pro omnibus peccatis omnium homi-
num . Et ideo ille qui baptizatur , liberatur
a reatu totius pœnæ sibi debite pro peccatis
ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omni-
bus peccatis suis .

Ad primum ergo dicendum , quod quia pœ-
na passionis Christi communicatur baptizato
inquantum sit membrum Christi , ac si ipse
pœnam illam sustinuisset ; ideo ejus peccata
remanent ordinata per pœnam passionis Chri-
sti . (3)

Ad secundum dicendum , quod aqua non
solum abluit , sed etiam refrigerat ; & ita
suo refrigerio significat subtractionem re-
atus pœnæ , sicut sua ablutione significat
emundationem a culpa .

Ad tertium dicendum , quod in pœnis quæ
iudicio humano inferuntur , non solum at-
tenditur qua pœna sit homo dignus quoad
Deum , sed etiam in quo sit obligatus quoad
homines , qui læsi , & scandalizati sunt per
peccatum alicujus . Et ideo licet homici-
da per baptismum liberetur a reatu pœnæ
quoad Deum ; remanet tamen obligatus ad-
huc quoad homines , quos justum est ædifica-
ri de pœna , sicut sunt scandalizati de culpa .
Pie ramen talibus Princeps posset pœnam in-
dulgere .

A P.

(1) Juxta illud Sap. 12. vers. 15. *Beati qui non
debet puniri condemnare exterum asinus a sua vir-
tute ;* ut in Bibliis emendatis .

(2) Sicut jam superius relatum est , plenius quest.
68. art. 5. argum. *Sed contra* , & ibi ad marginem
notatur Ambrosii non esse sed Hilarii Diaconi , cui
tribui passim solet . Nec Ambrosii esse posse prolixè
probat Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis cum
Ambrosii tom. quintum expendit . Unde velut ex
Hilario citat August. in lib. 4. contra duas epistolas

Pelagianorum cap. 4. Ubi vel *Sanctum* vocat quia
Pictaviensem existimavit ; vel quod eo tempore no-
men *Sancti* omnibus Christianis tribueretur , &c.

(3) Nec tamen verba quæ velut ex cap. 13. ad
Romanos in argumento relata sunt , sic Apostolus
habet , ut multoties notatum est , sed quod *quæ sunt*
(scilicet potestates) *a Deo ordinata sunt* , seu di-
vinitus instituta , ut ex ibi adjunctis patet : Quan-
vis & verissimo sensu ordinata dicatur quæcunque a
Deo sunt .

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per ratio- nem interimas hæresim *Casbarorum*, sive *Pæterinosum* (inter horum errores & hunc enumerat Cardinalis Turrecremata *lib. 4. de Ecclesia cap. 25.*) dicentium, quod baptizati parvuli non levius punientur æternaliter, quam latrones, & homicidæ. In quantum istis loquantur de parvulis, possunt recenferi *sup. q. 68. ar. 9.* in quantum autem pœnæ reatum videntur nolle tolli a baptizatis, de- bent recenferi hic. Item hæreses supra art. 1. adductas dicentium, baptismum nullius vir- tutis esse, nihil conferre reis, vel hujusmodi, puta, esse quid vanum. Hi enim, cum ne- gent culpæ, negant etiam pœnæ, in baptis- mo remissionem fieri : ideo pro culpa ibi, pro pœna hic adducantur. *Secundo* habes : quomodo per rationem ostendas, has merito damnari a Concilio *Flor.* de effectu baptismi in Decreto *Eugenii* supra *articulo primo* alle- gato, ubi deserminat, quod intantum omnis pœnæ reatus tollitur, ut si, culpa nova non admiffa, quis moriatur, statim ad visio- nem divinæ essentia perducatur. Vide ibi formalia verba *Eugenii* Papæ : ubi notabis etiam signanter illa verba pro limitatione adjungi, scilicet, *que pro ipsa culpa debetur.* Non enim dicit Concilium, quod est remis- sio omnis pœnæ simpliciter, sed cum addi- tione hæc, scilicet, *qua pro ipsa culpa debetur.* Quasi dixerit. Est remissio pœnæ culpæ inibi remissarum, ut in foro Dei pœna con- sideratur, non in foro hominum (responsio ad tertium hoc declarat) & ut pœna respicit personam, quæ baptizatur, non ut respicit naturam communem personæ ipsius baptiza- tæ, *articulo tertio* hæc bene declarat. Item a Concilio *Viennensi in Clement.* de *Summa Trin.* & *fi. cath.* ibi allegato, ubi dicit Papa, Conc. ipso approbante, quod baptismus est remedium perfectum ad salutem, si perfectum ergo reatum omnis culpæ per ipsam remissæ tollit. Alioquin esset quidem remedium per-

fectum in genere culpæ remissæ, sed non perfectum simpliciter respectu baptizari. Item a, &c. ut ibi a. 1. si qua sunt pro hujus- modi damnatione facientia. *Tertio* vides quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 398

Utrum per Baptismum debeant auferri pœn- alitates presentis vitæ.

II. dist. xxxii. quest. 1. art. 1. quest. 2. & dist. xxxlii. quest. 1. art. 2. & III. dist. xix. art. 3. quest. 2. & IV. dist. iv. quest. 11. art. 1. quest. 3. & IV. con. cap. lii. fi. & ly. ad 3. & xxvii. & cap. lix. & quot. vi. art. 15.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod per baptismum debeant auferri pœnalitates presentis vitæ. Ut enim Apostolus dicit Rom. v. donum Christi potentius est quam peccatum Adæ. Sed per peccatum Adæ ut ibidem Apostolus dicit, *mors in hunc mundum intravit*, & per consequens omnes alie pœnalitates presentis vitæ. Ergo multo magis per donum Christi, quod in baptismo percipitur, homo a pœnalitatibus presentis vitæ debet liberari.

2. Præterea. Baptismus auferit & culpam originalem, & actualem, sicut supra dictum est (art. 1. hu. quest.) Sic autem auferit actualem culpam quod liberat ab omni reatu pœnæ consequente actualem culpam. Ergo etiam liberat a pœnalitatibus presentis vitæ, quæ sunt pœna originalis peccati.

3. Præterea. Remota causa, remouentur effectus. Sed causa harum pœnalitatum (1) est peccatum originale, quod tollitur per baptismum. Ergo non debent hujusmodi pœnalitates remanere.

Sed contra est quod super illud Rom. vii *Destruatur corpus peccati*, dicit Glossa (2) Per baptismum agitur, ut vetus homo cruci- figatur, & corpus peccati destruat, non ita ut in iplo vivente carnis concu-

I 2

„ pti

(1) Quæ velut jugum gravo super filios Adam infinuatur Ecclesiast. 40. vers. 1.

(2) Non moderna sive impressa, sed solummodo vetus vel manuscripta quæ Augustini nomen præfert ex libro autem 1. de peccatorum meritis & remis- sione seu de baptismo parvulorum cap. 39. desump- ta est; ubi expresse de parvulis hoc dicit, sed mox perguit dicere de adultis : Nam nec grandibus in bap-

tismo præstatur (nisi forte miraculo ineffabili omni- potentissimi Creatoris) ut lex peccati quæ inest in membris repugnans legi mentis, penitus extinguatur & non sit, sed ut quicquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum est, cum eidem concupiscentia subiecta mente serviret, potius aboleatur, ac velut factum non fueris, habeatur : ipsa vero soluto reo sine vinculo maneat in certamine, &c.

„piscencia resperfa, & innata repente absumatur, & non sit; sed ne obsit mortuo, quæ inerat nato. “ Ergo pari ratione nec aliæ pœnalitates per baptismum tolluntur.

Respondendo dicendum, quod baptismus habet virtutem auferendi pœnalitates præsentis vitæ; non tamen eas auferit in præsentis vitæ, sed ejus virtute auferentur a justis in resurrectione, quando *mortale hoc induet immortalitatem*, ut dicitur I. Cor. 54.

Et hoc rationabiliter. Primo quidem quia per baptismum homo incorporatur Christo, & efficitur membrum ejus, ut supra dictum est (art. præc.) Et ideo conveniens est ut id agatur in membro incorporato quod est actum in capite. Christus autem a principio suæ conceptionis fuit plenus gratia, & veritate; habuit tamen corpus passibile, quod post passionem, & mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum. Unde & Christianus in baptismo gratiam consequitur quantum ad animam; habet tamen corpus passibile, in quo pro Christo possit pati; sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam. Unde Apostolus dicit Rom. VIII. 11. *Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis: & infra 17. Heredes quidem Dei; coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & simul glorificemur*: Secundo hoc est conveniens propter spirituale exercitium, ut videlicet contra concupiscentiam & alias passibilitates pugnans homo, victoriæ coronam acciperet. Unde super illud Rom. VI. *Ur destruat corpus peccati*, dicit Glossa (1) „Si post baptismum vixerit homo in carne, habet concupiscentiam, cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo superet. “ In cujus figuram dicitur Judic. III. 1. *He sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israel, & postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi*. Tertio hoc fuit conveniens, ne homines ad baptismum accederent propter impassibilitatem præsentis vitæ, & non propter gloriam vitæ æternæ: unde & Apostolus dicit I. Corinth. XV. 19.

Si in hac vita tantum sperantes sumus in Christo, miserabiles sumus omnibus hominibus.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Glossa (Petri Lomb.) dicit Rom. VI. super illud, *Ut ultra non serviamus peccato*, „sicut aliquis capiens hostem atrocissimum, non statim interficit eum, sed patitur eum cum dedecore, & dolore aliquantulum vivere; ira & Christus pœnam prius alligavit, in futuro autem perimet. “

Ad secundum dicendum, quod, sicut ibidem dicit Glossa (2) (ord. sup. illud, *Homo noster crucifixus*), „duplex est pœna peccati, gehennalis, & temporalis. Gehennalem prout delevit Christus, ut eam non sentiant baptizati, & vere pœnitentes; temporalem vero nondum penitus tulit, manet enim fames, sitis, & mors, & huiusmodi; sed regnum, & dominium ejus dejecit, ut scilicet hoc homo non timeat; & tandem in novissimo eamdem penitus terminabit. “

Ad tertium dicendum, quod, sicut in secunda parte dictum est (I. 2. quæst. LXXXI. art. 1.) peccatum originale hoc modo processit quod primo persona infecit naturam, postmodum vero natura infecit personam. Christus vero converso ordine prius reparat id quod personæ est, & postmodum simul in omnibus reparabit id quod naturæ est. Et ideo culpam originalis peccati, & etiam pœnam carentiæ visionis divinæ quæ respiciunt personam, (3) statim per baptismum tollit ab homine; sed pœnalitates præsentis vitæ (sicut mors, fames, sitis, & alia huiusmodi) respiciunt naturam, ex cujus principiis causantur, prout est destituta originali iustitia: & ideo isti defectus non tollerentur nisi in ultima reparatione naturæ per resurrectionem gloriosam.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam esse a scripturis, & concilio; quod per baptismum non debuerunt auferri pœnalitates præsentis vitæ. A scripturis quidem, ut per illud

(1) Verus & manuscripta tantum, immediate post appendicem jam relatam, & ex eodem loco Augustini qui argumento *Sed contra* notatus est: ubi etiam addit, *si non in vacuum gratiam susceperis, si reprobus esse nolueris*.

(2) Tum nova & impressa partialiter vel implicite, tum explicitè ac ex integro vetus vel Madua

scripta sine nomine: Sed in Commentario Petri Lombardi sic habetur, sicut & proxime præcedens.

(3) Non per se ac directe prout est hæc persona, sed prout ad naturam pertinet ab Adamo acceptam: Unde *peccatum nature* appellatur: ut loco hic ex I. 2. indicato explicatum est.

Lud Rom. 6. adjuncta glo. secundum quod eum discursu ponitur in arg. cont. Ubi ly *ne esse* tenetur figurate, per illam scilicet figuram, quæ minus dicendo significat plus. Vult enim ibi significare textus, quod concupiscentia illa non tantum non obest baptizatis, sed etiam prodest, inquantum, scil. est materia exercendæ virtutis, & adipiscendæ coronæ æternæ ipsis baptizatis, ut sic, idest quatenus secundum promissionem factam in baptismo vivunt, & viriliter certant. Ibi etiam nota ly *ergo pari ratione nec alie pœnalitates per baptismum tolluntur*. Quando concludendum secundum exigentiam quæsitæ expectabatur, quod pœnalitates non debent per baptismum tolli, aut (quod in idem redit) quod pœnalitates per baptismum convenienter non tolluntur: tunc concluditur simpliciter, quod hujusmodi pœnalitates per baptismum non tolluntur. Patet utique ad sensum hoc, sc. quod pœnalitates tales per baptismum non tolluntur; & ideo ex hac etiam parte videtur sanctus doctor frustra laborasse, annitendo videlicet ad probandum id, quod patet expresse. Vitio enim & hoc datur juxta illud tritissimum, quod patet expresse, non est probare necesse. Sciendum igitur, quod aliud in verbis præsert, aliud in sensu continet conclusio prædicta, scil. ergo nec alie pœnalitates per baptismum tolluntur. Si ad verba superficie tenus inspiciatur, sequitur illa duò absurda, quæ dicta sunt, videlicet, quod extra quæsitæ exigentiam concludatur, & quod frustra laboret: si autem sensus sub verbis illis inclusus attendatur (quod hic, & in similibus fecit Divus Thomas) concluditur optime in titulo quæsitum. Est enim ibi sensus: quod nec alie pœnalitates per baptismum debuerunt tolli, seu quod convenienter non tolluntur, idest quod convenienter non tolluntur, ut non tollerentur. Pro quo sciendum universaliter est, quod in factione rerum a Deo idem est dicere, istæ res factæ sunt a Deo, & dicere, istæ convenienter ab ipso factæ sunt. Impossibile siquidem omnino est, quod aliquid a Deo, qui est infinita sapientia, fiat, & quod illud, ut a Deo penderet, non convenienter fiat. Vide pro hujus ampliori notitiâ 3. sent. qu. 55. art. 4. cum inibi citatis. Quia igitur illa, quæ per baptismum sunt, a Deo baptismi institutore specialiter sunt, idcirco de necessitate convenienter omnia illa sunt. Quod & de exteris omnibus sacramentis eadem ratione verificatur, ita ut verissime dicamus. Per baptismum tollitur omnis culpa ar.

1. omnis reatus peccati, a. 2. fit incorporatio ad Christum, illuminatio, sæcundatio, art. 5. conferuntur gratia, & virtutes, ar. 4. etiam pueris; art. 6. aperitur janua cœlestis, art. 7. pœnalitates vitæ præsentis non tolluntur, art. 3. hoc, ergo singula ista per baptismum convenienter fiunt; pariterque singillatim æquipollent hæc, scil. istud fit, vel non fit per baptismum, & istud convenienter fit, vel non fit per baptismum. Ecce: quot, & quanta virtualiter docuit textus, in ly *ergo nec alie pœnalitates per baptismum tolluntur*. A Concilio autem Tridentino ipsum in principio positum insinuaturs. 5. Decr. de pecca. origin. circa fin. „ Manere „ autem in baptizatis concupiscentiam, vel „ fomitem, hæc sancta synodus fatetur, & „ sentit: quæ, cum ad agonem relicta sit, „ nocere non consentientibus, sed viriliter „ per Christi JESU gratiam repugnantibus „ non valet; quinimo, qui legitime certa- „ verit, coronabitur. „ Hæc ibi. Pro quo- rum clariori accommodatione ad præmissa, recole conclusionem illam, scil. ergo pari ratione nec alie pœnalitates per baptismum tolluntur. Secundo vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S IV. 399

Utrum per Baptismum conferantur homini gratia, & virtutes.

Inf. quæst. lxxi. art. 3. cor. & IV. dist. III. art. 1. quæst. 3. & quæst. III. art. 1. quæst. 2. ad 2. & dist. IV. quæst. II. art. 2. quæst. 2. co. & dist. IX. art. 1. quæst. 2. & dist. XVIII. quæst. 1. art. 3. quæst. 1.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod per baptismum non conferantur homini gratia, & virtutes. Quia, sicut supra dictum est (art. 2. quæst. in arg. 2.) sacramenta novæ legis efficiunt quod figurant. Sed per ablutionem baptismi significatur emundatio animæ a culpa, non autem informatio animæ per gratiam, & virtutes. Videtur igitur quod per baptismum non conferantur homini gratia, & virtutes.

2. Præterea. Illud quod jam aliquis adeptus est, non indiget iterum suscipere. Sed aliqui accedunt ab baptismum jam habentes gratiam, & virtutes; sicut Act. x. 1 legitur *Vir quidam erat in Cesarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus, & timens Deum: qui tamen postea a Petro baptizatus est. Non ergo per baptismum conferuntur gratia, & virtutes.*

3. Præ-

3. Præterea. Virtus est habitus, ad cuius (1) rationem pertinet quod sit *qualitas difficile mobilis, per quam aliquis faciliter, & delectabiliter operetur*. Sed post baptismum remanet in hominibus pronitas ad malum, per quod tollitur virtus, & consequitur difficultatem quis ad bonum, quod est actus virtutis. Ergo per baptismum non consequitur homo gratiam, & virtutes.

Sed contra est quod ad Titum III. 5. dicit Apostolus: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, id est per baptismum, & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde: id est, ad remissionem peccatorum, & copiam virtutum, ut Glossa (interl.) ibi exponit (2). Sic ergo in baptismo datur gratia Spiritus sancti, & copia virtutum.*

Respondeo dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in Lib. I. de baptis. parvulorum (seu de peccator. merit. & remis. cap. xxvi. a med.) ad hoc baptismus valet ut baptizati Christo incorporentur ut membra ejus. *Capite autem Christo in omnia membra ejus gratiæ, & virtutis plenitudo derivatur, secundum illud Joan. 1. 16. De plenitudine eius nos omnes accepimus.*

Unde manifestum est quod per baptismum aliquis consequitur gratiam, & virtutes.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut aqua baptismi per suam ablutionem significat emundationem culpæ, & per suum refrigerium significat liberationem a pœna; ita per naturalem claritatem significat splendorem gratiæ, & virtutum.

Ad secundum dicendum, quod, sicut dictum est (quæst. lxxiii. art. 3.) remissionem peccatorum aliquis consequitur ante baptismum, & alii similes consequuntur gratiam, & virtutes per fidem Christi, & desiderium baptismi implicate; postmodum tamen in baptismo majorem copiam gratiæ, & virtutum

consequuntur. Unde super illud Psalm. *xxxix. Super aquas refectionis educavit me, dicit Glossa (3) „ Per augmentum virtutis, & bonam operationis educavit in baptismo. “*

Ad tertium dicendum, quod difficultas ad bonum, & pronitas ad malum inveniuntur in baptizatis, non propter defectum habitus virtutum, sed propter concupiscentiam, quæ non tollitur in baptismo. Sicut tamen per baptismum diminuitur concupiscentia, ut non dominetur; ita etiam diminuitur utrumque dictorum, ne homo ab his superetur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim quorundam (ut refert Directorium Inquisit. 2. pars. q. 7.) dicentium, quod non conferuntur per baptismum gratia, & virtutes. *Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari a dictis in qu. 3. ar. 1. append. Ex eo namque, quod sacramenta novæ legis conferunt gratiam, sequitur manifeste, quod baptismus, cum indubitanter sit sacramentum novæ legis, qu. 65. ar. 1. conferat gratiam, & cum gratia non sit sine virtutibus, 1. 2. qu. 65. a. 3. 5. & qu. 110. art. 3. 4. sequitur, quod conferat etiam virtutes: ideoque, ex quibus scripturis, conciliis, &c. damnatur unum, scilicet dictum contra vim sacramentorum, damnatur simul & aliud, scilicet dictum specialiter contra vim baptismi: Item a Clemente Quinto in Concilio Viennensi. *Baptisma unicum omnes baptizatos in Christo regenerans est ab omnibus fideliter confitendum. Quod celebratum in aqua, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, credimus esse perfectum remedium ad salutem.* Hæc in libro Clement. tit. de summ. Trin. & fid. cath. Non enim esset remedium tale, &c. perfectum, nisi conferret gratiam cum suis virtutibus. Item ab Apostolo ad Titum cap. 3. ut cum expositione glossæ ponitur in argument. contr. Tertio vides: quomodo &c.*

A R,

(1) Nempè habitus qui sic passim a Philosophis definitur, vel (quod in idem redit) *qualitas difficile mobilis promptè disponens subiectum ad bene vel male operandum*: Desumiturque quoad priorem partem ex Philosopho cap. de Qualitate: quoad posterioriorem ex Eth. 2. cap. 2. vel 3.

(2) Moderna quidem vel impressa interlinealis innominata, sed Manuscripta sive vetus collateralis ex

Ambrosio prænotata; quamvis in Ambrosio vel Ambrosii supposititio commentario nihil tale occurrit nisi valde implicate, sed sic expresse in Lombardo.

(3) Non moderna sed vetus Manuscripta quæ nulum nomen insinuat, sed ex commentario Petri Lombardi desumpta: est, quamvis ex glossa interlin. colligi posse prius indicaretur ad marginem.

ARTICULUS V. 400

Utrum porro venienter attribuantur Baptismo quidam actus virtutum.

IV. dist. III. quæst. II. art. 2. quæst. 3. 4. & 5. & dist. 4. quæst. III. art. 1. quæst. 2. cor. & ad 1. & art. 5. quæst. 1. co. & dist. XVIII. quæst. 1. art. 1. quæst. 1. ad 2. & quod. VI. art. 4.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter attribuantur baptismo pro effectibus quidam actus virtutum, scilicet incorporatio ad Christum, illuminatio, & fecundatio. Non enim baptismus datur adulto, nisi fideli, secundum illud Marci ult. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Sed per fidem aliquis incorporatur Christo, secundum illud Ephes. III. 17. *Habitate Christum per fidem in cordibus vestris.* Ergo nullus baptizatur nisi jam Christo incorporatus. Non ergo est effectus baptismi incorporari Christo.

2. Præterea. Illuminatio fit per doctrinam, secundum illud Ephes. III. 8. *Mibi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, illuminare omnes &c.* (1) Sed doctrina præcedit baptismum in catechismo. Non est ergo effectus baptismi.

3. Præterea. Fœcunditas pertinet ad generationem activam. Sed per baptismum aliquis regeneratur spiritualiter. Ergo fœcunditas non est effectus baptismi.

Sed contra est quod Augustinus dicit in Lib. I. de baptismo parvulorum (loc. cit. art. præc. (2) quod ad hoc valet baptismus ut baptizati Christo incorporentur. Dionysius etiam 11. cap. eccl. Hier. (parum a princ.) illuminationem attribuit baptismi. Et super illud Psal. xxii. *Super aquam reflexionis*, dicit Glossa (interl. (3) quod „ anima pec-

„ catorum ariditate sterilis fœcundatur per „ baptismum. “

Respondeo dicendum, quod per baptismum aliquis regeneratur in spiritualem vitam, quæ est per fidem Christi; sicut Apostolus dicit Galat. II. 20. *Quod autem nunc vivo in nomine, in fide vivo Filii Dei.* Vita autem non est nisi membrorum capiti unitorum; a quo sensum, & motum suscipiunt. Et ideo necesse est quod per baptismum aliquis incorporetur Christo quasi membrum ipsius.

Sicut autem a capite naturali derivatur ad membra sensus, & motus; ita a capite spirituali, quod est Christus, derivatur ad membra ejus sensus spiritualis, qui consistit in cognitione veritatis, & motus spiritualis, qui est per gratiæ instinctum. Unde Joan. 1. 14. dicitur: *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis.* Et ideo consequens est quod baptizati illuminentur a Christo circa cognitionem veritatis, & fœcundentur ab eo fœcunditate bonorum operum per gratiæ infusionem. (4)

Ad primum ergo dicendum, quod adulti prius credentes in Christum sunt ei incorporati mentaliter; sed postmodum, cum baptizantur incorporantur ei quodammodo corporaliter, scilicet per visibile sacramentum, sine cuius proposito nec mentaliter incorporari potuissent.

Ad secundum dicendum, quod doctor illuminat exterius per ministerium catechizando; sed Deus illuminat interius baptizatos, præparans corda eorum ad recipiendam doctrinam veritatis, secundum illud Joan. vi. 45. *Est scriptum in Prophetis: Erunt omnes docibiles Dei.*

Ad tertium dicendum, quod effectus baptismi ponitur fœcunditas, qua aliquis producit bona opera, non autem fœcunditas, qua aliquis generat alios in Christo; sicut Apostolus dicit I. ad Cor. xv. 25. *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.*

AP.

(1) De divitiis investigabilibus Christi & mysterio ejus abscondito, ut præmittitur & subjungitur ibi.

(2) Sive de peccatorum meritis & remissione lib. 1. cap. 26. plenius quam hic.

(3) Ut & Cassiodorus ex quo sumpta est Glossa ista: *Reflexionis aqua (inquit) est baptismi lavacrum quo anima sterili ariditate peccati ad bonos fructus inferendos divinis muneribus irrigatur. Explicat quoque Agust. aquam baptismi quo reficiuntur qui integritatem viresque amiserunt: Beda, super aquas baptismi que nos refecerunt, quia reparaverunt nos de vetustate in novitatem: Theodoretus*

regenerationis aquam in qua qui baptizatur dum gratiam expetit, senectute peccati exuitur & pro Jone juvenis efficitur.

(4) Huc refert Augustinus lib. 2. de doctr. Christi. cap. 6. illud ex Cant. 4. quod *ascendentes de lavacro detonsæ ovis geminos creant, id est conceptione Spiritus sancti fructum gemine charitatis.* De illuminatione autem per baptismum Gregor. Nazianz. Orat. 39. ubi baptismum lumen vocat, Cyrillus Hierosolymitanus in *illuminatorum Catechesibus* quos intelligit baptizatos; & Damasc. lib. de fide orthod. cap. 19. &c.

APPENDIX.

EX art. habes primo : quomodo per rationem interimis hæresim *Luca Sternberger* impiissime dicitur : quod baptisate intincti non nisi ad tartarum , & sempiternam damnationem baptizantur . Articulus enim præsens , cum baptizatos & incorporari Christo , & illuminari a Christo , & fecundari a Christo , qui est vera beatitudo , demonstret , directe impugnat , expugnatque prædictam hæresim . *Quæ enim conventio Christi ad Belial? Quæ participatio justitiæ cum iniquitate ? Anne que societas luci ad tenebras ?* 1. Cor. 6. Hoc est , in proposito . Si (ut verum est) Christo , qui est justitia , & ipsa Lux , homines per baptismum tanto amicitiarum glutino conjunguntur : quomam pacto fieri potest , ut non nisi ad tartarum , & sempiternam damnationem , loca utique Belial , iniquitatis , ac tenebrarum , baptizentur illi qui baptizantur? Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , eam merito damnari a dictis in multis appendicibus supra , & in hac , & in aliis questionibus . Item a Marc. 16. *Qui crediderit , & baptizatus fuerit , salvus erit .* Item a Galat. 3. *Quicumque in Christo baptizatus estis , Christum induistis .* Quod est incorporari Christo . Item ab Apostolo ad Titum cap. 2. *Ut mundares sibi populum acceptabilem , sectatorem bonorum operum .* Quid autem intelligat per *ly mundares* , aperit in ad Eph. 5. *Mundans eam lavacro aque in verbo vite .* Hoc est , in baptismo dato in nomine Patris , & Filii , & Spiritus sancti . Per baptismum ergo , secudum Apostolum , homines fiunt acceptabiles Christo , & sectatores bonorum operum (quod est illa sæcunditas , de qua in conclusione) Item a Rom. 6. *Consepultus sumus eum Christo per baptismum in mortem : ut , quomodo &c. ita & nos in novitate vite ambulemus .* Et infra ad eisdem baptizatos dicit . *Nunc vero liberati a peccato , servi autem facti Deo , habetis fructum vestrum in sanctificatione , finem vero vitam æternam .* Item ad Eph. 5. *Eratis aliquando tenebræ , nunc autem Lux in Domino .* Id est : vos ante baptismum spiritualiter cæci estis per baptismum illuminati . Quæ omnia (ut patet consideranti) pugnant contra tar-

tarum , & sempiternam damnationem . Constat ergo ex prædictis : quod homines per hoc , quod baptizantur , a tartaro , & sempiterna damnatione , ubi prius per meritum infidelitatis erant , eripiuntur . Tertio vides : quomodo &c.

ARTICULUS VI. 401

Utrum Patris in Baptismo consequantur gratiam , & virtutes .

2. 2. quæst. XLVII. art. 14. ad 3. & IV. dist. IV. quæst. 11. art. 2. quæst. 1. & dist. XVII. quæst. 1. art. 3. cor. & ad 3. & dist. XVIII. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. cor.

AD sextum sic proceditur . Videtur quod pueri in baptismo non consequantur gratiam , & virtutes . Gratia enim , & virtutes non habentur sine fide , & caritate . Sed *fides* , ut Augustinus dicit (Lib. de prædest. sanctor. cap. v. in fi.) *consistit in credentium voluntate* : similiter etiam caritas consistit in diligentium voluntate , cujus usum pueri non habent ; & sic non habent fidem , & caritatem . Ergo pueri in baptismo non recipiunt gratiam , & virtutes .

2. Præterea . Super illud Joan. XIV. *Majora horum faciet* , dicit Augustinus (tract. lxxx. in Joan. a med.) quod „ ex impio justus „ fiat , in illo , sed non sine illo , Christus „ operatur . „ (1) Sed puer , cum non habeat usum liberi arbitrii , non cooperatur Christo ad suam justificationem ; immo quandoque pro posse renititur . Ergo non justificatur per gratiam , & virtutes .

3. Præterea . Rom. IV. 5. dicitur : *Ei qui non operatur , credenti autem in eum qui justificat impium , reputatur fides ejus ad justitiam , secundum propositum gratiæ Dei .* Sed puer non est credens in eum qui justificat impium . Ergo non consequitur gratiam justificantem , neque virtutes .

4. Præterea . Quod ex carnali intentione agitur , non videtur habere spirituale effectum . Sed quandoque pueri ad baptismum deferuntur carnali intentione , ut scilicet corporaliter sanentur . Non ergo consequuntur spirituale effectum gratiæ , & virtutum .

Sed

(1) Sive paulo plenius ; *Qua opera nisi ut ex impio justus fiat ? Nunquidnam omnium operum Christi majora facit qui cum timore ac tremore suam ipsius salutem operatur ? Quod utique in illo sed*

non sine illo Christus operatur : Et inferius : Nunquid majora facit (cælo & terra) qui operante in se Christo cooperatur salutem æternam & justificationem suam ? &c.

Sed contra est quod Augustinus dicit in Enchir. (cap. lxxi. ante med.) Parvuli re- nascendo moriuntur illi peccato quod na- scendo contraxerunt; (1) ac per hoc ad illos etiam pertinet quod dicitur : *Conse- cuiti sumus cum illo per baptismum in mortem.* Subditur autem : *Ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vite ambulemus.* Sed novi- tas vite est per gratiam, & virtutes. Ergo pueri in baptismo gratiam, & virtutes con- sequuntur.

Respondeo dicendum, quod quidam antiqui posuerunt, quod pueris in baptismo non dan- tur gratia, & virtutes; sed imputatur eis character Christi, cujus virtute, cum ad perfectam aetatem venerint, consequuntur gra- tiam, & virtutes. Sed hoc patet esse falsum dupliciter. Primo quidem quia pueri, sicut & adulti, in baptismo efficiuntur membra Christi : unde necesse est, quod a capite recipiant influxum gratiae, & virtutis. Secun- do quia secundum hoc pueri decedentes post baptismum non perveniunt ad vitam aeternam; quia ut dicitur Rom. vi. 23. *gratia Dei est vita aeterna* : & ita non profuisset eis ad salutem baptizatos fuisse.

Causa autem erroris fuit; quia nescierunt distinguere inter habitum, & actum; & sic videntes pueros inhabiles ad actus virtutum, considerans eos post baptismum nullatenus virtutem habere. Sed ista impotentia ope- randi non accidit pueris ex defectu habituum sed ex impedimento corporali; sicut etiam dormientes, quamvis habeant habitus virtutum, impediuntur tamen ab actibus propter somnum.

Ad primum ergo dicendum, quod fides & caritas consistunt in voluntate hominum; ita tamen quod habitus harum, & aliarum vir- tutum requirunt potentiam voluntatis, quae

Summ. S. Tb. T. XII.

est in pueris; sed actus virtutum requirunt actum voluntatis, qui non est in pueris. Et hoc modo Augustinus dicit, (2) quod *parvulum, etsi nondum illis fides quo in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei sacramentum, quod scilicet causat habi- tum fidei, fidelem facit.*

Ad secundum dicendum, quod, sicut Au- gustinus dicit in Lib. de caritate (seu tract. lxxi. super epist. Joan. a princ.) *nemo ex aqua, & Spiritu sancto renascitur, nisi volens* quod non de parvulis, sed de adultis intelligen- dum est: & similiter de adultis intelligen- dum est quod homo a Christo sine ipso non justificabitur. Quod autem parvuli baptizandi, prout viribus possunt, relictantur, non eis im- putatur: quia *insaniam nesciunt quod faciunt ut nec facere videantur*, ut Augustinus dicit in Libro de praescientia Dei ad Dardanum (epist. cclxxxvii. al. lvii. aliquant. a med.)

Ad tertium dicendum, quod, sicut Augu- stinus dicit (serm. x. de verb. Apost. cap. 11. a princ.) *parvulis mater Ecclesiae aliorum pedes accommodat, ut veniant, aliorum cor, ut credant, aliorum linguam ut fateantur & ita pueri credunt non per actum proprium sed per fidem Ecclesiae, quae eis communicatur: & hujus fidei virtute conferuntur eis gratia & virtutes.*

Ad quartum dicendum, quod carnalis in- tentio deferentium pueros ad baptismum ni- hil eis nocet; sicut nec culpa unius nocet alteri, nisi consentiatur. Unde Augustinus di- cit in epistola ad Bonifacium (xcvi. al. xx, lxx.) *Non illud se moveat quod quidam non ea fide ad baptismum percipiendum parvulos solent, ut gratia spiritualis ad vitam regeneren- tur aeternam; sed hoc non putant remedio cor- poralem revivere, vel recipere sanitatem: non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hinc intentione offeruntur.*

K

AP-

(1) Vel per interrogationem, *Cui peccato parvuli renascendo moriuntur, nisi quod nascendo traxerunt?* Postquam praemisit paulo ante quod *si quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, & hinc peccato mortui esse ostenditur, quia in morte Christi baptizati sumus, profecto & parvuli qui baptizantur in Christo, peccato moriuntur, quia in morte ipsius baptizantur*: Et lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, seu de baptismo parvulorum (ut supra) non adultos duntaxat sed parvulos beneficio Mediatoris egerit ait, *ut ablui per sacramentum fidelium & sic incorporati corpori Christi quod est Ecclesia, reconciliantur Deo & vivi- fiant, &c.*

(2) Epistola 23., non de baptismo parvulorum, ut prius passim; cum tamen in antiquo Decreti Exemplari dist. 4. de consecrat. cap. *Nihil* ex Augu- stino tantum sine indice speciali notetur, in moder- nis Exemplaribus autem ex epistola quam reponimus & quae reponebatur ad marginem: quidni porro in textu: *Etsi aliquid aequivalens ex libro 1. de bap- tismo parvulorum cap. 20. & 33. colligi potest. Se- quentem autem appendicem cujus verum indicem reponimus, intelligendam esse de adultis duntaxat, ex ibidem praemissis patet: Ubi natiuitas in volun- tate est, & crementum in voluntate est: super il- lud; *Pueri, novissima hora est, &c.**

APPENDIX..

EX. art. habes *primo* : quomodo per rationem destruas errorem quorundam (ut refert Directorium Inquisitorum , 2. p. q. 7.) dicentium , quod parvulis non conferuntur per baptismum gratia , & virtutes . *Secundo* habes : quomodo per rationem ostendas , illum merito damnari a D. August. & Rom. 6. *consopulsi* &c. ut in *argu. coner.* item a Papa Innocentio III. „ Abiit , ut universi „ parvuli pereant , quorum quotidie tanta „ multitudo moritur : quin , & ipsis miseri- „ cors Deus , qui neminem vult perire , ali- „ quod remedium procuraverit ad salutem „ „ Hæc ille : Extr. de bap. & ej. ef. cap. *Majoris* . Perirent enim , nec ad salutem eis provisum de remedio fuisset , si per baptismum gratia Dei , qua & mors spiritualis tollitur , Rom. 6. ipsis per baptismum non conferretur , Item a *Clemente V.* in Concilio Viennensi . „ Nos „ attendentes generalem efficaciam mortis „ Christi , quæ per baptismum applicatur pa- „ riter omnibus baptizatis , opinionem se- „ cundam , quæ dicit , tam parvulis , quam „ adultis conferri in baptismo informantem „ gratiam , & virtutes , tanquam probabili- „ rem , & dictis sanctorum , & doctorum „ modernorum Theologiæ magis consonam , „ & concordem , sacro approbante concilio „ „ duximus eligendam . „ Hæc in libro Clem. tit. de sum. Trin. & fid. cath. Item a Concilio *Trid.* sess. 7. de sacramentis , can. 7. „ Si quis dixerit : non dari gratiam per hu- „ jusmodi sacramenta semper , & omnibus „ quantum est ex parte Dei , etiam si rite ea „ suscipiant , sed aliquando , & aliquibus : „ anathema sit . „ Hæc ibi . Ubi nota ly *om- „ nibus* , & quod baptismus est sacramentum „ hujusmodi , id est *novæ legis* , ut dicitur ibi-

ARTICULUS VII. 402

Utrum effectus Baptismi sit apertio janua regni caelestis.

IV. dist. 111. art. 1. quest. 3. & dist. IV. quest. 2. art. 2. quest. 6. & IV. cons. cap. 11X. & Joan. 111. lect. 1. fin.

AD septimum sic proceditur . Videtur quod effectus baptismi non sit apertio janua regni caelestis . Illud enim quod est apertum non indiget apertione . Sed janua regni caelestis est aperta per passionem Christi : unde Apoc. 1V. 1. dicitur : *Post hæc vidi ostium magnum apertum in celo* . Non est ergo effectus baptismi apertio janua regni caelestis .

2. Præterea . Baptismus omni tempore , ex quo institutus fuit , habet suum effectum . Sed quidam baptizati sunt baptismo Christi ante ejus passionem , ut habetur Joan. 111. quibus , & tunc decessissent , introitus regni caelestis nondum patebat ; in quod nullus ante Christum introivit ; secundum (*) illud Mich. 11. 13. *Ascendit paterius iter ante eos* . (1) Non est ergo effectus baptismi apertio regni caelestis .

3. Præterea . Baptizati adhuc sunt obnoxii morti ; & aliis penalitatibus vitæ præsentis , ut supra dictum est (art. 3. hæc quest.) Sed nulli est apertus aditus regni caelestis , quamdiu obnoxii est poenæ , sicut patet de his qui sunt in purgatorio . Non ergo effectus baptismi est apertio janua regni caelestis .

Sed contra est quod super illud Lucæ 111. *Apertum est celum* , dicit Glossa Bedæ (ord.) „ Virtus hic baptismatis ostenditur , de quo „ quisque cum egreditur , regni caelestis est „ janua aperitur . (2)

Re-

(*) *Vulgata* Ascendet.

(1) Alio tamen sensu Hieronymus explicat ibi , ut suo loco cum de ascensione Christi ageretur , plenius notatum est : Sed & Cyrillus paulo aliter juxta græcæ Editionem legens , Deo applicat hostes contra Judæos adjuvanti .

(2) Seu *declaturatur* , ut est in textu Bedæ (forte pro *veseratur*) Ubi præmittit quoque quod *opposita* quondam *noxii romphæa* extinguitur ignea , dum frigentibus aquis caro *innoxia* tingitur : Et Matth. 3. Post acceptum baptismum caelestis regni aditum *parafatum* demonstravit , ac *flammeum gladium* quo Cherub custos (*expulso primo Adam*) *Paradisum*

inrevelerat , secundum *Adam* in baptismo *extinguit manifestavit* : Et Marc. 1. Quod post baptismum *celos apertos* vidit , *nostris* usque *gravia factum est quibus* , per *lavacrum* unde *rejuvenatis* *janua* *paradisus* *regni caelestis* *qua peccantibus* *quondam* *proplatis* *ac Paradiso* *ejectis* , *eoti generi humano* (*interpositis Cherubim & flammeo gladio*) *clausa est* . Extinguntur namque *flamma* *hec univulque fidelium* , dum *aquis vitalibus* *tingitur* , adeo ut si *percepta* *fidei sacramenta* *puro corde & corpore* *servaveris* , *statim solutus* *carne regna* *posset* *invitare caelestia* : Hinc *Baptismus caelestis regni clavam* Gregor. Nazianz. Orat. 40. vocat.

Respondeo dicendum, quod aperire januam regni cælestis, est amovere impedimentum, quo quis impeditur regnum cæleste introire.

Hoc autem impedimentum est culpa, & reatus pœnæ. Ostensum est autem supra (art. 1. & 2. hu. quæst.) quod per baptismum omnis culpa, & omnis reatus pœnæ tollitur. Unde consequens est quod effectus baptismi sit apertio januarum regni cælestis.

Ad primum ergo dicendum, quod baptismus intantum aperit baptizato januam regni cælestis, inquantum incorporat eum passioni Christi, virtutem ejus homini applicando.

Ad secundum dicendum, quod quando passio Christi nondum erat realiter perfecta sed solum in fide credentium, baptismus proportionaliter causabat januarum apertionem, non quidem in re, sed in spe: baptizati enim tunc decedentes ex certa spe introitum regni cælestis expectabant.

Ad tertium dicendum, quod baptizatus non est obnoxius morti, & pœnalitatibus vitæ præsentis propter reatum personæ, sed propter statum naturæ: & ideo propter hoc non impeditur ab introitu regni cælestis, quando anima separatur a corpore per mortem, quasi jam perfoluto eo quod naturæ debebatur.

A. P. P. E. N. D. I. X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim cujusdam Augustini Boemi (ut refert Lindanus, Dubitantium in dialog. 2.) dicentis: Cælum nondum esse referatum, sed hominibus usque ad extremum diem fore occlusum. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari a Luc. 3. ut cum expositione glossæ ponitur in argumentis. Item a Papa Benedicto XI. & ab aliis dictis in Addition. articulo. n. 291. cum Elucid. & in i. 2. articulo. n. 29. cum Elucid. & in 3. de sal. qu. 39. art. 5. Item qu. 49. art. 5. cum Elucid. Item a Conciliis Florentino, & Tridentino. ut recitantur supra, quæst. 68. art. 3. ep. Cælum siquidem jam esse apertum testantur, quæcumque aliquos homines jam in actuali beatitudine ponunt. Quapropter etiam a tota Ecclesia damnatur per hoc, quod de sanctis in cælo regnantibus festiva-

tes celebrat, ut patet in brevissimo, adeo quod toties condemnat hæresim prædictam, quoties solemnitatem hujusmodi de singulis facit. Non ergo solum verbis: sed etiam factis ipsis illam hæresim condemnavit, quotidieque condemnat Ecclesia Catholica. Tunc vides: quomodo &c.

ARTICULUS VIII. 409

Utrum Baptismus habeat in omnibus æqualem effectum.

- IV. dist. IV. quæst. II. art. 3. quæst. I. &
- 2. & dist. XVIII. quæst. 2. art.
- 3. quæst. I. con.

AD octavam sic proceditur. Videtur quod baptismus non habeat in omnibus æqualem effectum. Effectus enim baptismi est remotio culpæ. Sed in quibusdam plura peccata tollit quam in aliis: eam in pueris tollit solum peccatum originale, in adultis autem etiam peccata actualia, in quibusdam plura, in quibusdam vero pauciora. Non ergo æqualem effectum habet baptismus in omnibus.

2. Præterea. Per baptismum conferuntur homini gratia, & virtutes. Sed quidam post baptismum videntur habere majorem gratiam & perfectionem virtutum quam alii baptizati. Non ergo baptismus habet æqualem effectum in omnibus.

3. Præterea. Natura perficitur per gratiam sicut materia per formam. Sed forma recipitur in materia secundum ejus capacitatem. Cum ergo in quibusdam baptizatis etiam pueris sit major capacitas naturalium quam in aliis, videtur quod quidam majorem gratiam consequantur quam alii.

4. Præterea. Quidam in baptismo consequuntur non solum spiritualem salutem, sed etiam corporalem; sicut patet de Constantino, qui in baptismo mundatus est a lepra. (1) Non autem omnes infirmi corporalem salutem consequuntur in baptismo. Baptismus ergo non habet æqualem effectum in omnibus.

Sed contra est quod dicitur Ephes. IV. 3. Una fides, unum baptisma. Uniformis autem causæ est uniformis effectus. Ergo baptismus habet æqualem effectum in omnibus.

K 2 Re-

(1) Sic in Romano Concilio 2. sub Sylvastro quod Baronius in Annalibus tomo 1. ad annum 324. ad-

ducit verum ac authenticum probat: Nos refert quod sub Brisco Confute habitum deligatur, quis pro-

Respondeo dicendum; quod duplex est effectus baptismi unus per se, & alius per accidens. Per se quidem effectus baptismi est id ad quod baptismus est institutus, scilicet ad regenerandum homines in spiritualem vitam & hunc effectum æqualiter facit in omnibus qui æqualiter se habent ad baptismum. Unde quia omnes pueri æqualiter se habent ad baptismum (quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ baptizantur) omnes æqualem effectum percipiunt in baptismo. Adulti vero, qui per propriam fidem ad baptismum accedunt, non æqualiter se habent ad baptismum: quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt: & ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt; sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris qui plus ei appropinquat; licet ignis, quantum est de se, æqualiter ad omnes suum calorem effundat.

Effectus autem baptismi per accidens est, ad quem baptismus non est ordinatus, sed divina virtus hoc in baptismo miraculose operatur; sicut super illud Rom. vi. *Ut ultra non serviamus peccato* dicit Glossa (Augustini Lib. I. de peccator. merit. & remiss. cap. xxxix. ante med.) ; Non hoc præstatur in baptismo, nisi forte miraculo ineffabili Creatoris, ut lex peccati, quæ est in membris, prorsus extingatur. Et tales effectus non æqualiter suscipiuntur ab omnibus baptizatis, etiam si cum æquali devotione accedant; sed dispensantur huiusmodi effectus secundum ordinem providentiæ divini.

Ad primum ergo dicendum. quod minima

gratia baptismalis sufficiens est ad delendum cuncta peccata. Unde hoc non est propter majorem efficaciam baptismi, quod in quibusdam plura, in quibusdam autem pauciora peccata solvit, sed propter conditionem subiecti: quia in quolibet solvit quodcumque invenerit.

Ad secundum dicendum, quod hoc quod in baptizatis major, vel minor gratia apparet, potest dupliciter contingere: uno modo quia unus in baptismo percipit majorem gratiam quam alius propter devotionem majorem, ut dictum est (in corp. art.) alio modo quia etiam si æqualem gratiam percipiant, non æqualiter ea utantur; sed unus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiæ Dei deest.

Ad tertium dicendum, quod diversa capacitas naturalium in hominibus non est ex diversitate mentis, quæ per baptismum renovatur (cum omnes homines ejusdem speciei existentes in forma convenient;) sed est ex diversa dispositione corporum. Secus autem est in Angelis, qui differunt specie: & ideo Angelis dantur dona gratuita secundum diversam capacitatem naturalium; non autem hominibus.

Ad quartum dicendum, quod sanitas corporalis non est per se effectus baptismi, sed est quoddam miraculosum opus providentiæ divini.

A P

Crispo per apertam inversionem literarum *Prisvus* irrepit, ut ibidem præmittit. Ex Actis quoque S. Sylvestri Pape idem constat, quæ Adrianus primus ut legitima recensere non dubitavit in epistola contra Iconoclastas quam septima Synodus recitat. Act. 9. ut imagines inde adorandas probet. Quamvis hoc loco Cajetanus id asserendum negat & nullius auctoritate constare dicit, tum quia supradicta Sylvestri Acta incertum auctorem habent, sicut patet dist. 15. in Decretis cap. *Sancta Romana Ecclesia*; tum quia nullus vel gentilis vel christianus historicus illud invenitur scripsisse, ut Platina in vita Marci Pape testatur; tum præcipue quia obstat quod Ambrosius dicit eum cum in ultimis effectus baptizatum; quod longe distat, inquit, ab hoc quod in principio sua conversionis fuerit baptizatus. *Atqui Canon S. Romana Ecclesia sic canitur: Actus B. Sylvestri, licet ejus qui conscripsit hunc ignoramus; in quibusdam scripturis ubi Roma Cathedralis, legi cognovimus. Et pro antiquo ipsa mensura hoc imitantur Ecclesia: Annon approbatio qua-*

dam hæc est? Platina vero quale testimonium vel ignorantis vel rugaris? Num Christianus historicus quisquis Acta Sylvestri scripsit? Num Adrianus primus testis Platina fidelior qui ea refert? Num & Anastasius Bibliothecarius qui hoc ipsum testatur? Sed & in Rituali Prædicatorum ad annum 1334 edito quod in Conventu S. Jacobi asservatur, idem continent S. Sylvestri lectiones: Nec Ambrosii auctoritas ob stare debet; vel quia, in ultimis (id est extremis), consensum intelligere potest propter vitæ discrimen in quo fuit, cum percussus est lepra, ut explicat Baronius; vel quia si aliquid aliud intellexit, non potest supradictæ auctoritati prevalere; sed sic resisti potest, sicut etiam eius matrem S. Helenam statim ibi *stabulariam* vocat. Alioqui confictum esse ab Arianis quod in extremo vitæ suæ fuerit baptizatus ut ab eorum Episcopo suscipere baptismum videretur & in Arianismo decessisse, Anastasius qui hæc supra expresse commemorat, & Romanorum Consuetudinibus sigmento præfict.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem (adjuncta tamen declaratione ad primum) & ostendas & recte intelligas, merito esse innotuam a scripturis, Papa; & Concilio quod baptismus habet æqualem effectum in omnibus baptizatis. A scripturis quidem, ut Ephesios quarto, secundum quodcum discursu ponitur in argumento contra. Item per hoc, quod dicitur Galat. tertio. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*, Item per dictum Romanorum sexto. *An ignoratis, quod, quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus?* Ex eo. etiam, quod induere Christum, & eodem quidem modo, scilicet in morte, dicit aliquid unum idem existens (ut patet ex terminis) constare, quod secundum Apostolum utrobique simul consideratum baptismus, quantum est ex se, habeat eundem effectum in omnibus. A concilio autem Florentino per hoc, quod definit, baptismi effectum esse deletionem totius culpæ, tum originalis, tum actualis, totiusque pœnæ pro peccatis debitæ. Patet siquidem, his verbis significari propositum, scilicet, quod baptismus, quantum est de se habet æqualem effectum in omnibus. Vide hoc concilium sub Eugenio Quarto celebratum sup. m. 1, 2. appen. A Papa quoque Innocentio III. extra de baptis. & eiusdem eff. ca. *Majores*. Per sacramentum baptismi Christi languis subicitur culpæ remittitur, vitatur periculum, & ad regnum colorum etiam pervenitur. *Et peccatum est duplex, scilicet originale, & actuale: originale, quod absque consensu contrahitur, actuale, quod committitur cum consensu. Originale igitur, quod sine consensu contrahitur, sine consensu per vim sacramenti remittitur, actuale vero, quod cum consensu contrahitur, sine consensu minime dimittitur.* *Et is, qui terroribus, atque suppliciis violenter attritus, & ne detrimentum incurrat, baptismum suscipit sacramentum, talis (sicut & is qui sicte ad baptismum accedit) characterem suscipit sacramentis imprimendum. Et ipse tanquam conditionaliter volens (licet absolute non vult) cogendus est ad observantiam fidei Christianæ. Hæc ibi. Cujus Pontificis ultima sententia, scilicet *Et ipse, tanquam, &c. facit ad 2. 2. quæst. 10, c. 8. Ita, quod & qui susceperunt voluntate, totaliter libera, & qui susceperunt voluntate con-**

ditionaliter libera, sacramentum baptismi, ad servandam fidem catholicam sic in baptismo promissam, compellendi sunt. Cum igitur in his ultimis baptizatis characterem tantum, in illis primis gratiam simul; in mediis vero culpam quandoque solum originalem, quandoque etiam actualem, baptismus causet, constat; quod ipse, juxta Pontificem, non habet æqualem effectum in omnibus. *Secundo* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S IX. 404

Utrum fictio impediat effectum Baptismi.

IV. dist. IV. quæst. 11. art. 1. quæst. 1. ad 3. & quæst. 111. art. 2. quæst. 2. per tot. & dist. XII. quæst. 11. art. 1. quæst. 3. ad 3.

AD notum sic proceditur. Videtur quod fictio non impediat effectum baptismi. Dicit enim Apostolus Galat. 111. 27. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Sed omnes qui baptismam Christi suscipiunt, baptizantur in Christo. Ergo omnes induunt Christum; quod est percipere baptismi effectum: & ita fictio non impedit baptismi effectum.

2. Præterea. In baptismo operatur virtus divina, quæ potest voluntatem hominis mutare in bonum. Sed effectus causæ agentis non potest impediri per id quod ab illa causa potest auferri. Ergo fictio non impedit baptismi effectum.

3. Præterea. Effectus baptismi est gratia, cui peccatum opponitur. Sed multa sunt alia peccata graviora quam fictio; de quibus non dicitur, quod effectum baptismi impediunt. Ergo neque fictio impedit effectum baptismi.

Sed contra est quod dicitur Sap. 11. 5. *Spiritus sanctus discipline effugiet fictum.* Sed effectus baptismi est a Spiritu sancto. Ergo fictio impedit effectum baptismi.

Respondetur dicendum, quod, sicut Damascenus dicit (Lib. II. orth. Fid. cap. xxx.) *Deum non cogit hominem ad iustitiam.* Et ideo ad hoc quod aliquis justificetur per baptismum, requiritur quod voluntas hominis ~~impediat~~ baptismum, & baptismi effectum.

Dicitur autem aliquis fictus per hoc quod voluntas ejus contradicit vel baptismi vel ejus effectui. Nam secundum Augustinum (Lib. I. de baptismo cont. Donat. cap. XII. & Lib. VII. cap. 111.) quatuor modis dicitur aliquis fictus: uno modo ille qui non credit, cum tamen baptismus sit fidei sacramentum.

mentum; alio modo per hoc quod contemnit ipsum sacramentum; tertio modo per hoc quod aliter celebrat sacramentum, non servans ritum Ecclesiæ; quarto modo per hoc quod aliquis indevote accedit. Unde manifestum est quod fictio impedit effectum baptismi.

Ad primum ergo dicendum, quod baptizari in Christo potest intelligi dupliciter. Uno modo in Christo, idest in Christi conformitate: & sic quicumque baptizantur in Christo, conformantur ei per fidem, & caritatem, induunt Christum per gratiam. Alio modo dicuntur aliqui baptizari in Christo, in quantum accipiunt sacramentum Christi: & sic omnes induunt Christum per configurationem characteris, non autem per conformitatem gratiæ.

Ad secundum dicendum, quod quando Deus voluntatem hominis de malo in bonum mutat, tunc homo non accedit fictus; sed non semper hoc Deus facit; nec ad hoc sacramentum ordinatur ut de ficto fiat aliquis non fictus, sed ut non fictus aliquis accedens iustificetur.

Ad tertium dicendum, quod fictus dicitur aliquis ex eo quod demonstrat se aliquid velle quod non vult. Quicumque autem accedit ad baptismum, ex hoc ipso ostendit se rectam fidem Christi habere, & sacramentum venerari, & velle se Christo conformare, (1) & velle a peccato recedere. Unde quicumque peccato vult homo inherere, si ad baptismum accedit, fictus accedit; quod est indevote accedere. Sed hoc intelligendum est de peccato mortali, quod gratiæ contrariatur; non autem de peccato veniali. Unde fictio hic quodammodo includit omne peccatum.

A P P E N D I X.

EX art. habes prima: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, & Augustino, quod fictio impedit effectum baptismi. A scripturis quidem: ut cum applicatione est in arg. cons. A D. Aug.

(1) Quod mortui innocentiam nempe, ut adjuncta indicant: Quamvis in manuscripto non sic, sed Ecclesie conformare, ut & Exemplar Colonienſe ad marginem reponit: Sed quid opus? Est enim allusio ad illud Apostoli, *An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in nomine ipsius baptizati sumus?* Consequenter minus sumus cum illo per baptismum in mortuum, ut quomodo Christus

autem dicente. „ His qui ficto corde baptizantur, aut peccata nullatenus dimittuntur: aut in ipso temporis puncto per vim sacramenti dimissa iterum per fictionem redeunt, ut etiam illud verum sit, quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis, & illud, spiritus effugiet fictum, disciplinæ, idest, ut induat eum Christo, sanctitas baptismi, & exuat eum Christo, perniciæ fictionis. Hæc ille, quæ recitantur in decreto de consecr. distin. 4. cap. *quomodo exaudivit*. Ex quibus videre potes; quanta est malignitas fictionis. Ponamus, secundum Aug. ibi, quod alicui sine fictione baptizato, & consequenter a peccatis expedito subrepat in ipso temporis puncto, idest, mox immediate post illam peccatorum dimissionem, voluntaria fictio: quid fiet? Tunc statim revertentur peccata per vim sacramenti dimissa. De reditu peccatorum dimissorum vide *questionis vigesima nona, articulum primum, & secundum*. Fictio igitur adeo secundum Augustinum impedit effectum baptismi, ut si ipsa præcedat, vel concomitetur, faciat, quod effectus baptismi, idest gratia non veniat super sic baptizatum: si autem ipsa e vestigio subsequatur, faciat, quod effectus baptismi præcedens tollatur, idest, quod gratia peccato ipso fictionis mox excludatur. Fictio igitur & ante, & retro impedit principalem baptismi effectum, *Secundo* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S X. 409

Utrum, fictione recedente, Baptismus suam effectum consequatur.

IV, IV. IV. quest. III. art. 2. quest. 3. & dist. XVII. quest. III. art. 2.

AD decimum sic proceditur. Videtur quod, fictione recedente, baptismus suam effectum non consequatur. Opus enim mortuum, quod est sine caritate, non potest unquam vivificari. Sed ille qui fictus accedit ad baptismum

suavitate a mortuis per gloriam Patris ita & nos in novitate vite ambulemus; ut ad Rom. 6. vers. 3. videre est: Et similiter ad Galat. 3. vers. 27. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis: Utique per virtutum informationem, per bonam vitam vel conversationem, per sanctitatis configurationem, ut commentatur ibi S. Thomas, ac id ex Glossa insinuat.

tissimum, recipit sacramentum sine caritate. Ergo numquam potest vivificari hoc modo ut gratiam conferat.

2. Præterea. Fictio videtur esse fortior quam baptismus, cum impediatur eius effectum. Sed fortius non tollitur a debiliore. Ergo peccatum fictionis non potest tolli per baptismum a fictione impeditum: & sic baptismus non consequetur suum effectum, qui est remissio omnium peccatorum.

3. Præterea. Contingit quod aliquis ficto accedat ad baptismum, & post baptismum multa peccata committat; quæ tamen per baptismum non tolluntur, quia baptismus tollit peccata præterita, non futura. Ergo baptismus talis numquam consequetur suum effectum, qui est remissio omnium peccatorum.

Sed contra est quod Augustinus dicit in Lib. I. de baptismo (cont. Donatist. cap. XII. parum a princ. (1) *Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, que corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri.*

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. LXVI. art. 9.) baptismus est quædam spiritualis regeneratio. Cum autem aliquid generatur, simul cum forma recipit effectum formæ; nisi sit aliquid impediens; quo remoto, forma rei generatur perficit suum effectum; sicut simul cum corpus grave generatur, movetur deorsum, nisi sit aliquid prohibens; quo remoto, statim incipit moveri deorsum.

Et similiter quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, & consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem. Unde oportet quod remota ea per penitentiam; baptismus statim consequatur suum effectum.

Ad primum ergo dicendum, quod sacramentum baptismi est opus Dei, & non ho-

minis: & ideo non est mortuum in ficto, qui sine caritate baptizatur.

Ad secundum dicendum, quod fictio non removetur per baptismum, sed per penitentiam subsequenter; qua remota, baptismus aufert omnem culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium baptismum, & etiam simul existentium cum baptismum. Unde Augustinus dicit in Libro de baptismo (loc. sup. cit. (2) *Solvitur besternus dies, & quicquid superest solvitur, & etiam ipsa hora, momentumque ante baptismum, & in baptismo; deinceps autem continuo reus esse incipit.* Et sic ad baptismi effectum consequendum concurrat baptismus, & penitentia, sed baptismus sicut causa per se agens, penitentia sicut causa per accideus, id est removens prohibens.

Ad tertium dicendum, quod effectus baptismi non est tollere peccata futura, sed præsentia, vel præterita; & ideo, recedente fictione, peccata sequentia remittuntur quidem, sed per penitentiam, non per baptismum. Unde non remittuntur quantum ad totum reatum, sicut peccata præcedentia baptismum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insigniarum a scripturis, & August. quod, fictione recedente per penitentiam, baptismus consequitur effectum suum: a Div. Aug. quidem, ut patet in. ar. cons. A scripturis vero per hoc, quod dicitur in Psal. 84. *Loquetur Dominus pacem in eos, qui convertuntur ad cor.* Et per dictam in Ezech. 18. *Si impius fecerit penitentiam de peccatis, qua operatus est: vita vivet.* Ex his enim a fortiori monstratur intentum. Nam, si revertenti peccatori ad cor, & facienti penitentiam de peccatis suis, Dominus largitur pacem, & vitam, sola penitenda

(1) Sicut refertur in Decretis distinct. 4. de consecr. cap. Tunc, sed alia serie in Augustini totum lib. 1. cap. 12 *Fateantur vero baptismo Christi baptizari posse hominem, & tamen cor ejus in malitia vel sacrilegio perseverans, peccatorum abolitionem non sinebat fieri, &c.* Deinde paulo infra: *In illo qui fictus accesserat, sit ut non deo baptizetur, sed ipsa pœ correctione & veraci confessione purgetur quod non possit sine baptismo: ut quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit.*

(2) Non de baptismo parvulorum sicut prius in

textu & ad marginem: Sic enim inscribuntur libri de peccatorum meritis & remissione, ubi nihil tale habetur: Sumptum est autem ex lib. 1. de baptismo contra Donatistas cap. 12. prope finem: & inde in Decretis refertur ubi supra dist. 4. de consecr. cap. Quomodo, §. *Cur heretici*, etiam prope finem: Ubi male momento pro momentum ut ad marginem restituitur in modernis. Quod autem sequentia peccata non remitti dicantur paulo infra quoad verbum solum, sensus est non remitti quoad obligationem ad omnem penitentiam temporalem, sicut que prius committuntur.

gentia præsupposita, rationi utique magis consentaneum est, quod simul cum poenitentia, caractere præsupposito, Dominus peccatori pacem donet, ac vitam. Id, quod tandem aliquo modo redit in hoc, quod character baptismi, recedente fictione interposita, consequitur suum effectum, qui est dare pacem, & vitam animæ per remissionem omnium peccatorum. *Secundo* vides: quomodo ex his, & similibus declaretur, & confirmetur doctrina, &c.

QUESTIO LXX.

De Circumcisione, quæ præcessit Baptismum.

In quatuor articulos divisa.

DEinde considerandum est de præparatoriis ad baptismum: & primo de præparatorio, quod præcessit baptismum id est de circumcissione; secundo de præparatoriis, quæ concurrunt simul cum baptismo, scilicet de catechismo, & exorcismo.

Circa primum quærentur quatuor.

- Primo, utrum circumcissio fuerit præparatoria, & figurativa baptismi.
- Secundo, de institutione ipsius.
- Tertio, de ritu ejus.
- Quarto, de effectu ipsius.

ARTICULUS I. 406

Utrum Circumcissio fuerit præparatoria, & figurativa Baptismi.

Sup. quest. lxxviii. art. 1. ad 1. & 2. quest. cxi. art. 5. cor. & ad 1. & 3. & IV. dist. 1. quest. 1. cor. quest. a. cor. & dist. 11. quest. 1. cor. art. 1. ad 5. & Rom. 12. lect. 2. & 4.

AD primum sic proceditur. Videtur quod circumcissio non fuerit præparatoria, & figurativa baptismi. Omnis enim figura ha-

bet aliquam similitudinem cum suo figurato. Sed circumcissio nullam habet similitudinem cum baptismo. Ergo videtur quod non fuerit præparatoria, & figurativa baptismi.

2. Præterea. Apostolus dicit I. Corinth. x. de antiquis patribus loquens, quod omnes in nube, & in mari baptizati sunt. Non autem dicit, quod in circumcissione baptizati sint. Ergo protectio columæ nubis, & transitus maris rubri magis fuerunt præparatoria ad baptismum, & figurativa ipsius, quam circumcissio.

3. Præterea. Supra dictum est (1) quod baptismus Joannis fuit præparatorius ad baptismum Christi. Si ergo etiam circumcissio fuit præparatoria, & figurativa baptismi Christi, videretur quod baptismus Joannis fuerit superfluus: quod est inconveniens. Non ergo circumcissio fuit præparatoria, & figurativa baptismi.

Sed contra est quod Apostolus dicit Coloss. 2. 11. *Circumcissio est, circumcissione non manibus, in exspoliatione corporis carnis, sed circumcissione Christi, consecuti ei in baptismo.*

Respondeo dicendum, quod baptismus dicitur sacramentum fidei, (2) in quantum scilicet in baptismo fit quedam fidei professio, & per baptismum aggregatur homo congregationi fidelium. Eadem autem est fides nostra, & antiquorum patrum, secundum illud Apostoli II. Cor. 13. *Habentes eandem spiritum fidei, credimus.* (3)

Circumcissio autem erat quedam professio fidei: unde dicitur Rom. 4. 11. quod (*) *Abram accepit circumcissionem, tanquam signaculum fidei*: unde & per circumcissionem antiqui aggregabantur collegio fidelium. Unde manifestum est quod circumcissio fuit præparatoria ad baptismum, & præfigurativa ipsius, secundum quod antiquis patribus omnia in figuram futuri contingebant, ut dicitur I. Corinth. x. sicut & fides eorum erat de futuro.

Ad primum ergo dicendum, quod circumcissio habebat similitudinem cum baptismo quantum ad spirituale effectum baptismi: nam

... in ...

(1) Ut quest. 38. art. 1. ad 1. videre est, & expressus art. 3. in corp. ubi dicitur tripliciter ad illum præparasse: Vel per doctrinam inducentem ad fidem Christi, vel per assuetudinem ad baptismum a Christo institutum, vel per poenitentiam, ad illius effectum requisitam.

(2) Sic enim epistola 23. August. appellat, ut jam antea notatum est.

(3) Quod sic Theodoretus ibi & Chrysostomus homil. 9. in 1. ad Corinthios & ex pluribus locis Augustini Beda interpretatur, ac ad unius in veteri & novo Testamento spiritus uniusque fidei concordiam referunt.

(*) *Vulgata.* Et signum accepit circumcissionis, signaculum justitiæ fidei.

nam sicut per circumcisionem auferbatur quædam carnalis pellicula, (1) ita per baptismum homo expoliatur a carnali conversatione.

Ad secundum dicendum, quod protectio columnæ nubis, & transitus maris rubri fuerunt quædam figuræ nostri baptismi, quo renascimur ex aqua significata per mare rubrum, & Spiritu sancto significato per columnam nobis; non tamen per hæc fiebat aliqua professio fidei, sicut per circumcisionem: & ideo prædicta duo erant tantum figuræ, & non sacramenta. Circumcisio autem erat etiam sacramentum præparatorium ad baptismum; minus tamen expressè figurans baptismum, quantum ad exteriora, quam prædicta. Et ideo Apostolus potius fecit mentionem de prædictis quam de circumcisione.

Ad tertium dicendum, quod baptismus Joannis fuit præparatorius ad baptismum Christi quantum ad exercitium ætus, sed circumcisio quantum ad professionem fidei, quæ requiritur in baptismo, sicut dictum est (in corp. art.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse a scripturis, & D. Bernardo, quod circumcisio fuit præparatoria ad baptismum, ejuſque figurativa. A scripturis quidem, ut per dictum ad Colof. secundo, secundum quod est in argum. contr. Ibi enim ex eo, quod baptismum vocat circumcisionem Christi, dat intelligere: quod circumcisio manufacta in expoliatione corporis carnis, quæ fuit circumcisio antiqua, erat præparatoria, & figurativa baptismi. Et quidem satis conveniens fuisse hoc monstratur virtualiter ibi ex terminis: quia scilicet circumcisionis antiquæ, ut sic, est præcedere, tanquam præparatorium quoddam, & figurativum, circumcisionem novam, ut sic. A Divo Bernardo autem per hoc, quod dicit: „Populo duræ cervicis cultellus erat necessarius: & lapideis cordibus merito cultri lapidei debebantur, qualibus a Jesu Na-

Summ. S. T. b. Tom. XII.

„ve facta circumcisio memoratur. Noster
„autem Jesus, tanquam agnus mansuetus,
„omnem austeritatem abstulit, duritiam cor-
„dis, servis congruentem, filiis commutavit
„in mansuetudinem: ubi rubiginem origina-
„lis peccati, quam vix cultellus eradere po-
„terat, ex hoc jam cum unctione gratiæ fa-
„cile laver aqua. Nihil ergo mirum, si præ
„diversitate temporum mutata sunt sacra-
„menta: ut daretur utriſque; quod congruum
„erat eis. Ipse vero Christus utrumque sus-
„cepit, ut tanquam lapis angularis utrique
„parieti cohereret: sicut & Pascha figurale
„ipse complevit: & verum protinus inchoa-
„vit. „ Hæc ille in sermone de circumcisi-
„one Domini. Ex quibus optime patet inten-
„tam acuto lectori per singula consideranti ver-
„ba ejus. Secundo vides quomodo &c.

ARTICULUS II. 407

Utrum Circumcisio fuerit convenienter instituta.

2. 2. quest. CII. art. 5. ad 1. & quest. CIII. art. 1. ad 3. & I. dist. 1. art. 2. quest. 4. cor. & quest. II. art. 1. quest. 3. per sos.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod circumcisio fuerit inconvenienter instituta, Sicut enim dictum est (art. præc.) in circumcisione fiebat quædam fidei professio. Sed a peccato primi hominis nullumquam salvari potuit nisi per fidem passionis Christi, secundum illud Rom. 111. 25. *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Ergo statim post peccatum primi hominis circumcisio institui debuit & non tempore Abraham.

2. Præterea. In circumcisione homo profitebatur observantiam veteris legis, sicut in baptismo profiteretur observantiam novæ legis; unde Apostolus dicit Gal. v. 3. *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* (2) Sed legalis observantia non est tradita tempore Abraham, sed magis tempore Moysi. Ergo inconven-

L nienter

(1) In ea nempe parte in qua maxime viget carnalis appetitus vel concupiscentia libidinosa, quamvis per totum corpus distendatur additamentum illud *Leviathan*, ut in ferm. 1. & 2. de circumcisione Bernardus vocat; ubi & addit quod *quia singulorum membrorum abscissionem infantilis ætatis infir-*

mitas vel fragilitas humana carnis non sustineret, pio moderamine dispositio superna providit ut in ea potissimum parte concupiscentia castigaretur in qua vehementius eam sevirè constabat, &c.

(2) Ab inconvenienti argumentans adversus eos qui præposteris aliquorum & fallacibus consiliis sua

nienter instituta est circumcisio tempore Abraham.

3. Præterea. Circumcisio fuit figurativa, & præparativa baptismi. Sed baptismus exhibetur omnibus populis, secundum illud Matth. ult. 19. *Evangelium doceo omnes gentes, baptizantes eos*. Ergo circumcisio non debuit institui ut observanda tantum ab uno populo Judæorum, sed ab omnibus populis.

4. Præterea. Carnalis circumcisio debet respondere spirituali, sicut figura figurato. Sed spiritualis circumcisio, quæ fit per Christum, indifferenter convenit utrique sexui: quia in Christo Jefa non est masculus, & femina, ut dicitur Gal. III. Ergo inconvenienter est circumcisio instituta, quæ competit solis maribus.

Sed contra est quod, sicut legitur Genes. XVII. circumcisio est instituta a Deo, cujus perfecta sunt opera. (1)

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (art. præc.) circumcisio erat præparatoria ad baptismum, inquantum erat quedam professio fidei Christi, quam etiam in baptismo nos profiteremur.

Inter antiquos autem patres primus Abraham promissionem accepit de Christo nascituro, cum dictum est ei Gen. XII. 18. *In semine tuo benedicentur omnes gentes terre*. Ipse etiam primus se a societate infidelium segregavit, secundum mandatum Dei dicentis sibi (Gen. XII. 1.) *Egredere de terra tua, & de cognatione tua*. Et ideo convenienter circumcisio fuit instituta in Abraham.

Ad primum ergo dicendum, quod immediate post peccatum primi parentis, propter doctrinam ipsius Adæ, qui plene instructus fuerat de divinis, (2) adhuc fides, & ratio naturalis instantum vigeat in homine quod non oportebat determinari hominibus aliqua

signa fidei, & salutis; sed unusquisque pro suo libito fidem suam aliquibus signis præstabat. Sed circa tempus Abraham diminuta erat fides, plurimis ad idololatriam declinantibus; obscurata etiam erat ratio naturalis per augmentum carnalis concupiscentiæ usque ad peccatum contra naturam. Et ideo convenienter tunc, & non ante fuit instituta circumcisio ad præstendum fidem, & ad minuendum carnalem concupiscentiam.

Ad secundum dicendum, quod legalis observantia tradi non debuit nisi populo jam congregato: quia lex ordinatur ad bonum publicum, ut in secunda parte dictum est (1. 2. quest. xc. art. 2.) Populus autem fidelium congregandus erat aliquo signo sensibili; quod est necessarium ad hoc quod homines in quantumque religione adunentur, sicut Augustinus dicit contra Faustum (3) Et ideo oportuit prius institui circumcisionem quam lex daretur. Illi autem patres qui fuerunt ante legem, familias suas instruxerunt de rebus divinis per modum paternæ admonitionis. Unde & Dominus dicit ad Abraham (Genes. XVIII. 19.) *Scio quod præceptorus sis filiis tuis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini*.

Ad tertium dicendum, quod baptismus in se continet perfectionem salutis, ad quam Deus omnes homines vocat, secundum illud I. Timoth. II. 3. *Qui vult omnes homines salvos fieri*: (4) & ideo baptismus omnibus populis proponitur. Circumcisio autem non continebat perfectionem salutis, sed figurabat ipsam ut fiendam per Christum, qui erat ex Judæorum populo nasciturus: ideo illi soli populo data est circumcisio.

Ad quartum dicendum, quod circumcisio instituta est ut signum fidei Abraham, qui credidit se patrem futurum Christi sibi re-promissi

suasi adhuc circumcidi volebant quasi necessaria esset ad salutem circumcisio: Argumentum ergo est quo vult eos a circumcissione deterere, quia si observari adhuc circumcisio debet, similiter servari debet lex Moysei ad quam circumcisio est institutione sua obligabat, & sic supervacua vel frustranea est mors Christi.

(1) Sicut Deuter. 32. vers. 4. dicitur, & non semel hætenus notatum est: ut & quod græce *veracia* dicuntur (ἀληθινά) Sed hoc ipsum etiam instituto præsentem recte accommodari potest, ut rite veraciter ac sapienter instituta circumcisio videatur quia institutor illius Deus fuit.

(2) Non ea tamen plenitudine qua Beati, quia nec Deum ipsum per essentiam vidit; sed altiori

cognitione quam nos, ut 1. part. quest. 94. art. 1. ex professo dictum est: Quæ quidem cognitio quantum ad ea saltem quæ ad salutem pertinebant, remansit illi post peccatum quodammodo *sapientia eduxit illum a delicto suo*, &c. Sap. 10.

(3) Sic enim lib. 19. cap. 11. plenius: *In vulgum nomen religionis seu verum seu falsum conglutari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur*.

(4) Quod utique non solum de generibus singulorum, sed & de singulis generum intelligi debere quantum ad voluntatem beneplaciti (antecedentem saltem) ipsemet S. Thomas in eum locum notat: & hic supponit manifeste, cum inde generalem baptismi usum probet singulis exhibendum

ARTICULUS III. 408

*Utrum ritus Circumcisionis fuerit
conueniens.*

*W. dist. 1. quest. II. art. 3. quest. 2. &
art. 3. quest. 2. & 3. & Juan. VII. lect.
2. & Rom. IV. lect. 2.*

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo*, quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis: quod circumcisio fuit conuenienter instituta. Ut per hoc quod dicitur Genes. 17. *Hoc est pactum meum, quod obseruabitis, &c. Circumcietur ex vobis omne masculinum.* Ubi & pramiserat *ly statum pactum meum*, quod utique etiam secundum litteram, quae est *ly statum*, monstrat Deus, se esse institutorem circumcisionis. Porro Deus est, cui canit Psal. 103. *Omnia in sapientia fecisti; & cui dicitur a Sapient. 11. Omnia in pondere, numero, & mensura disposuisti, & de cuius operibus, ad designandam illorum magnam perfectionem, scriptum est, Ecclesiast. 3. Non possumus eis quicquam addere, nec auferre.* Quod si hæc tanta perfectio de rebus naturalibus, quatenus a Deo institutæ sunt, verificatur: multo utique magis de rebus superioris ordinis (qualis est circumcisio, aliæque legis diuinæ præcepta) verificetur, oportet. Insinuat quoque illud, si particularis ad propositum fiat applicatio, a dictis in 3. *de sal. q. 55. art. 4. appen.* cum inibi citatis. *Secundo* vides quomodo &c.

AD tertium sic proceditur. Videretur quod ritus circumcisionis non fuerit conueniens. Circumcisio enim, sicut dictum est (art. 1. & 2. præc.) fidei quædam professio est. Sed fides in vi apprehensiva existit, cuius operationes maxime apparent in capite. Ergo magis debuit signum circumcisionis dari in capite quam in membro generationis.

2. Præterea, Ad usum sacramentorum assumimus ea quorum est communior usus, sicut aquam ad abluendum, (1) & panem ad reficiendum. Sed ad incidendum communius utimur cultello ferreo quam petрино. Ergo circumcisio non debuit fieri cultello petрино.

3. Præterea. Sicut baptismus instituitur in remedium originalis peccati, ita etiam circumcisio, sicut Beda dicit (in hom. circumcis. parum a princ.) (2) Sed baptismus non differtur usque ad octauum diem, ne pueris periculum damnationis imminere propter originale peccatum, si nondum baptizati decedant: quandoque etiam traditur baptismus post octauum diem. Ergo circumcisioni non debuit determinari octauus dies, sed debebat quandoque præueniri, sicut etiam quandoque tardabatur.

Sed contra est quod Rom. IV. super illud *Et signum accepit circumcisionis*, determinatur in Glossa (ord.) prædictus circumcisionis ritus. (3)

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (art. præc.) circumcisio quoddam signum fidei est, institutum a Deo, cuius sapientiæ non est numerus. (4) Determinare autem conuenientia signa, est sapientiæ opus. Et ideo concedendum est quod ritus circumcisionis fuit conueniens.

Ad primum ergo dicendum, quod circum-

L 2 ciso

(1) Seu in baptismo aquam cuius communis usus ad abluendum, & in Eucharistia panem cuius communis usus ad reficiendum.

(2) Sic enim ibi: *Idem saluifera curacionis auxilium circumcisio in Lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod nunc baptismus conseruit, &c.*

(3) Nempe quod in virili membro, quod in cultro petрино, quod octavo die fieret propter causas deinceps indicandas.

(4) Usurpatum ex Pl. 240. vers. 5. ubi ex græco *curatorum* apud 70. legit August. *intelligensia.*

cifo convenienter fiebat in membro generationis. Primo quidem quia signum erat fidei qua Abraham credidit Christum ex suo semine nasciturum. (1) Secundo quia erat in remedium peccati originalis, quod per actum generationis traducitur. Tertio quia ordinatur ad diminutionem carnalis concupiscentiæ, quæ præcipue in membris illis viget, propter abundantiam delectationis venereorum.

Ad secundum dicendum, quod cultellus lapideus non erat de necessitate circumcissionis, unde non invenitur tale instrumentum præcepto divino determinatum: neque etiam communiter tali instrumento Judæi utebantur ad circumcidendum, sicut neque modo utuntur. Leguntur tamen aliquæ circumcisiones famosæ cultello lapideo factæ; sicut legitur Exod. 15. quod tulit Sephora acutissimam petram & circumcidit præputium filii sui: & Josue 5. 2. dicitur: *Fac tibi cultellos lapideos, & circumcide secundo filios Israel*: per quod figurabatur, circumcissionem spiritualem esse faciendam per Christum, de quo dicitur I. Coriath. 10. 4. *Petra autem erat Christus*.

Ad tertium dicendum, quod octavus dies determinabatur circumcissioni tum propter mysterium, quia in octava ætate, quæ erit ætas resurgendum, quasi in octavo die perficietur per Christum spiritualis circumcisio, quando auferet ab electis non solum culpam sed etiam omnem penalitatem: (2) tum etiam propter teneritudinem infantis ante octavam diem. Unde etiam de aliis animalibus Levit. 22. 27. præcipitur: *Bos, ovis, & capra, cum genita fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris sue; die autem octavo, & deinceps offerri poterunt Domino*. Erat autem octavus dies de necessitate præcepti, ita scilicet quod octavam diem prætermittentes peccabant, etiam si esset sabbatum secundum illud Joan. 7. 23. *Circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi*. Non tamen erat de necessitate sacramenti: quia si aliqui omittiebant octavam diem, pollea poterant circumcidi. (3)

Quidam etiam dicunt, quod propter periculum imminentis mortis poterat octavus dies præveniri. Sed hoc nec ex auctoritate Scripturæ, nec ex consuetudine Judæorum haberi potest.

Unde melius dicendum est, sicut etiam Hugo de S. Victore (4) dicit (Lib. I. de sacram. par. 111. cap. 11. a med.) quod octavus dies nulla necessitate præveniebatur. Unde super illud Proverb. 14. *Unigenitus eram coram matre mea*, dicit Glossa (ord.) quod alius Berfabæ parvulus non computatur: quia ante octavam diem mortuus nominatus non fuit, & per consequens nec circumcisus.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo, quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis: quod ritus circumcissionis erat conveniens. Ut in Gen. 17. *Circumcidetis carnem præputii vestri. Infans 8. diebus circumcidetur*. *Ly circumcidetis*, cum dicatur simpliciter, idest nullo addito, denotat, talem incisionem debere fieri per instrumentum pro incisionibus consuetum, idest cultello ferreo. Alioquin, si Deus aliter voluisset intelligi se ipsum declarasset: ut fecit Josue 5. dicens, *fac tibi cultros lapideos*. Ex quo dicto intelligi etiam datur, quod communiter non fiebat circumcisio, cultris lapideis: quoniam, si hoc fuisset ordinarium, suffecisset dicere. *Circumcide filios Israel, & superfluum fuisset determinare instrumentum incisivum, addendo, fac cultros lapideos, ly carnem præputii dicit locum incisionis, ad differentiam, quod fiat in capite, &c. ly infans octo diebus designat tempus ejusdem*. Per hoc enim, quod modum circumcissionis, & quoad instrumentum, & quoad locum, & quoad tempus, Deum determinasse, scripturæ narrant: ejusdem circumcissionis ritum a Deo ipso derivatum fuisse commonstrant. Porro idem est dicere: Deus fecit hoc, & dicere: Deus convenienter fecit hoc: quandoquidem impossibile est, sapientiam ipsam, & eo maxime, si infinita sit, & non facere convenienter, & automomastice qui-

(1) Quamvis non per generationem illius membri esset nasciturus: quia sufficiebat ut alij per illud membrum nascerentur ex quibus ipse originem duceret. Duæ autem sequentes rationes ex antedicta Glossa desumuntur, quæ addit per hoc significari quod mentis & corporis castitas esset observanda.

(2) Ut est in manuscripto; Non sicut passim in impressis, *fiendam*; & in Editione Parisiensi quæ ad

manum est, *fidem*.

(3) Habet etiam istud Glossa jam paulo ante inditata; sive quod *omnis corruptio carnis & spiritus in octava ætate quæ futura est resurgensium, per peccatam Christum abscondatur*.

(4) Sicut patet in illis quos in deserto incircumcisos jussit Dominus circumcidi Josue 5. ubi supra.

quidem, idest convenientissime, quæcunque facit. Ex eo igitur, quod ritum circumcissionis a Deo esse dixerunt, voluerunt notificare nobis præfens intentum, scilicet quod ritus ipse & erat, & non esse non poterat conveniens in summo, idest pro talis status tempore convenientissimus. Ad hujusmodi intentum aperiendum faciunt quoque dicta *art. 2. append.* ideo vide illic. *Secundo* vides: quomodo, &c.

ginta annos incircumciscus fuit. Si ergo per circumcissionem auferebatur peccatum originale, videretur quod omnes qui in deserto mortui sunt, tam parvuli, quam adulti, fuerint damnati. Et eadem objectio est de pueris qui moriebantur ante octavam diem circumcissionis, qui præveniri non debebat, ut dictum est (*art. præc. ad 3.*)

A R T I C U L U S IV. 409

Utrum Circumcisio conferebat gratiam justificantem.

Sup. quest. lxxi. art. 6. ad 3. & IV. dist. 1. quest. 11. art. 4. & ver. quest. xxviii. art. 2. ad 12. & Rom. 14. lect. 5.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod circumcisio non conferebat gratiam justificantem. Dicit enim Apostolus Galat. 11. 21. *Si ex lege est justitia, Christus gratis mortuus est,* idest sine causa. Sed circumcisio erat quedam obligatio legis implendæ, secundum illud Galat. v. 3. *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* Ergo si ex circumcissione est justitia, Christus gratis, idest sine causa mortuus est. Sed hoc est inconveniens. Non ergo ex circumcissione erat gratia justificans a peccato.

2. Præterea. Ante institutionem circumcissionis sola fides ad justificationem sufficiebat: dicit enim Gregorius in IV. Moral. (cap. 111. a princ.) (1) *Quod apud nos valet a qua baptismatis hoc egit apud veteres pro parvulis sola fides.* Sed virtus fidei non est imminuta per mandatum circumcissionis. Ergo sola fides parvulos justificabat, & non circumcisio.

3. Præterea. Josue v. 5. legitur, quod *populus qui natus est in deserto, per quadra-*

4. Præterea. Nihil impedit introitum regni cælestis nisi peccatum. Sed circumcisi ante passionem Christi impediabantur ab introitu regni cælestis. (2) Non ergo per circumcissionem homines justificabantur.

5. Præterea. Peccatum originale non dimittitur sine actuali: quia *impium est a Deo dimidiam sperare veniam,* ut Augustinus dicit (alius Auctor in Lib. de vera & falsa penitent. cap. 1x. cir. med.) Sed nusquam legitur, quod per circumcissionem remitteretur actuale peccatum, Ergo etiam neque originale per eam dimittebatur.

Sed contra est quod Augustinus dicit ad Valerium contra Julianum (Lib. II. denup. & concupiscent. cap. xi. a med.) *Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quæ erat (*) signaculum justitiæ fidei, ad justificationem purgationis valebat parvulis originalis, veterisque peccati, sicut & baptismus ex illo caput valere tempore ad innovationem hominis, ex quo institutus est.*

Respondeo dicendum, quod ab omnibus communiter ponitur, quod in circumcissione peccatum originale remittebatur. Quidam tamen dixerunt, quod non conferebatur gratia sed solum auferebatur peccatum, quod Magister (3) ponit in 1. dist. IV. Sen. & Rom. 1v. in Glossa (ord. sup. illud *Signum accipit.*) (4) Sed hoc non potest esse: quia culpa non remittitur nisi per gratiam, secundum illud Rom. 111. 24. *Justificati gratis per gratiam &c.*

Et ideo alii dixerunt, quod per circumcissionem conferebatur gratia quantum ad effectus remotivos culpæ, sed non quantum ad esse.

(1) Tum in Summa Sentent. Tract. 4. cap. 1. versus finem; tum lib. 1. de Sacramentis parte 12. cap. 2. post medium, æquivalenter; sicut & Glossa id quod sequitur, aliis verbis.

(2) Damnatione privativa quæ sola communis est propter peccatum originale parvulis & adultis; non autem positiva nisi adulti qui alia peccata originali addiderunt.

(*) Ita cum Augustino passim. Al. signaculum fidei justitiæ Dei ad sanctificationem purgationis: item signaculum justitiæ fidei ad purgationem valebat ma-

gnis, & parvulis.

(3) Cujus nomine in Decretis distinct. 3. de penitentia cap. *Sunt plures versus finem refertur,* sed ex adulterino libro *de vera & falsa penitentis* cap. 9. desumptum est inter eius opera tomo 4 Appendix autem sequens ad Valerium in qua corrupte prius legebatur *fidei justitiæ Dei,* est vere Augustini lib. 2. de nuptiis & concupiscentia cap. 21. & contra Julianum dicitur, quia hos libros Valerio scribendi præbuerat occasionem per calumniam suam Julianus.

(4) Non in moderna vel impressa, sed in veteri

effectus positivos; ne egeretur dicere quod gratia in circumcissione collata sufficiebat ad implendum mandata legis, & ita superflua fuerit adventus Christi. Sed hæc etiam positio stare non potest. Primo quidem quia per circumcissionem datur pueris facultas suo tempore pervenienti ad gloriam, quæ est ultimus effectus positivus gratiæ. Secundo quia priores sunt naturaliter secundum ordinem causæ formalis effectus positivi quam privati- vi; licet secundum ordinem causæ materiali- sit e converso: forma enim non excludit privationem, nisi informando subjectum.

Et ideo alii dixerunt, quod in circumcissione conferebatur gratia etiam quantum ad aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita æterna, sed non quantum ad omnes effectus: quia non sufficiebat reprime- re concupiscentiam fomitis, nec etiam ad implendum mandata legis: quod etiam ali- quando mihi visum est (IV. dist. 1. quæst. 11 art. 4. quæst. 111.)

Sed diligenter consideranti apparet, hoc non esse verum: quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum legis: minima enim caritas plus diligit Deum quam cupi- ditas millia auri, & argenti. (1)

Et ideo dicendum est, quod in circumcissi- one conferebatur gratia quantum ad omnes gratiæ effectus; aliter tamen quam in bap- tismo. Nam in baptismo confertur gratia ex virtute ipsius baptismi, quam habet, in- quantum est instrumentum passionis Christi jam perfectæ; (*) in circumcissione autem conferebatur gratia non ex virtute circumci- sionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat circumcissio: ita scilicet

quod homo qui accipiebat circumcissionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis. Unde & Apostolus dicit Rom. IV. 11. quod *Abraham accepit signum circumcissionis signa- culum justitiæ fidei*: quia scilicet justitia erat ex fide significata, non ex circumcissione (***) significante. Et quia baptismus operatur instrumentaliter in virtute passionis Christi, non autem circumcissio; ideo baptismus im- primit characterem incorporantem hominem Christo, & copiosorem gratiam conferentem quam circumcissio: major enim est effectus rei jam præsentis quam spei.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio il- la procederet, si ex circumcissione esset justitia aliter quam per fidem passionis Christi. (2)

Ad secundum dicendum, quod sicut ante institutionem circumcissionis sola fides Christi futuri iustificabat tam pueros, quam adul- tos; ita etiam circumcissione data. Sed ante non requirebatur aliquod signum prote- stativum hujus fidei, quia nondum homines fideles seorsum ab infidelibus ceperant adu- sari ad cultum unius Dei. Probabile tamen est quod parentes fideles pro parvulis natæ, & maxime in periculo existentibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictio- nem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei) sicut adulti pro seipsis pre- ces, & sacrificia offerebant.

Ad tertium dicendum, quod populus in deserto prætermittens mandatum circumcissi- onis excusabatur, tum quia nesciebant, qua- ndo castra movenda erant, tum quia, ut Damascenus dicit (Lib. IV. orth. Fid. cap. xxvi. in princ. (3) non necesse erat eos ali- quod signum distinctionis habere, cum seorsum

manuscripta. qua utebatur S. Thomas; & ex Magistro ipso Sententiarum in epistolas Pauli desumpta est: *in circumcissione (inquit) peccata remittantur tantum, sed non gratia ad bene operandum per eam præstatur, nec virtutes dantur vel augebantur*: Unde non mirum quod eadem in lib. 4. Sentent. distinct. 1. dicat; sicut & ibi S. Thomas cum illo sentit.

(1) Imitatum ex Augustino super illud, *Bonum nihil lex oris tui super millia auri & argenti*, Psal. 116. in fine conc. 17.

(*) Ita edisi omnes libri quos vidimus, qui tamen ad marginem notant variam lectionem, quam ex codd. Alcan. Tarrac. & Paris. Joblicimus. Circumcissio

autem conferrebat gratiam, in quantum erat signum fidei passionis Christi futuræ; ita scilicet &c.

(**) Al. justificante.

(3) Puta, si per seipsam circumcissio justitiam conferret vel in lege Moysi contulisset independentem a passione Christi vel a fide ipsius passionis.

(3) Æquivalenter ubi ait quod ante legem circumcissio data erat Abraham quasi signum distinguens ipsum ac posteros & domesticos ejus a gentibus cum quibus habitare vel conversari contingebat: & manifestum quidem id esse addit quia per annos 40. in circumcissis remanserunt, cum in deserto soli nec permixti gentibus morarentur. Appendix autem Augustini ex quæst. 6. in Josue ac epistola 108. co. ligatur.

Sam ab aliis populis habitabant; & tamen, ut Augustinus dicit (in Lib. Qq. in Josue quest. vi. a med.) inobedientiam incurrebant qui ex contemptu prætermittabant. Videtur tamen quod nulli incircumcisi mortui fuerint in deserto: quia, ut in Psal. civ. dicitur, non erat in tribubus eorum infirmus; sed illi soli videntur mortui in deserto qui fuerant in Aegypto circumcisi. Si tamen aliqui incircumcisi mortui sunt, eadem ratio est de his uti de his qui moriebantur ante circumcisionis institutionem: quod etiam intelligendum est de pueris qui moriebantur ante octavam diem tempore legis.

Ad quartum dicendum, quod in circumcissione auferbatur originale peccatum ex parte personæ; remanebat tamen impedimentum intrandi in regnum cælorum ex parte nature: quod fuit sublatum per passionem Christi. Et ideo etiam baptismus ante passionem Christi non introducebat in regnum. Sed & circumcisio, si haberet locum post passionem Christi, introduceret in regnum.

Ad quintum dicendum, quod adulti, quando circumcidebantur, consequabantur remissionem non solum originalis peccati, sed etiam actualium peccatorum; (1) non tamen ita quod liberarentur ab omni reatu peccati, sicut in baptismo, in quo confertur copiosior gratia.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo, quomodo per rationem & ostendas, & recte intelligas, merito esse insinuatam a scripturis, Bernardo, & August. quod in circumcissione dabatur gratia justificans. A D. Aug. quidem, ut in argu. cons. Ubi nota: quod *ly sicut* dicit similitudinem, & quod similitudo non tenet in omnib. Quasi apertius ibi dixisset Aug. Circumcisio valebat ad deletionem originalis peccati, sicut baptismus: sed non valebat tantum, quantum baptismus. A scripturis vero per dictum Gen. 17. *Masculus, cujus preputii caro*, &c. ut supra ad quintum. Et discurre ibi-

dem: ad demonstrandam ex scriptura intentionem, scilicet, quod in circumcissione justificabatur homo. Non tamen inde, licet ab oppositis dicatur *ly circumcisi masculi anima non delebitur de populo suo*, intelligas, quod omnes circumcisi salvarentur tandem, id est in vitam æternam ingressuri essent. Hoc enim falsum est: dicente Apostolo Roman. 2. *Circumcisio quidem prodest, scilicet ad vitam æternam acquirendam, si legem observes, si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua preputium facta est.* Hoc est. Tunc circumcisio tua ad cælum obtinendum nihil valet. Quæ verba de adultis tantum, quos ibi alloquitur, verificantur: Ut a simili dicamus adultis: baptismus quidem prodest, si legem Evangelicam observes: si autem legis ipsius prævaricator sis, baptismus tuus factus est ad vitam æternam obtinendam, ac si non fuisset, ac si tu baptizatus non fuisses. Ex his ergo verus sensus aperitur illius dicti Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Sicuti antiquitus ex Gen. *Qui Circumcissus fuerit, salvus erit.* Hoc est, de adultis loquendo, si circumcissus legem, cujus faciendæ erat debitor, Galat. 6. observabat. A D. Bernardo autem, ut recitatur supra art. r. appen. quod scilicet rubiginem peccati eradebat. Cæterum pro hujus materie de circumcissione pleniori captu, vide q. 62. art. 6. Et Veritates aureas super totam legem veterem, Gen. 17. concl. 4. Secundo vides: quomodo, &c.

QUESTIO LXXI.

De preparatoriis que simul concurrunt cum Baptismo.

In quatuor articulos divisa.

DEinde considerandum est de preparatoriis que simul concurrunt cum baptismo: & circa hoc queruntur quatuor.

Primo, utrum catechismus debeat præcedere baptismum.

Secundo, utrum baptismum debeat præcedere exorcismus.

Ter-

(1) Quamvis non ex opere operato vel ex vi quædam intrinseca instrumentali, sicut in baptismo fit; sed ex opere operantis & propter quandam relationem extrinsecam ad passionem Christi: Sicut conciliari debent loca Patrum que nunc originalis peccati

remedium circumcissionem fuisse volunt, ut Augustinus, Gregorius, Bernardus, Beda, & alij; nunc prodesse ad justitiam negant sed in signum dumtaxat datam esse asserunt, &c.

Tertio, utrum ea quæ aguntur iu catechismo, & exorcismo, aliquid efficiant, vel solum significant.

Quarto, utrum baptizandi debeant catechizari, vel exorcizari per sacerdotes.

ARTICULUS I. 410

Utrum Catechismus debeat precedere Baptismum.

IV. dist. VI. quest. II. art. 2. quest. I.

AD primum sic proceditur. Videtur quod catechismus non debeat precedere baptismum. Per baptismum enim regenerantur homines in vitam spiritualem. Sed prius homo accipit vitam quam doctrinam. Non ergo prius debet homo catechizari, idest doceri, (1) quam baptizari.

2. Præterea. Baptismus exhibetur non solum adultis, sed etiam pueris, qui non sunt doctrinæ capaces, eo quod non habent usum rationis. Ergo ridiculum est eos catechizare.

3. Præterea. In catechismo constituitur catechizatus suam fidem. Sed pueri non possunt suam fidem confiteri neque per seiplos, neque etiam aliquis alius pro eis: tum quia nullus potest alium ad aliquid obligare: tum etiam quia non potest aliquis scire, utrum pueri, cum ad legitimam ætatem pervenerint, assentiant fidei. Non ergo debet catechismus precedere baptismum.

Sed contra est quod Rabanus de institutione Cleric. (2) dicit: *Anse baptismum catechizandi debet hominem prævenire officium, ut fidei primum catechumenus accipiat rudimentum.*

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (quest. præc. art. 1.) baptismus est fidei christianæ sacramentum, cum sit quædam professio fidei christianæ. Ad hoc autem quod aliquis fidem accipiat, requiritur quod de fide instruat, secundum illud Rom.

x. 14. *Quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audiens sine predicante? Et ideo ante baptismum convenienter præcedit catechismus.*

Unde & Dominus præceptum baptizandi discipulis tradens, præmittit doctrinam baptismum dicens (Matth. ult. 19.) *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.*

Ad primum ergo dicendum, quod vita gratiæ, in qua regeneratur aliquis per baptismum, præsupponit vitam naturæ rationalis, in qua homo potest esse particeps doctrinæ.

Ad secundum dicendum, quod sicut mater Ecclesia, ut supra dictum est (quest. lxx. art. 6. ad 3.) accommodat pueris baptizandis aliorum pedes, ut veniant, & aliorum cor, ut credant; ita etiam accommodat ei, aliorum aures, ut audiant, & intellectum, ut per alios instruantur: & ideo eadem ratione sunt catechizandi qua sunt baptizandi.

Ad tertium dicendum, quod ille qui pro puero baptizato respondet, *Credo*, non prædicat puerum crediturum, cum ad legitimos annos pervenerit; alioquin diceret, *Credet*; sed profitetur fidem Ecclesiæ in persona pueri, cui communicatur, cujus sacramentum ei tribuitur, & ad quam obligatur per alium: (3) non est enim inconveniens quod aliquis obligetur per alium in his quæ sunt de necessitate salutis. Similiter etiam patrinus pro puero respondens, promittit se operam daturum ad hoc quod puer credat: quod tamen non sufficeret in adultis usum rationis habentibus.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, Rabano, & conciliis; quod catechismus debet precedere baptismum. A Rabano quidem: ut *in argu. contr.* A concilio autem Papæ Marini. *Oportet, ut, qui baptizandi sunt, symbolum discant.* Hæc in decret. de consecr. distin. quarta, cap. *Non liceat*

(1) Ex græco *κατήχησις* quod significat instructionem viva voce qualitercumque factam, cum ab *ἄχος* id est a solo derivetur; sed per excellentiam accommodatur instructioni christianæ, ac per extensionem significationis ei etiam quæ sit scripto.

(2) Ut videre est lb. 1. cap. 25. tom. 10. Bibliothecæ Patrum, ubi paulo aliis tamen verbis, *debet in hominem pervenire catechizandi officium*: Sicut & paulo infra; *Prius ipse Jesus* (Joan. 9.) *cæci*

nasi oculos luto ex spato facto superlinivit, & sic ad aquas Siloe misit, quia prius debet baptizandus fide incarnationis Christi instrui, & sic ad baptismum jam credulus admitti, ut sciat cujus gratia in eo est particeps & cui jam debitor fiat deinceps.

(3) Quod egregie Dionysius lib. de Eccles. hierarchica ult. contra infideles defendit & explicat; ubi patrinum hic vocatum appellat *susceptorem, sponsorem, ducem, pedagogum, divinum patrem, &c.*

est. Item a Concilio Braccarenfi. In quibus viginti diebus omnino symbolum, quod est Credo in Deum Patrem omnipotentem, specialiter doceantur. Hæc in decr. de consecr. dist. 4. cap. Ante 20. dies. A scripturis vero per hoc, quod Apostoli prævia doctrina fidei (ut patet Act. 2. 3. 4. & 10.) baptizabant, & Philippus diaconus dicenti Eunuchæ Act. 8. *Quis prohibet, me baptizari? respondit, si credis ex toto corde, licet.* Item a Christo per hoc, quod (ut patet Jo. 9.) oculos cæci nati luto facti ex spurq̄ prius linivit, & deinde ad aquas Syloe eum misit. Tali siquidem actione sua (quandoquidem omnis Christi actio nostra est instructio) denotavit, quod baptizandus debet prius de fide incarnationis instrui, & sic postea jam credulus ad baptismum admitti. Secundo vides: quomodo, &c.

ARTICULUS II. 411

Utrum Exorcismus debeat præcedere Baptismum.

Inf. art. 3. ad 3. & IV. dist. VI. quæst. 11. art. 3. quæst. 1. per tot. & quæst. 2. ad 4.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod exorcismus non debeat præcedere baptismum. Exorcismus enim contra energumenos idest arreptitios ordinatur. Sed non omnes baptizandi sunt tales. Ergo exorcismus non debet præcedere baptismum.

2. Præterea. Quamdiu homo subiacet peccato, diabolus in eum habet potestatem: quæ, ut dicitur Joan. VIII. 34. *qui facit peccatum, servus est peccati.* (1) Sed peccatum tollitur per baptismum. Non ergo antè baptismum sunt homines exorcizandi.

3. Præterea. Ad arcendum dæmonum potestatem introducta est aqua benedicta. Non ergo ad hoc oportebat aliud remedium adhi-

Summ. S. Th. Tom. XII.

beri per exorcismos.

Sed contra est quod Cælestinus Papa dicit (2) *Sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniant sacramentum, non prius fontem visa adeant, quam exorcismis, & exufflationibus clericorum spiritus immundus ab eis abiciatur.*

Respondeo dicendum, quod quicumque sapienter aliquod opus facere proponit, prius removet impedimenta sui operis: unde dicitur Hierem. IV. 3. *Novate vobis novale, & nãlite lerem super spinas.*

Diabolus autem hostis est humanæ salutis, quæ homini per baptismum acquiritur; & habet potestatem aliquam in hominem ex hoc ipso quod subditur originali peccato, vel etiam actuali. Unde convenienter ante baptismum expelluntur dæmones per exorcismos, ne salutem hominis impediatur: quam quidem expulsionem significat exufflatio.

Benedictio autem cum manus impositione præcludit expulso viam ne redire possit. Sal autem in os missum, & narium, & aurium sputo linitio significat receptionem doctrinæ fidei quantum ad aures, & approbationem quantum ad nares, & confessionem quantum ad os. Olei vero inunctio significat aptitudinem hominis ad pugnandum contra dæmones.

Ad primum ergo dicendum, quod energumeni dicuntur, quasi interius laborantes (3) ex intrinseca operatione diaboli: & quamvis non omnes accedentes ad baptismum corporaliter ab eo venterent, omnes tamen non baptizati potestati dæmonum subiiciuntur, saltem propter originalis peccati reatum.

Ad secundum dicendum, quod in baptismo per abluionem peccati excluditur potestas dæmonis ab homine quantum ad hoc quod impedit eum a perceptione gloriæ; sed exorcismi excludunt potestatem dæmonis, in quantum impedit hominem a perceptione sacramenti.

M

Ad

(1) Ad superbiam Judæorum coarguendam qui se liberos esse ac nulli unquam serviisse iactabant vers. 33. & 35.

(2) Sicut refertur in Decretis distinct. 4. de consecrat. cap. *Sive*, ac ex illius epistola 1. cap. 12. prænotatur: Paulo plenius autem Cælestinus, ut & ex illo Ivo parte 1. cap. 105. ac similiter auctor libri de ecclesiasticis dogmatibus cap. 31. inter opera Augustini tomo 3. *Quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplantur intuitu, cum sive parvuli sive juvenes ad regenerationis veniant sacramentum, non*

prius fontem visa adeant quam exorcismis & exufflationibus clericorum immundus ab eis spiritus abiciatur.

(3) Vel interius ad operandum acti, sive in quibus dæmon intus existens operatur; juxta propriam significationem græcæ vocis *ἐνεργούμενος*. Sicut & exorcismus ex græco *ἐξορκισμὸς* adjuratio est qua compellatur dæmon ut exeat: Hanc autem Augustinus lib. 2. de nuptiis & concupiscentia cap. 29. antiquissimam traditionem vocat, ex qua peccatum in parvulis originale infert: Præter alios Patres græcos & latinos quos angustia loci commemorare non permittit.

Ad tertium dicendum, quod aqua benedicta datur contra impugnationes dæmonum quæ sunt ab exteriori; sed exorcismus ordinatur contra impugnationes dæmonum quæ sunt ab interiori: unde & enegumeni dicuntur, quæ interiorius laborantes, illi qui exorcizantur.

Vel dicendum, quod sicut in remedium contra peccatum secundo datur pœnitentia, quia baptismus non iteratur; ita in remedium contra impugnationes dæmonum secundo datur aqua benedicta, quia exorcismi baptismales non iterantur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem convincas de errore temerariam irrisionem Calvinistarum, qua Papistis (sic enim contemptive vocant Sedis Apostolicæ filios catholicos) hoc, tamquam erroneum, imponunt, scilicet quod ad baptismum requiritur exorcismus: & quod adjuratio dæmonum de infantibus, vel aliis bonis creaturis, non est superstitio, & præsumptio, ut patet ex *Calvini* libello contr. act. Concilii Trident. Doctor enim sanctus in isto articulo tam efficaciter probat, & exorcismum baptismalem convenienter contra dæmones prærequiri, & per consequens adjurationem ipsam dæmonum de baptizandis non esse superstitionem, aut præsumptionem, & contrarias illusiones, quæ sunt argumenta contra hanc veritatem tam valide fugat: ut non nisi pro dæmonibus, adversusque infantes, aliasque bonas creaturas, stare videatur, quicumque præsentis articulo de exorcismo contraponitur. Nec mirum. Prædictis enim omnibus pensatis, quæ Doctor vere Angelicus in textu determinat, videtur is (quisquis ille fuerit) & de ejectione dæmonum, quam exorcismi efficiunt (ut in *ar. 3.*) dolere, & de infantum, aliarumque creaturarum salutis impedimento, quod exorcismi tollunt, gaudere: tamquam diabolorum fautor, & amicus, infantum autem, aliorumque baptizandorum osor, & inimicus. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illum Calvinistarum, quem per risum operantur, errorem damnari meri-

to a multis narratis in *quæst. 66. n. 10. append.* Item a Papa *Cælestino*, ut in *arg. cont.* Item a *D. August.*, ut in *art. 3. arg. cont.* Item a Concilio *Bracarenfi 2. Ante viginti dies baptismi, ad purgationem exorcismi catebumini currant.* Hæc illud: & recitantur de consecrat. dist. 4. Item a *Rabano* de institutione clericorum. *Postquam se baptizandus per confessionem veræ fidei in alterius commendaverit dominium, & per abrenunciationem prioris possessoris se alienaverit servitio, exsufflatur ab eo potestas seva; ut per pium sacerdotis ministerium Spiritui sancto cedat fugiens malignus spiritus.* Hæc ille, & recitantur ibid. de consecra. Tertio vides quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 412

Utrum ea quæ aguntur in Exorcismo, aliquid efficiant.

IV. dist. VI. quæst. II. art. 3. quæst. 2.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod ea quæ aguntur in exorcismo, non efficiant aliquid, sed solum significant. Si enim puer post exorcismos moriatur ante baptismum, salutem non consequitur. Sed ad hoc ordinatur effectus eorum quæ in sacramentis aguntur, ut homo consequatur salutem: (i) unde & *Marci ult. 16.* dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Ergo ea quæ aguntur in exorcismo, nihil efficiunt, sed solum significant.

2. Præterea. Hoc solum requiritur ad sacramentum novæ legis, ut sit signum, & causa, ut supra dictum est (quæst. lx. art. 1. & quæst. lxi. art. 1.) Si ergo ea quæ aguntur in exorcismo, aliquid efficiant, videtur quod singula sint quædam sacramenta.

3. Præterea. Sicut exorcismus ordinatur ad baptismum; ita etiam si aliquid in exorcismo efficitur, ordinatur ad effectum baptismi. Sed dispositio ex necessitate præcedit formam perfectam, quia forma non recipitur nisi in materia disposita. Sequeretur ergo quod nullus posset consequi effectum baptismi, nisi prius exorcizetur: quod patet esse falsum

(1) Et præcipue in Baptismo velut in Sacramento præ cæteris omnibus absolute necessario ad salutem: Hinc *August.* lib. 7. de peccatorum meritis & remissione seu de baptismo parvulorum cap. 24. Punicos Christianos ex eo laudat quod optime baptismum

ipsum nihil aliud quam salutem volans: Unde sequitur ut ad salutem præ cæteris maxime ordinentur quæ in Baptismo fiunt; & sic superflui sint exorcismi qui nihil ad salutem conferre videantur.

falsum. Non ergo ea quæ aguntur in exorcismis, aliquem effectum habent.

4. Præterea. Sicut quædam aguntur in exorcismo ante baptismum, ita etiam quædam aguntur post baptismum; sicut quod sacerdos baptizatum chrismate ungit in vertice. Sed ea quæ post baptismum aguntur, non videntur, aliquid efficere: quia secundum hoc effectus baptismi esset imperfectus. Ergo nec ea quæ ante baptismum aguntur in exorcismo, aliquid efficiunt.

Sed contra est quod Augustinus dicit in Lib. I. de symbolo (1) *Parvuli exsufflantur, & exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ deceptis hominibus. Nihil autem agitur frustra per Ecclesiam. Ergo per huiusmodi exsufflationes hoc agitur ut demonum potestas expellatur.*

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, ea quæ in exorcismo aguntur, nihil efficere, sed solum significare. Sed hoc patet esse falsum per hoc quod Ecclesia in exorcismis imperativis verbis utitur ad expellendam demonis potestatem; puta cum dicit: *Ergo maledicite diabole exi ab eo &c.*

Et ideo dicendum est, quod aliquem effectum habeant, differenter tamen ab ipso baptismo.

Nam per baptismum datur homini gratia ad plenam remissionem culparum; per ea vero quæ in exorcismo aguntur, excluditur duplex impedimentum salutis gratiæ percipiendæ. Quorum unum est impedimentum extrinsecum, prout demones hominis salutem impedire conantur: & hoc impedimentum excluditur per exsufflationes, quibus potestas da-

monis pellitur, ut patet ex inducta auctoritate Augustini, quantum scilicet ad hoc quod non præstet impedimentum sacramento suscipiendo. Manet tamen potestas demonis in homine quantum ad maculam peccati, & reatum poenæ, quousque peccatum per baptismum tollatur: & secundum hoc Cyprianus dicit (epist. VII. Lib. IV. a med.) *Scias, diaboli nequissiam posse remanere usque ad aquam salutarem; in baptismo autem omnem nequitiam amittit.* Aliud impedimentum est intrinsecum, prout scilicet homo ex infectione originalis peccati habet sensus præclusos ad percipienda salutis mysteria: unde Rabanus de institutione Clericorum (Lib. I. cap. XXVII. ad fin.) dicit, quod *per salivam typicam, & sacerdotis tactum sapientia, & virtus divina salutem catechumeni operatur, ut aperiantur ei nares ad percipiendum odorem notitiæ Dei, ut aperiantur ei aures ad audiendum mandata Dei, ut aperiantur illi sensus in intimo corde ad respondendum.*

Ad primum ergo dicendum, quod per ea quæ aguntur in exorcismo, non tollitur culpa, propter quam homo punitur post mortem, sed solum tolluntur impedimenta recipienti remissionem culpæ per sacramentum. Unde post mortem exorcismus non valet sine baptismo. Præpositivus tamen dicit, quod pueri exorcizati, si moriantur ante baptismum, minores tenebras patiuntur. Sed hoc non videtur verum: quia tenebræ illæ sunt carentiæ divinæ visionis; quæ non recipit magis, & minus.

Ad secundum dicendum, quod de ratione sacramenti est quod perficiat principalem effectum,

(1) Nimirum ad Catechumenos lib. 1. Cap. 1. verius finem: Præter alia quæ alibi non dissimili sensu passim inculcat: Ut de nuptiis & concupiscentia lib. 1. c. 20. ubi *diabolicam potestatem in parvulis exorcizari ait, ut evasi a potestate tenebrarum in regnum sui Domini transferantur; cum & ad illos pertinet quod Apostolus ait ad Coloss. 1. Qui evasi nos de potestate tenebrarum & transfudit in regnum filii dilectionis sue:* Item lib. 1. cap. 18. Pelagium vellens nullum in parvulis peccatum agnoscentem, Accusat Ecclesiam toto orbe diffusam (inquit) in qua ubique omnes baptizandi infansunt non ab aliud exsufflantur, nisi ut ab eis Princeps mundi mittatur foras, &c. Et cap. 19. prope finem. refellens quod impie dicebat eam ceremoniam ad signenta Manichæorum pertinere: *Antiquissimam* (inquit) *Ecclesie traditionem isto nefario crimine aspergas, qua exorcizantur & exsufflantur parvuli, ut in regnum Christi a potestate tenebrarum (hoc est diaboli & angelorum ejus) evasi transferantur. Ac de gratia Christi & peccato originali cap. 40. Exorciza-*

tur in eis (inquit) & exsufflatur potestas tenebrarum, cui etiam verbis eorum a quibus portantur, se renuntiare respondent: Quibus omnibus rerum occultarum signis evidentibus & sacratis a captivitate pessimo ad optimum Redemptorem transire monstratur &c. Et Epist. 105. Cæcū stipantur (inquit) Pelagiani antiquitus tradito & vetusto sermo Ecclesiarum in baptismo parvulorum, ubi aperitissime demonstrantur infantes & cum exorcizantur & cum eis per eos a quibus gestantur renuntiare se respondent, a diaboli dominatione liberari: Et contra Julianum lib. 6. cap. 2. Verum est (inquit) quod antiquitus veraci fide catholica predicatur & creditur per Ecclesiam totam, quæ filios fidelium nec exorcizaret nec exsufflaret; si nam eis de potestate tenebrarum & a principe motus erueret: Quod in libro meo cui respondet positum commemorare simuisses, tanquam ipse a toto orbe insufflatus esset si huic exsufflato, qua princeps mundi etiam a parvulis ejicitur foras contradicere voluisset.

fectum, qui est gratia remittens culpam, vel supplens aliquem hominis defectum: quod quidem non fit per ea quæ aguntur in exorcismo; sed solum huiusmodi impedimenta tolluntur: & ideo non sunt sacramenta, sed sacramentalia quedam.

Ad tertium dicendum, quod dispositio sufficiens ad suscipiendam gratiam baptismalem est fides, & intentio, vel propria ejus qui baptizatur, si sit adultus, vel ipsius Ecclesiæ, si sit parvulus. Ea vero quæ aguntur in exorcismo ordinantur ad removendum impedimenta: & ideo sine eo potest aliquis consequi effectum baptismi. Non tamen sunt huiusmodi prætermittenda, nisi in necessitatis articulo: & tunc cessante periculo, debent suppleri, ut servetur uniformitas in baptismo. Nec frustra supplentur post baptismum: quia sicut impeditur effectus baptismi, antequam percipiatur; ita potest impediri, postquam fuerit perceptus.

Ad quartum dicendum, quod eorum quæ aguntur post baptismum circa baptizatum, aliquid est quod non solum significat, sed efficit, puta inunctio quæ fit in vertice, quæ operatur conservationem gratiæ baptismalis; aliquid autem est quod nihil efficit, sed solum significat, sicut quod datur ei vestis candida ad significandam novitatem vitæ (✠) vel quod sal immittitur in os ad sermonis discretionem vel ad mentis incorruptionem designandam: Nam de inunctione quidem Rabanus dicit libr. 1. de institut. Clericorum cap. 28. baptizatum inungi in cerebro, ut regni Christi particeps fiat, ut a Spiritu sancto sanctificetur, ut per spiritum sanctum ei viror cœlestis gratiæ conferatur, & ut Spiritus sancti participationem accipiens alienus a Christo non existat; vel descensio Spiritus sancti super ipsum ad habitationem Deo consecrandam significetur, addit cap. 30. Sicut etiam præmisserat cap. 27. quod inungitur illi pectus ante baptismum ut nullæ reliquæ latentis inimici in eo resideant sed in fide sanctæ Trinitatis mens ejus confortetur: Item

que quod ungitur inter scapulas ut undique muniatur & ad bona opera facienda per Dei gloriam robotetur. De veste vero alba sic iterum Rabanus ubi supra cap. 29. *Post baptismum traditur Christiano vestis candida designans innocentiam & puritatem christianam quam post ablutas veteres maculas studio sanctæ conversationis immaculatam servare debet ad præsentandum ante tribunal Christi: Cuncti vero renati albis induuntur vestibus ad mysterium resurgenti Ecclesiæ; (1) sicut ipse Dominus cum vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix, Ecclesiæ splendorem figuravit: Utuntur ergo albis vestibus ut quorum primæ nativitatibus infantiam vetusti erroris pannus fuscaverat, habebat secundæ generationis gloria præferas indumentum: Et Ambrosius lib. de initiandis cap. 7. *Accepisti candida vestimenta ut esset indicium quod exueris involucrem peccatorum & indueris innocentia casta velamina, &c.* Sed & de sale in os immisione sic Rabanus etiam ubi supra cap. 27. *Datur sal benedictum in os ut per sal typicum sapientiæ sale conditua sapore careat iniquitatis, nec a vermibus peccatorum amplius putrescat, sed illesus potius ad majorem gratiam percipiendam conservetur: Vel forte ad cœlestis doctrinæ designandam instructionem, juxta illud quod Augustinus lib. 1. Confessionum de se ait cap. 11. *Audieram ego adhuc puer de vita eterna nobis promissa per humilitatem Domini Dei nostri descendenti ad superbiam nostram, & signabat jam signo crucis ejus, & condiebat ejus sale,* (2) idest doctrina ejus imbuebar.**

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, & recte intelligas, merito insinuatam esse a scripturis, & August. quod ea quæ aguntur in exorcismo, aliquid efficiunt. A D. August. quidem: ut cum discursu ponitur in arg. cons. Ubi pro semper vigilantissime contra hæreticos præsertim, & alios insensatos notabis ly *Nihil agitur frustra* per

(✠) Quæ sequuntur in Textu, habentur ex Edit. Nicolay, in cæteris videre non licuit.

(1) Hinc septem dies in memoriam dominicæ resurrectionis ab Ecclesiâ celebrator *albas* vocamus propter eos qui sancta nocte baptizati albis per totam hebdomadam utuntur vestibus, & sic in angelico castitatis habitu sanctis assistere sacrificiis solent, ait Rabanus lib. 2. de institut. Clericorum cap. 39. Hinc & *Albati* apud Alcuinum dicuntur qui baptizati Sabbato sancto vestes albas deserunt per oclavam, ut

Nb. de divinis Officiis c. de Sabbato in Albis videte est.

(2) Quod perperam de sale in baptismo dictum aliqui putant; cum tunc nondum baptizatus fuerit Augustinus, nec tunc sal usurpari solitum in baptismo satis expresse constat. Addi potest cereus quoque in manu baptizati accensus, ut implere illud Evangelii doceatur, Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona &c.* Sicut lib. de Sacramentis Neophytorum ait Ivo.

per Ecclesiam. A scripturis veroidem per locum a simili insinuat 1. Reg. 16. *Quando cumque spiritus Domini, malus arripiebat Saul, David tollebat cytharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul; & levius babebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus.* Porro tu ex his scripturæ verbis sensum a simili, facientem ad hoc propositum elicias, dicendo: Si ad sonum cytharæ a David pulsaræ efficiebatur hoc, quod spiritus malus a vexatione Saulis cessabat, & ab eo recedebat: utique, & multo magis equidem ad lectionis exorcif. devotum sonum a sancta matre Ecclesia per ministros editum, spiritus malus, idest diabolus a vexatione hominis baptizandi cessabit, & ab eo recedet, ut patet recte consideranti. Plus enim est sonus exorcismi, quam sonus cytharæ, & sancta Dei Ecclesia, quam David. Ideo dictum est *ly multo magis equidem.* Quod si contendas, id non esse omnino a fortiori; saltem sit a puro simili. Secundo vides: quomodo &c:

ARTICULUS IV. 313

Utrum sit officium Sacerdotis catechizare, & exorcizare baptizandum.

IV. dist. vi. quæst. 11. art. 3. quæst. 2.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod non sit sacerdotis catechizare, & exorcizare baptizandum. Ad officium enim ministrorum pertinet habere operationem super immundos, ut Dionysius dicit v. capite eccles. Hierarch. (inter princ. & med.) Sed catechumeni, qui instruuntur in catechismo, & energumeni, qui purgantur in exorcismo, computantur inter immundos, ut ibidem Dionysius dicit (& cap. 111. ante med.) Ergo catechizare, & exorcizare non pertinet ad officium sacerdotis, sed potius ministrorum.

2. Præterea. Catechumeni instruuntur de fide per sacram Scripturam, quæ in Ecclesia per ministros recitatur: sicut enim per lectores in Ecclesia legitur vetus Testamentum, ita etiam per diaconos, & subdiaconos legi-

tur novum; & sic ad ministros pertinet catechizare. Similiter etiam exorcizare, ut videtur, ad ministros pertinet: dicit enim Isidorus in quadam epist. (sc. ad Laudefred. quæ hab. post Conc. Tolet. VIII.) *Ad exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos, & catechumenos in exorcismo imponere.* Non ergo pertinet ad officium sacerdotis catechizare, & exorcizare,

3. Præterea. Catechizare idem est quod docere; & hoc idem est quod perficere; quod ad officium Episcoporum pertinet, ut dicit Dionysius v. cap. eccles. Hierarch. (parum ante med.) Non ergo pertinet ad officium sacerdotis.

Sed contra est quod Nicolaus I. Papa dicit (hab. inter ejus decreta tit. xvi. & cap. lvii. de consecrat. dist. iv. (1) *Catechismi baptizandorum a sacerdotibus uniuscujusque Ecclesia fieri possunt.* Unde Gregorius etiam super Evang. (hom. xxix. ante med.) dicit: *Sacerdotes, cum per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, quid aliud faciunt, nisi quod demonia eiiciunt?*

Respondeo dicendum, quod minister comparatur ad sacerdotem, sicut secundarium, & instrumentale agens ad principale, ut indicat ipsum nomen ministri. Agens autem secundarium non agit sine principali agente, sed cooperatur principali agenti in operando. Quanto autem potior est operatio, tanto principale agens potioribus indiget instrumentis, seu ministris. Potior autem est operatio sacerdotis, in quantum confert ipsum sacramentum, quam in præparatoriis ad sacramentum.

Et ideo supremi ministri, qui dicuntur diaconi, cooperantur sacerdoti in ipsa collatione sacramentorum. Dicit enim Isidorus (loc. cit. in arg. 2.) quod *ad diaconum pertinet assistere sacerdotibus, & ministrare in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi, in baptismo scilicet, in chrismate, patena, & calice.* Inferiores autem ministri cooperantur sacerdotibus in his quæ sunt preparatoria ad sacramentum; sicut lectores in catechismo, & exor-

(1) Refertur sub illius nomine sine ullo indice speciali dist. 4. de consecrat. cap. *Catechismi*, ubi additur. *Sicut in sancta Ecclesia Romana cui Deo auctore ministerium nostri famulatus exhibemus, solemniter fieri comprobantur.* Quod autem subiungitur ex Gregorio, prius perperam notabatur in textu passim, *super Ezechielem*, ubi omnino non habetur; etiam

corrigebatur ad marginem *super Evangelia*; sed in textu fuerat corrigendum, cum in Decretis veteribus non exprimat *super Ezech.* sed *homil. 29* & *homilia* tantum 21. super Ezechielem extent; ac in modernis exprimat *super Evangelia* dist. 4. de consecrat. cap. *Sacerdotes*.

exorcistæ in exorcismo. (1)

Ad primum ergo dicendum, quod super immundos ministri habent operationem ministerialem, & quasi instrumentalem, sed sacerdos principalem.

Ad secundum dicendum, quod lectores, & exorcistæ habent officium catechizandi, & exorcizandi, non quidem principaliter, sed sicut in his sacerdoti ministrantes.

Ad tertium dicendum, quod multiplex est instructio. Una conservativa ad fidem, quam Dionysius tribuit Episcopo in 11. eccl. Hierarch. (parum a princ.) & potest competere cuilibet prædicatori, vel etiam cuilibet fidei. Secunda est instructio, qua quis eruditur de fidei rudimentis, & qualiter se debeat habere in susceptione sacramentorum : & hæc pertinet secundario quidem ad ministros, principaliter autem ad sacerdotes. Tertia est instructio de conversatione christianæ vitæ : & hæc pertinet ad paternos. Quarta est instructio de profundis mysteriis fidei, & perfectione christianæ vitæ : & hæc ex officio pertinet ad Episcopos.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam esse a scripturis, Papa, & Gregorio, quod catechizare est principaliter sacerdotis. A Papa Nicolao quidem, & B. Gregorio, ut est in *arg. contr.* De principali enim agente, respectu catechizandi, & exorcizandi, loquuntur. A scripturis vero per hoc, quod Dominus ad discipulos dixit, *Mat. 28. Docete omnes gentes. baptizantes eos.* Nam *ly docete* catechismum ante baptismum denotat, cum præponatur huic, *sc. baptizantes* : & loquitur Christus ad sacerdotes. In suprema enim cœna, quæ narratur *Mat. 26. Luc. 22.* ipsi jam ordinati fuerant sacerdotes ab ipso Domino. Docet hoc namque Concilium *Trid. sess. 22. cap. 1. & can. 2. Si quis dixerit : illis verbis : Hac facite in meam commemorationem,*

Christum non instituisse Apostolos sacerdotes ; Anathema sit. Hæc in canone : & in capitulo prædixerat, quod hoc, scilicet eos per verba illa fuisse novi testamenti sacerdotes institutos, Ecclesia catholica semper intellexit, & docuit. Item de exorcismo insinuat intentum per hoc, quod ideo Dominus septuaginta duobus discipulis dixit *Luc. 10. Ecco dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* Exorcizandi enim tunc eis fuisse a Christo datum officium, intelligimus : quando ipsis ejiciendi dæmones ab hominibus contulit facultatem. Nec mirum. Nam ad expulsionem dæmonum, ne hominibus noceant, ordinantur principaliter exorcismi. Porro discipulos septuaginta duos representasse sacerdotes, nemo est, qui ambigat ; si epistolam tertiam *Anacleti*, qui fuit Papa Tertius a Petro, legerit dicentis : quod presbyteri discipulorum septuaginta locum tenent in testamento novo Secundo vides : quomodo &c.

Q U Æ S T I O LXXII.

De sacramento Confirmationis.

In duodecim articulos divisa.

Consequenter considerandum est de sacramento confirmationis : & circa hoc quaeruntur duodecim.

Primo, utrum confirmatio sit sacramentum.

Secundo, de materia ejus.

Tertio, utrum sit de necessitate sacramenti quod chrisma fuerit prius, per Episcopum consecratum.

Quarto, de forma ipsius.

Quinto, utrum imprimat characterem.

Sexto, utrum character confirmationis præsupponat characterem baptismalem.

Septimo, utrum conferat gratiam.

Octavo, cui competat recipere hoc sacramentum.

Nono

(1) Ut ex eodem Isidoro loco jam indicato colligitur ; ubi de Exorcistis quidem sic nominatim ; Ad Exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos & catechumenos in exorcizando imponere : De Lectoribus autem : Ad Lectorem pertinet lectiones pronuntiare, & ea que Propheta vaticinatus (vel vaticinati sunt) populis predicare : Sed & quoad alios ; Ad ostiarium pertinet claves Ecclesie, ut claudat & aperiat templum Dei, & omnia que sunt intus extraque, cu-

modias ; fideles recipiat, excommunicatos & infideles excipiat (vel ejicias) Ad acolytum pertinet preparatio luminarium in sacrario, ipse cereum portat, ipse calicem Subdiaconis preparat : Ad Psalmistam pertinet officium canendi dicere benedictiones, laudes, responsoria, & quidquid ad canendi peritiam pertinet : Ad Subdiaconum pertinet calicem & patenam ad altare Christi deferre & Levitis tradere, seu Diaconis, eisque ministrare, urceolum quoque ac manille tenere &c.

Nono, in qua parte .

Decimo, utrum requiratur aliquis qui teneat confirmandum.

Undecimo, utrum hoc sacramentum per solos Episcopos detur.

Duodecimo de ritu ejus.

ARTICULUS I. 414

Utrum Confirmatio sit sacramentum .

Sup. quest. lxv. art. 1. & IV. dist. 11. quest. 11. art. 2. co. & dist. vii. quest. 1. per tot. & IV. cont. cap. lviii.

AD primum sic proceditur. Videtur quod confirmatio non sit sacramentum. Sacramenta enim ex divina institutione efficaciam habent, sicut supra dictum est (quest. lxiv. art. 2.) Sed confirmatio non legitur a Christo instituta. Ergo non est sacramentum.

2. Præterea. Sacramenta novæ legis in veteri lege præfigurata fuerunt: unde Apostolus dicit I. Corinth. x. 2. quod omnes in Moysæ baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spirituales manducaverunt, & omnes eundem potum spirituales biberunt. (1) Sed confirmatio non fuit præfigurata in veteri Testamento. Non ergo est sacramentum.

3. Præterea. Sacramenta ordinantur ad hominum salutem. Sed sine confirmatione potest esse salus: nam pueri baptizati, sine confirmatione decedentes, salvantur. Ergo confirmatio non est sacramentum.

4. Præterea. Per omnia sacramenta Ecclesiæ homo Christo conformatur, qui est sacramentorum auctor. Sed per confirmatio-

nem non videtur Christo conformari, qui non legitur esse confirmatus. Ergo confirmatio non est sacramentum.

Sed contra est quod Melchisedes (2) Papa scribit Hispaniarum Episcopis (epist. unicam ante med. & hab. cap. 111. de consecrat. dist. v.) *De his super quibus rogastis nos vos informari, utrum majus sit sacramentum manus impositionis Episcoporum, an baptismus; scitote, utrumque magnum esse sacramentum.*

Respondeo dicendum, quod sacramenta novæ legis ordinantur ad speciales gratiæ effectus. Et ideo ubi occurrit aliquis specialis effectus gratiæ, ibi ordinatur speciale sacramentum. Quia vero sensibilia, & corporalia gerunt spiritualium, & intelligibilium similitudinem, ex his quæ in vita corporali aguntur, percipere possumus quid in spirituali vita gratiæ speciale existat.

Manifestum autem est quod in vita corporali specialis quædam perfectio est quod homo ad perfectam ætatem perveniat, & perfectas actiones hominis agere possit: unde & Apostolus dicit I. Corinth. xiii. 11. *Cum autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli: & inde est etiam quod præter motum generationis, quo aliquis accipit vitam corporalem, est motus augmenti, quo aliquis perducitur ad perfectam ætatem. Sic igitur & vitam spirituales homo accipit per baptismum, qui est spiritualis regeneratio; in confirmatione autem homo accipit quasi quandam perfectam ætatem spiritualis viræ. Unde Melchisedes Papa dicit (loc. cit.) *Spiritus sanctus, qui super aquas baptismi saluifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam; in baptismum regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam; in bap-**

(1) Ad Baptismum evangelicæ legis in nube & in mari significandum; Eucharistiam in esca, nempe manna; & potu, nempe aqua de petra; ut ibi Beda ex Augustino interpretatur.

(2) Ex quo refertur in Decretis distinct. 4. de consecrat. cap. De his, ubi ex ejus epistola 2. prænotatur. Habetur autem hæc epistola tomo 7. Conciliorum parte 1. Quin & l. 2. contra literas Petilianæ cap. 104. *Sacramentum christianitatis* vocat Augustinus, addens quod in genere visibilia signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus: Adde quod & alij summi Pontifices & Patres in eundem etiam sensum dicunt: Ut Eusebius Papa epist. 3. in Decretis dist. 4. de consecrat. cap. *Manus*, ubi scilicet *manus impositionis sacramentum magna veneratione servandum* vocat: Ut Cornelius apud alium Eusebium in historia ecclesiastica lib. 6. cap. 43. ubi Novatum

ait non fuisse ab Episcopo consignatum, ut sacramentum Confirmationis non accepisse significet: Ut Cyprianus (epist. 72.) ubi de manus impositione ad accipiendum Spiritum sanctum ac de baptismo loquens, *Tunc demum plene sanctificari possunt* (inquit) *si Sacramento utroque nascantur*: Quod etiam dicat ut hæreticos rebaptizandos probet, proindeque sit ab Ecclesiâ reprehensus, non tamen propter illa quibus astruit sacramentum Confirmationis reprehensus est ullo modo: Ambrosius etiam lib. 3. de sacramentis cap. 2. *signaculum spirituale quod post fontem sequitur*, vocat, scilicet post baptismum) Ut in libro de iis qui mysteriis initiantur cap. 7. *Acceptis spirituale signaculum* (inquit) *serva quod accepisti: Signavit te Deus Pater: Confirmavit te Christus Dominus &c.*

baptismo abluimur, post baptismum roboramur. Et ideo manifestum est quod confirmatio est speciale sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod circa institutionem huius sacramenti est duplex opinio: Quidam enim dixerunt, quod hoc sacramentum non fuit institutum nec a Christo, nec ab Apostolis, sed postea processu temporis in quodam Concilio. Alii vero dixerunt quod fuit institutum ab Apostolis. Sed hoc non potest esse: quia instituire novum sacramentum pertinet ad potestatem excellentiæ quæ competit soli Christo. Et ideo dicendum est, quod Christus instituit hoc sacramentum, non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Joan. xvi. 7. *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero mittam eum ad vos.* Et hoc ideo quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quæ non erat danda ante Christi resurrectionem, & ascensionem, secundum illud Joan. vii. 39. *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.*

Ad secundum dicendum, quod quia confirmatio est sacramentum plenitudinis gratiæ, non potuit habere aliquid respondens in veteri Testamento: quia *nihil ad perfectum adduxit lex*, ut dicitur Heb. vii. 19.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est (quæst. lxxv. art. 4.) omnia sacramenta sunt aequaliter necessaria ad salutem; sed quædam sunt sine quibus non est salus; quædam tant quæ cooperantur ad perfectionem salutis. Et hoc modo confirmatio est de necessitate salutis, quamvis sine ea possit esse salus, dum tamen non præmittatur ex contemptu sacramenti.

Ad quartum dicendum, quod illi qui confirmationem accipiunt, quæ est sacramentum plenitudinis gratiæ, Christo conformantur, in quantum ipse a primo instanti suæ conceptionis fuit *plenus gratia, & veritatis*, ut dicitur Joan. 1. Quæ quidem plenitudo declarata est in baptismo, quando Spiritus sanctus descendit corporali specie super eum. Unde & Luc. 1v. 1. dicitur, quod *Iesus plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane.* Non autem conveniebat dignitati Christi, qui est sacramentorum auctor, ut a sacramento plenitudinem gratiæ acciperet.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo. quomodo per rationem interimas hæresim *Pauperum de Lugduno, & Lutheri* dicentium: Confirmationem

non esse sacramentum; sed meram ceremoniam, & ritum quædam. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari a Concilio *Tridemo*. *sess. 7. de sacramentis, can. 1.* „ Si quis dixerit: novæ legis sacramenta non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam; Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere, & proprie sacramentum: anathema sit. *Hæc ibi. Et sess. ead. de Confir. can. 1.* Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, & non potius veram & proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quandam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit. *Hæc ibi.* Item a Papa *Melchiorade*; ut in *arg. cont.* Item a Concilio *Florent. Novæ legis septem sunt Sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio, &c.* Hæc illud in constit. super union. Arme. Item ab *Eusebio* Papa, & martyre. *Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est.* Hæc ille in epistola ad Episcopos Campaniæ, & Tusciæ. Per manus autem impositionem intelligit confirmationem. Item a *Clemente 3. Papa, & martyre*, „ Cum quis regeneratus per aquam fuerit, postmodum septiformi spiritus gratia ab Episcopo confirmetur: quia aliter perfectus esse Christianus nequaquam poterit, ut a B. Petro accepimus, & ceteri sancti Apostoli præcipiente Domino docuerunt. „ Hæc ille in epist. 1. ad discipulos suos. Item a D. August. lib. 2. c. 4. contra litteras *Petilianæ* Donatistæ. „ Confirmationem, inquit, esse sacramentum Chriftimatis: quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus. Quod sacramentum contulisse feruntur Petrus, & Joannes Samaritanis per manus impositionem. „ *Tertio* vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 415.

Utrum Chrisma sit conveniens materia hujus Sacramenti.

Inf. quest. lxxxvi. nr. 1. ad 1. & IV. dist. vii. quest. 1. art. 1. quest. 1. & 2. & IV. cont. cap. lx.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod chrisma non sit conveniens materia hujus sacramenti. Hoc enim sacramentum institutum est a Christo promittente discipulis Spiritum sanctum. Sed ipse misit eis Spiritum sanctum absque omni chrismae inunctione: ipsi etiam Apostoli hoc sacramentum conferebant per solam manus impositionem absque chrismate: dicitur enim Act. viii. (1) quod *Apostoli imponebant manus super baptizatos, & accipiebant Spiritum sanctum*. Ergo chrisma non est materia hujus sacramenti, quia materia est de necessitate sacramenti.

2. Præterea. Confirmatio quodammodo perficit sacramentum baptismi, sicut supra dictum est (quæst. lxxv. art. 3.) & ita debet ei conformari sicut perfectio perfectibili. Sed in baptismo est materia simplex elementum, scilicet aqua. Ergo hujus sacramenti non est conveniens materia chrisma, (2) quod conficitur ex oleo, & balsamo.

3. Præterea. Oleum assumitur in materia hujus sacramenti ad inungendum. Sed quilibet oleo potest fieri inunctio, puta oleo quod fit ex nucibus, vel ex quibuscumque aliis rebus. Non ergo solum oleum olivarum debet assumi ad hujusmodi sacramentum. *Summ. S. T. b. Tom. XII.*

tum.

4. Præterea. Supra dictum est (quæst. lxxvi. art. 3.) quod aqua assumitur ut materia ad baptizandum, quia ubique de facili invenitur. Sed oleum olivarum non ubique invenitur, & multo minus balsamum. Non ergo chrisma, quod ex his conficitur, est conveniens materia hujus sacramenti.

Sed contra est quod Gregorius dicit in Registro (3) *Presbyteri baptizatos infantes signare in frontibus sacro chrismate non presumant*. Ergo chrisma est materia hujus sacramenti.

Respondeo dicendum, quod chrisma est conveniens materia hujus sacramenti. Sicut enim dictum est (art. præc.) in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus sancti ad robur speciale, quod competit perfectæ ætati. Homo autem, cum ad perfectam ætatem pervenerit, incipit jam communicare actiones suas ad alios; antea vero quasi singulariter sibi ipsi vivit. Gratia vero Spiritus sancti in oleo designatur: unde Christus dicitur esse *unctus oleo lætitiæ* (Psal. xlii.) propter plenitudinem Spiritus sancti quam habuit. Et ideo oleum competit materiæ hujus sacramenti. Admiscetur autem balsamum propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios: unde Apostolus dicit II. Corinth. xi. 15. *Christi bonus odor sumus Deo &c.*

Et licet multa alia sint odorifera, tamen præcipue accipitur balsamum propter hoc quod habet præcipuum odorem, & quia etiam incorruptionem præstat: unde Eccli. xxi. 21. dicitur: *Quasi balsamum non mixtum odorem*.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus ex potestate excellentiæ, quam habet in fa-

N cra-

(1) De iis nempe quos Philippus non Apostolus quidem ex duodecim, sed alius e septem Diaconis, in Samaria baptizarat, & ad quos manus impositione confirmandos missi sunt Petrus & Joannes.

(2) Non quod ex ipsa vi nominis *chrisma* mixtionem hæc significet, cum idem sit dumtaxat quod unctio (ex græco *χρισμα*) sed per excellentiam sic vocatur quod ex balsamo simul confectum est; cap. *Cum venisset Extra de sacra unctio*.

(3) Nempe lib. 3. epistoliarum Indictione 12. epist. 9. versus finem; indeque in Decretis distinct. 4. de consecrat. cap. *Presbyteri*: Præter id quod ex Innocentio 1. art. 3. notabitur, & ex cap. *Presbyteris* eadem distinct. 4. repeti potest. Sic & Dionysius de ecclesiastica hierarchia cap. 1. *μύρου τελευτητικῆν χρίσμα* idest unguentis consummationis unctionem appellat; addens quod & illius participem fragrantem reddit (*ἐρωδοροῖδον* vel *ἐρωδῶν*) Et hoc unguentum item cap. 4. vocat materiarum fragrantium collectionem

quandam vel compositionem quæ suavitate quamdam odoris affert, &c. Sic Origenes homil. 9 in Levit. post medium unguento sacro *chrismae delibatos* fideles insinuat cum confirmantur: Sic Cyrillus Hierosolymitanus catecheseos mystagogica 3. non amplius unguentum nudum vocat sed *chrisma* potius Christi (*χρίσμα χριστῶ*) postquam consecratum est, adeoque *αἷον χρίσμα*, seu *sanctum chrisma* quod corpus & animam spiritualiter protegat, &c. Hinc Decreto Eugenii 4. post Concilium Florentinum cap. de Confirmatione: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma consecratum ex oleo quod nitorem significat conscientie, & balsamo quod odorem significat bonæ fame: Ut & in Concilio Tridentino Sess. 7. can. 1. & 2. de Confirmatione: sicut quis dixerit Confirmationem otiosam ceremoniam esse, ac injuriosum esse Spiritui sancto qui vim aliquam sacro chrismae tribuens anathema sit, &c.*

cramentis, contulit Apostolis rem hujus sacramenti, idest plenitudinem Spiritus sancti sine sacramento: eo quod *ipsi primitias Spiritus sancti acceperant*, sicut dicitur Rom. viii. Nihilominus tamen aliquid conforme materiz hujus sacramenti exhibitum fuit Apostolis sensibiliter in collatione Spiritus sancti. Quod enim sensibiliter Spiritus sanctus super eos descendit in specie ignis, ad eandem significationem refertur ad quam refertur oleum: nisi quod ignis habet vim activam, oleum autem habet vim passivam, in quantum est materia, & fomentum ignis. Et hoc satis competeat: nam per Apostolos gratia Spiritus sancti erat ad alios derivanda. Super Apostolos etiam Spiritus sanctus descendit in figura linguæ: quod ad idem significandum refertur quod significat balsamum: nisi quod lingua per locutionem est communicativa ad alterum, balsamum vero per odorem: quia scilicet Apostoli replebantur Spiritu sancto ut fidei doctores; alii autem fideles ut operatores eorum quæ pertinent ad ædificationem fidelium. Similiter etiam ad impositionem manus Apostolorum, & etiam ad eorum prædicationem descendebat plenitudo Spiritus sancti super fideles sub visibilibus signis, sicut a principio descenderat super Apostolos. Unde Petrus dicit Act. xi. 15. *Cum capissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut & in nos in initio*. Et ideo non erat necessaria sensibilis materia sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculose exhibebantur divinitus. Utebantur tamen Apostoli communiter chrismate in exhibitione sacramenti quando hujusmodi visibilia signa non exhibebantur. Dicit enim Dionysius iv. cap. eccles. Hierarch. (cir. princ.) *Est quedam perfectiva operatio, quam duces nostri, idest Apostoli, chrismatis hostiam (1) nominant*.

Ad secundum dicendum, quod baptismus datur ad spirituale vitam simpliciter consequendam: & ideo competit illi sacramento materia simplex. Sed hoc sacramentum datur ad plenitudinem consequendam Spiritus sancti, cujus est multiformis operatio, secundum illud Sap. vii. 22. *Est enim in illa Spiritus intelligentia sanctus, unicus, multiplex* & I. ad Cor. xii. 4. dicitur: *Divisiones*

gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et ideo convenienter hujus sacramenti est materia composita.

Ad tertium dicendum, quod proprietates olei, quibus significatur Spiritus sanctus, magis inveniuntur in oleo olivarum (2) quam in quocumque alio oleo: unde & ipsa oliva semper frondibus virens, virorem, & misericordiam Spiritus sancti significat. Hoc etiam oleum proprie dicitur oleum, & maxime habetur in usu ubi haberi potest; quilibet autem alius liquor ex similitudine hujus oleum nominatur; nec est in usu communi nisi in supplementam apud eos quibus deest oleum olivarum. Et ideo hoc oleum solum assumitur in usum hujus, & quorundam aliorum sacramentorum.

Ad quartum dicendum, quod baptismus est sacramentum absolutæ necessitatis: & ideo ejus materia debet inveniri ubique. Sufficit autem quod materia hujus sacramenti, quod non est tantæ necessitatis possit de facili ad omnia loca terrarum deferri.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo quomodo per rationem interimas hæresim *Novasianorum*, & quorundam, hæret. de qua Lindanus, Dubitantii sui dialog. secundo sic inquit. *Novusiani negant, Confirmationem habere olei sacri unctionem*. Sic nunc *Lutherus, Calvinus, Bucerus*, aliique omnes nostri temporis Evangelici. Videatur hic etiam (si commodum est) Theodoritus, in fabulis hæreticorum. Pro tanto autem hic adducitur prædicta hæresis, & ab articulo isto exploditur: pro quanto implicite dicit, quod Chrisma non est conveniens materia sacramenti confirmationis. Unde & in hoc sensu ipsam esse damnatam intelligitur adduci in sequentibus. Secundo igitur habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari a Concilio Florent. sub *Eugenio IV.* in constit. super unio. Armen. „ Secundum sacramentum est confirmatio: „ cujus materia est chrisma confectum ex „ leo, quod nitorem significat conscientiz, & „ balsamo, quod odorem significat bonæ fæ „ mæ, per Episcopum benedictum. „ Hæc ibi.

(1) Sicut vetus interpres reddit *μύου τερηλο* sed modernus *unguenti mysterium*.

(2) Quod & oleum ab oliva vel ab olea dendiatur: Unde proprie ac per excellentiam oleum est et subjungitur paulo infra. Hinc in tabernaculo testi-

monij oleum de arboribus olivarum purissimum ut ardeat lucerna semper Exo. i. 27. vers. 20. Hinc templi postes de lignis olivarum, 3. Reg. 6. vers. 33. Hinc Plal. 51. vers. 20. *Ego in domo Dei quasi oliva, &c.*

ibi. Item a Concilio *Trident.* per hoc, quod dicit *sess. 7. de confirmat. can. 2.* „ Si quis „ dixerit: injurios esse Spiritui sancto eos, „ qui sacro confirmationis chrismati virtutem „ aliquam tribuunt; anathema sit. „ Hæc ibi: quæ & juvant articulum 9. sicut etiam illa *Florentini* juvant articulo 3. Item a *S. Fabiano* Papa, & martyre per hoc, quod in sua epistola secunda ad *Episcopos Orientales* ait: „ In illa die Dominus JESUS, postquam cœnavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes (sicut a sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) chrisma conficere docuit. Ipsa enim lavatio pedum nostrum significat baptismum, quando sancti chrismatis unctione perficitur, & confirmatur. Sicut igitur ipsius diei solemnitas per singulos annos est celebranda: ita ipsius sancti chrismatis confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renovanda, & vetus chrisma in sanctis Ecclesiis cremandum. Ista a sanctis Apostolis, & eorum successoribus accepimus: vobisque tenenda mandamus. Hæc sancta Romana Ecclesia, & Antiochena a tempore Apostolorum custodit; Hæc Hierosolymorum, & Ephesianorum tenet: In quibus Apostoli præfidentes hæc docuerunt: & vetus chrisma incendi. & non amplius, quam uno anno, uti permiserunt. „ Hæc ibi. Ex quibus consideranti patet intentum. & necessaria circa intentum. Præterea hic, & alibi plerumque auctoritates Patrum fufius adducimus, ut abundantior habeatur intellectus occurrentis articuli cum circumstantiis suis. Cæterum contra osos, & contempores hujus materiæ, idest, sancti chrismatis, ut plenius instructus sis; in ipsorum iustissimam damnationem vide Veritates aureas super totam legem veterem, *Exod. 30. concl. 4. & cap. 40. concl. 1. item Levit. 26. concl. 1. item Numer. 4. conclus. 1. & cap. 18. concl. 2. item Addition. articulorum num. 128. caps. Elucid. Tertio* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 416

Utrum sit de necessitate hujus Sacramenti quod chrisma fuerit prius per Episcopum consecratum.

IV. dist. XVII. quæst. 1. art. 2. quæst. 2.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod non sit de necessitate hujus sacramenti quod chrisma, quod est materia hujus sacramenti fuerit prius per Episcopum consecratum. Baptismus enim, in quo fit plena remissio peccatorum, non est minoris efficaciz quam hoc sacramentum. Sed licet quedam sanctificatio adhibeatur aquæ baptismali (1) ante baptismum, non tamen est de necessitate sacramenti, quia in articulo necessitatis præteriri potest. Ergo non est de necessitate hujus sacramenti quod chrisma fuerit prius per Episcopum consecratum.

2. Præterea. Idem non debet bis consecrari. Sed materia sacramenti sanctificatur in ipsa collatione sacramenti per formam verborum, qua confertur sacramentum: unde & Augustinus dicit super Joan. (tract. lxxx. a med.) *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Non ergo debet prius chrisma consecrari quam hoc sacramentum tradatur.

3. Præterea. Omnis consecratio quæ fit in sacramentis, ad consecrationem gratiæ ordinatur. Sed materia sensibilis confecta ex oleo, & balsamo non est capax gratiæ. Ergo non debet ei aliqua consecratio adhiberi.

Sed contra est quod Innocentius I. (2) Papa (epist. 1. ad Decent. cap. 111. & hab cap. cxix. de consecrat. dist. iv.) dicit *Presbyteris, cum baptizant, chrismate baptizatos ungeri liceat, quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solum debetur Episcopis, cum tradunt Paracletum: quod quidem fit in hoc sacramento.* Ergo ad hoc sacramentum requiritur chrisma per Episcopum consecratum.

Respondeo dicendum, quod tota sacramentorum sanctificatio a Christo derivatur, ut

N 2 supra

(1) Pura benedictio fontis baptismalis, ubi rogatur Deus aquam regenerandis hominibus preparatam arcana sui luminis admixtionis facundare, ut sanctificatione concepta ab immaculato divini fontis usero in novam renata creaturam progenies celestis emergat, &c.

(2) Ex quo refertur in Decretis distinct. 4. de con-

secrat. cap. *Presbyteris* ut supra; & sumptum est ex epist. 1. quam Decentio scribit ut cap. 3. patet. Huc pertinere potest quod S. Leo epist. 88. Corepiscopis vel simplicibus Presbyteris negat licitum esse chrisma conficere quo baptizatorum frontes consignantur quia id solis Episcopis convenit: Conficere dicuntur porro quia consecrant illud vel benedixit, ut planum est

supra dictum est (quæst. lxiv. art. 3.) Est autem considerandum, quod quibusdam sacramentis habentibus materiam corpoream Christus est usus, scilicet baptismo, & etiam Eucharistia. Et ideo ex ipso usu Christi materiz horum sacramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem sacramenti. Unde Chryostomus (1) dicit, (id hab. Chromat. in fragmentis, vide cap. *Numquam* de consecrat. dist. iv.) quod *numquam aqua baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu dominici corporis sanctificata fuissent.* Et similiter ipse Dominus accipiens panem benedixit; similiter autem & calicem, ut habetur Matth. xxvi. & Luc. xxii. Et propter hoc non est de necessitate horum sacramentorum quod materia prius benedicatur, quia sufficit benedictio Christi. Si qua vero benedictio adhibeatur, pertinet ad solemnitatem sacramenti, non autem ad necessitatem.

Unctionibus autem visibilibus Christus non est usus, ne heret injuria invisibili unctioni, qua est *unctus præ consortibus suis*, Psal. xlv. Et ideo tam chrisma, quam oleum sanctum infirmorum, prius benedicuntur, quam adhibeantur ad usum sacramenti.

Ad primum ergo patet responsio ex dictis.

Ad secundum dicendum, quod utraque consecratio chrismae non refertur ad idem. Sicut enim instrumentum virtutem instrumentalem acquirit dupliciter, scilicet quando accipit formam instrumenti, & quando movetur a principali agente ad effectum; ita etiam materia sacramenti duplici sanctificatione indiget: per quarum unam fit propria materia sacramenti, per aliam vero applicatur ad effectum.

Ad tertium dicendum, quod materia corporalis non est capax gratiz, quasi gratiz subiectum, sed solum sicut gratiz instrumentum, ut supra dictum est (2) & ad hoc materia sacramenti consecratur vel ab ipso Christo; vel ab Episcopo, qui gerit in Ecclesia personam Christi.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, a summis Pontificibus, & Conciliis, quod chrisma confirmationis sacramenti materia debet de necessitate benedictum esse per Episcopum. A summo quidem Pontifice Innocentio: *ut in argumen. cont.* Item a Papa Gel. *Presbyteros ultra suum modum conscendere prohibemus, nec Episcopali fastigio debita sibi met audacter assumere, non conficiendi chrismae, non signationis Pontificalis adhibenda sibi met arripere facultatem.* Hæc ille: & recitantur in Decret. distinct. nonagesimaquinta. A Conciliis autem Flor. ut refertur supra art. 2. *append.* Item a Concilio *Hispalensi* 2. cap. 7. „ Siquidem nec benedicere eis „ (scilicet presbyteris) Ecclesiam, nec alia „ taria consecrare, neque per impositionem „ manuum fidelibus baptizandis, vel conver- „ sis ex hæresi spiritum tradere, nec chris- „ ma conficere, nec chrismate baptizandum „ frontem signare. „ Hæc illud, & ut contextus edocet his verbis, talia officia esse reservata episcopis, intendit. A scripturis vero, tanquam a figuris procedendo (quod juxta doctrinam Concil. *Hispalensis* 2. c. *Licet*) insinuat idem per hoc, quod ad Moysen, qui pro tunc pontificem representabat, dicitur a Domino Exod. 30. *Faciesque oleum sanctum, &c. Nec juxta compositionem ejus facietis illud, &c.* Pro cuius captu, & applicatione, atque expulsionem errorum dignissima, vide Veritates aureas super totam legem veterem, Exod. 30. *concl.* 4. 5. *Secundo* vides: quomodo &c.

A R.

(1) Ut in Decreti veteribus Exemplaribus notabatur distinct. 4. de consecrat. cap. *Numquam*, sed restitui debet ex Chromat. in Matth. sicut moderna passim Exemplaria restituant: Habetur autem in fragmentis ejusdem Chromatij Aquilejensis Episcopi qui Hieronymi tempore vixit & floruit, to. 2. Bibliothecæ Patrum super illud ex Matt. 3. *Ego a te debeo baptizari, &c.* Sed Chromatium in Chryostomum

incautior aliquis commutavit cui notus non erat Chromatius; ut jam indicatum est quæst. 66 art. 10. Ubi eadem verba Chryostomi nomine referuntur in textu, & ad marginem ex Chromatio reponuntur.

(2) Nimirum eum de causa gratiz vel de causalitate Sacramentorum ad illius productionem qu. 62 art. 1. & sequentibus ageretur.

ARTICULUS IV. 417

Utrum Hæc sit conveniens forma hujus Sacramenti; Consigno te signo crucis &c.

Inf. quæst. lxxxiv. art. 3. cor. & IV. dist. VII. quæst. 1. art. 3. quæst. 3. & opus. II. cap. 1.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod hæc non sit conveniens forma hujus sacramenti: *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen.* Usus enim sacramentorum a Christo, & ab Apostolis derivatur. (1) Sed neque Christus hanc formam instituit, nec Apostoli ea usi leguntur. Ergo hæc non est conveniens forma hujus sacramenti.

2. Præterea. Sicut sacramentum est idem apud omnes, ita & forma debet esse eadem: quia quælibet res habet unitatem, sicut & esse, a sua forma. Sed hac forma non omnes utuntur: quidam enim dicunt *Confirmo te chrismate sanctificationis*. Ergo hæc non est conveniens forma hujus sacramenti.

3. Præterea. Sacramentum hoc debet confirmari baptismo, sicut perfectio perfectibili, ut supra dictum est (art. 2. hu. quæst. arg. 2.) (2). Sed in forma baptismi non fit mentio de signatione characteris, nec etiam de cruce Christi (cum tamen per baptismum homo Christo commoriatur, ut Apostolus dicit Rom. vi.) nec etiam fit mentio de effectu salutis, cum tamen baptismus sit de necessitate salutis: in forma etiam baptismi ponitur unus actus tantum, & exprimitur persona baptizantis, cum dicitur, *Ego te baptizo*: cujus contrarium apparet in forma prædicta. Non ergo est conveniens forma hujus sacramenti.

Sed contra est auctoritas Ecclesiæ, quæ hac forma communiter utitur (3).

Respondeo dicendum, quod prædicta forma est conveniens huic sacramento.

Sicut enim forma rei naturalis dat ei speciem, ita forma sacramenti continere debet quicquid pertinet ad speciem sacramenti. Sicut autem ex supradictis patet (art. 1. hu. quæst.) in hoc sacramento datur Spiritus sanctus ad robur spiritualis pugne. Et ideo in hoc sacramento tria sunt necessaria, quæ continentur in forma prædicta. Quorum primum est causa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quæ est sancta Trinitas: quæ exprimitur, cum dicitur: *In nomine Patris &c.* Secundum est ipsum robur spirituale, quod homini conferitur per sacramentum materię visibilis ad salutem: quod quidem tangitur, cum dicitur: *Confirmo te chrismate salutis*. Tertium est signum quod pugnatore datur; sicut & in pugna corporali milites insigniis ducum insigniuntur: & quantum ad hoc dicitur. *Consigno te signo crucis*, in quo scilicet Rex noster triumphavit, ut dicitur Coloss. 11.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. 2. hu. quæst. ad 1.) per ministerium Apostolorum quandoque dabatur effectus hujus sacramenti. Scilicet plenitudo Spiritus sancti, quibusdam visibilibus signis miraculose a Deo effectis, qui potest effectum sacramenti sine sacramento conferre: & tunc non erat necessaria nec materia, nec forma huius sacramenti. Quandoque autem, tamquam ministri sacramentorum, hoc sacramentum præbebant: & tunc sicut materia, ita & forma ex mandato Christi utebantur. Multa enim servabant Apostoli in sacramentorum collatione, quæ in Scripturis communiter propositis non sunt tradita, Unde Dionysius dicit in fine eccles. Hierarch. (cap. ult. inter med. & fi.) *Consummativas invocationes*, idest verba quibus perficiuntur

(1) A Christo quidem ut ab institutionis auctore, sicut eum appellat Ambrosius: Ab Apostolis autem ut ab administratoribus primis quibus exequutio sive dispensatio commissa est.

(2) Ut expresse ibi sub istis verbis videre est: Non sic etiam quæst. 65. art. 4. ut addebatur prius ad marginem, sed solum ibi quod Baptismum Confirmatio perficiat.

(3) Sic enim in Romano Pontificali non moderno dumtaxat & impresso, sed manuscripto & veteri: Etsi tom 20. Bibliothecæ Patrum in Ordine Romano simpliciter habetur, *Confirmo te in nomine Pa-*

tris, &c. Ac in aliis manuscriptis quibusdam Ordinibus utrumque simul, *Confirmo te & signo*. &c. Pontifex tamen tincto pollice in chrismate crucem facere super frontem dicitur in Ordine prædicto; quod ad eundem ritum potest æquivalenter pertinere, vel supponere quod etiam verba chrismationi respondentia proferat; licet confirmatio sola referatur expresse quia in actione chrismationis non designatur, & ideo referri expresse debuit: Alioquin Decretum Eugenij post Concilium Florentinum Armenis quædam formam communem tradidit eam quam hic recenset S. Thomas.

untur sacramenta, non est iustum Scripturas interpretantibus, (1) neque mysticum eorum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes, ex occulto ad commune adducere; sed nostra sacra traditio sine pompa, idest occulte, eas adoptet. Unde & Apostolus dicit loquens de celebratione Eucharistiæ I. Corinth. xi. 34. *Cetera, cum venero, disponam.*

Ad secundum dicendum, quod sanctitas est salutis causa. Et ideo in idem redit, quod dicitur *chrismate salutis, & sanctificationis.*

Ad tertium dicendum, quod baptismus est regeneratio in spiritualem vitam qua homo vivit in seipso: & ideo non ponitur in forma baptismi nisi unus actus ad ipsum hominem sanctificandum pertinens. Sed hoc sacramentum non solum ordinatur ad hoc quod homo sanctificetur in seipso; sed exponitur cuidam pugnae exteriori: & ideo non solum fit mentio de interiori sanctificatione, cum dicitur, *Confirmo te chrismate salutis*; sed etiam signatur homo exterius quasi vexillo crucis ad pugnam spirituales: quod significatur, cum dicitur, *Consigno te signo crucis.* In ipso autem verbo baptizandi, quod abluitionem significat, potest intelligi & ma-

teria (quæ est aqua abluens) & effectus salutis; quæ non intelliguntur in verbo confirmandi: & ideo oportuit hæc ponere. Dicitur est autem supra (quæst. lxxvi. art. 5. ad 1.) quod hoc quod dicitur, *Ego*, non est de necessitate formæ baptismalis, quia intelligitur in verbo primæ personæ; apponitur tamen ad exprimendam intentionem: quod non est ita necessarium in confirmatione, quæ non exhibetur nisi ab excellenti ministro, ut infra dicitur (art. 11. hu. quæst.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, & Concilio, quod hæc forma confirmationis, sc. *Consigno te signo crucis, & confirmo te, &c.* est conveniens. A scripturis quidem per hoc quod de Ecclesia sancta, sub nomine mulieris stabilis, dicitur Eccl. 26. *Columna aurea super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris.* Huiusmodi enim verbis universaliter ostenditur inconcussa veritatis, & convenientiæ firmitas reperta in Ecclesia, & consequenter in

(1) Ut ex veteri (etsi corrupta) versione habent impressa passim & manuscriptum ipsum, sed juxta Græcum *ὁ Θεὸς ἑστὶν ἡ ὑπαρξὶς ἀσηματωμένη* reddi debet, Non est licitum in scripturis interpretari, seu consignare scripto; non hoc intelligendo de divinis & canonicis libris, ut interpret fortasse sibi finxit: Non dissimili modo Innocentius primus ubi supra, de Confirmatione nominatim ac ex professo loquens verba quæ formam ejus constituunt se reticere significat quod sine periculo vulgari non possint: *Verba dicere non possum* (inquit) *ne prodeve magis videar quam ad consultationem responderem.* Inde fortassis tot auctorum varietates in expressis illius verbis assignandis. Commentitium porro & fictitium puto quod pro Græcorum forma dici solet, velut his tantum verbis valide constet, *εὐχαριστῶντες τὸ αἶμα τοῦ σωτηρίου* idest *Signaculum donationis Spiritus sancti*, & quod ex Concilio Constantinopolitano 1. præsumptitè astruitur; ubi dicitur nempe can. 9. (vel 7. sicut alij citant) *Eos qui ad recta fidei professionem ab hæresi redeunt, recipimus unctis chrismate sancto & frontem & oculos & nares & os & aures, signando eos dicimus, Signaculum donationis Spiritus sancti:* Non enim verba illa ponuntur quæsi forma, de qua non agebatur ibi ex professo, & quæ propter prædictam causam exprimi non solebat; sed quasi signum quoddam exhibitum rei quæ percipitur; sicut olim Eucharistiam porrigendo præmittentur illa verba, *Corpus Domini nostri Jesu Christi* ad profitendam ejus veritatem vel ad reverentiam excitandam: Hinc Bessarion Cardinalis Græcorum doctissimus lib. de Sacramento Eucharistiæ tomo 6. Bibliothecæ Patrum:

*Verba (inquit) quibus unumquodque Sacramentum perficitur, nulli non Sacerdotum apud Latinos notissima sunt: Nostri vero sicut alia multa propter temporum calamitates perdidimus, ita etiam horum rituum sunt obliiti: Quod manifestum fiet si quis ad Sacramentum chrismatis mentem converteris: Quippe secunda œcumenica Synodus in 7. Canone (sive 9.) sic ait: Obligantes, hoc est sacratissimo chrismate ungentes eos, dicimus, Signaculum doni Spiritus sancti: Quæ verba secundum eos (Græcos nempe) Sacramentum chrismatis perficitur: Quo significat eos falli qui formam in his verbis positam putent. At credibile porro ut cum hæc forma multo magis a forma Latinorum quam in Baptismo distet, nihil de illa plane in Concilio Florentino tractatum esset, si usitata Græcorum forma jam ab antiquo putaretur? Quidni potius illa consonantior nostræ quam Severus Alexandrinus Patriarcha qui post 600. annum vixit, libro de ritibus Baptismi tradit eodem tomo 6. Bibliothecæ Patrum: *Chrismate sancto, suavitate odoris Christi Dei, sigillo veræ fidei, complemento pignoris Spiritus sancti obsignatur talis (N) in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti?* Nec obstat quod fuisse putetur hæreticus; quia non minus ex parte in qua ejus hæresis non notatur, usum sui temporis refert: Ut nec obstat Græcorum novum Rituum prædictam formam tradens, quia non valde mirum eos in Sacramento Confirmationis falli, ut notatum est supra, qui tam parum in fide firmos passim se ostendunt, præsertim cum nec Sacramentum hoc sit absolute necessarium ad salutem.*

in rebus, quibus Ecclesia communiter utitur. Cum igitur utatur communiter forma prædicta: ut dicit *arg. contr.* constat per illud scripturæ dictum sic allegorice, ut decet, explicatum, quod forma ipsa confirmationis est conveniens. De maximo auctoritatis Ecclesiæ pondere, atque ordinatissimo, ac sanctissimo, vide 2. 2. q. 10. ar. 12. corp. Unde non mirum, si D. Tho. & hic in *arg. contr.* & alibi ubique ad talem illius auctoritatem se remittat. A Conc. autem *Florens.*
 „ Secundum sacramentum est confirmatio,
 „ cujus forma est; Signo te signo crucis, &
 „ confirmo te chrismate salutis, in nomine
 „ Patris, & Filii, & Spiritus sancti. „ Hæc
 in const. super union. Armen. Vide dicta in
Elucid. ad 2. Secundo vides: quomodo &c.

ARTICULUS V. 418

Utrum Sacramentum Confirmationis imprimat characterem.

IV. dist. VII. quæst. II. art. 1. quæst. 1. & quæst. III. art. 3. quæst. 3.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod sacramentum confirmationis non imprimat characterem. Character enim importat quoddam signum distinctivum. Sed per sacramentum confirmationis non distinguitur homo ab infidelibus, hoc enim fit per baptismum; neque etiam ab aliis fidelibus, quia hoc sacramentum ordinatur ad pugnam spiritualem, quæ omnibus fidelibus indicitur. Ergo in hoc sacramento imprimitur aliquis character.

2. Præterea. Supra dictum est (quæst. lxxii. art. 2.) quod character est quædam potentia spiritualis. Potentia autem non est nisi activa, vel passiva. Potentia autem activa in sacramentis confertur per sacramentum ordinis; potentia autem passiva, sive receptiva per sacramentum baptismi. Ergo per sacramentum confirmationis nullus character imprimitur.

3. Præterea. In circumcissione, quæ est character corporalis, non imprimitur aliquis spiritualis character. Sed in hoc sacramento imprimitur quidam character corporalis cum scilicet homo chrismate signatur signo crucis in fronte. Non ergo imprimitur in hoc sacramento character spiritualis.

Sed contra. In omni sacramento quod non iteratur, imprimitur character. Sed hoc sacramentum non iteratur: dicit enim Gregorius (hab. cap. ix. de consecrat. dist. v.)

de homine qui a Pontifice confirmatus fueris denuo, talis iteratio prohibenda est. Ergo in confirmatione imprimitur character.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. lxxii. art. 2.) character est quædam spiritualis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata. Dictum est autem supra (art. 1. hu. quæst.) quod sicut baptismus est quædam spiritualis regeneratio in vitam christianam, ita etiam confirmatio est quoddam spirituale augmentum promovens hominem in spiritualem ætatem perfectam.

Manifestum est autem ex similitudine corporalis vitæ, quod alia est actio hominis statim nati, & alia actio quæ competit ei, cum ad perfectam ætatem pervenerit. Et ideo per sacramentum confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras, præter illas ad quas datur ei potestas in baptismo. Nam in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda quæ ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum seipsum vivit; sed in confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei; sicut patet exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus sancti acciperent, erant in carnaculo perseverantes in oratione; postmodum vero egressi non verebantur publice fidem fateri etiam coram inimicis fidei christianæ. Et ideo manifestum est quod in sacramento confirmationis imprimitur character.

Ad primum ergo dicendum, quod pugna spiritualis contra hostes invisibiles omnibus competit; sed contra hostes visibiles, idest contra persecutores fidei, pugnare, nomen Christi publice confitendo, est confirmatorum, qui jam sunt perducti spiritualiter ad virilem ætatem, secundum quod dicitur I. Joan. 11. 14. *Scribo vobis juvenes, quoniam fortis estis; & verbum Dei in vobis manet, & vicistis malignum.* Et ideo character confirmationis est signum distinctivum, non infidelium a fidelibus, sed spiritualiter provektorum ab his quibus dicitur (I. Petri 11. 2.) *Sicut modo geniti infantes.*

Ad secundum dicendum, quod omnia sacramenta sunt quædam fidei protestationes. Sicut igitur baptizatus accipit potestatem spiritualem ad protestandam fidem per susceptionem aliorum sacramentorum; ita confirmatus accipit potestatem publice fidem Christi verbis profiteri, quasi ex officio.

Ad tertium dicendum, quod sacramenta veteris legis dicuntur *justitia carnis*, ut patet Hebr.

Hebr. ix. quia scilicet interius nihil efficiebant : & ideo in circumcissione imprimebatur character solum in corpore , non autem in anima . Sed in confirmatione cum character corporeali imprimitur simul character spiritualis , eo quod est sacramentum novæ legis .

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri* dicentis : nullum sacramentum , & consequenter nec confirmationem (cum re vera , quamvis ipse neget , sit sacramentum , ar. 1.) imprimere characterem . *Secundo* habes , quomodo per rationem (pro quanto agitur de confirmatione) ostendas , illam merito damnari a Concilio *Florentino* , & *Tridentino* , supra 9. 4. 1. 6. *appe.* Item a *Papa Greg.* ut cum discursu ponitur in *arg. cont.* Item a Conc. *Mogun.* cui addas tu similem discursum argumenti cont. pro applicatione clariori ad intentum . Recitatur illud *Gregor. in Decr. de conse. de 5. cap. De homine* : & istud Concil. *ibid. cap. Dicitur est nobis* . *Tertio* vides : quomodo &c.

A R T I C U L U S VI. 419

Utrum character Confirmationis præsupponat characterem Baptismi.

IV. dist. VII. quest. II. art. 1. quest. 3. & dist. XXIV. quest. 1. art. 2. quest. 3. & 4.

AD sextum sic proceditur . Videtur quod character confirmationis non præsupponat ex necessitate characterem baptismalem . Sacramentum enim confirmationis ordinatur ad confitendum publice fidem Christi . Sed multi etiam ante baptismum sunt fidem Christi publice confessi , sanguinem fundentes pro fide . Ergo character confirmationis non præsupponit characterem baptismalem .

2. Præterea . De Apostolis non legitur , quod fuerint baptizati ; præsertim cum dicitur Joan. iv. quod ipse Christus non baptizabat , sed discipuli ejus : & tamen postea fuerunt confirmati per adventum Spiritus

sancti . Ergo similiter alii possunt confirmari , antequam baptizentur .

3. Præterea . Act. x. 44. dicitur , quod *adhuc loquente Petro , cecidit Spiritus sanctus super eos qui audiebant verbum ; & audiebant eos loquentes linguis : & postea Petrus iussit eos baptizari . Ergo pariteratione possunt alii prius confirmari quam baptizentur .*

Sed contra est quod *Rabanus* dicit in Libro I. de instit. cleric. (cap. xxx. in princ.) *Novissime a summo Sacerdote per impositionem manus Paracletus traditur baptizato , ut roboratur per Spiritum sanctum ad predicandum .*

Respondeo dicendum , quod character confirmationis ex necessitate præsupponit characterem baptismalem ; ita scilicet quod si aliquis non baptizatus confirmaretur , nihil reciperet ; sed oporteret iterato ipsum confirmari post baptismum .

Cujus ratio est , quia ita se habet confirmatio ad baptismum , sicut augmentum ad generationem , ut ex supradictis patet (art. 1. hu. quest.) Manifestum est autem quod nullus potest promoveri in ætatem perfectam nisi primo fuerit natus : & similiter nisi primo aliquis fuerit baptizatus , non potest sacramentum confirmationis accipere .

Ad primum ergo dicendum , quod virtus divina non est alligata sacramentis . Unde potest conferri homini spirituale robur ad confitendum publice fidem Christi absque sacramento confirmationis ; sicut etiam potest consequi remissionem peccatorum sine baptismo . Sicut tamen nullus consequitur effectum baptismi sine baptismi voto ; ita nullus consequitur effectum confirmationis sine voto ipsius ; quod potest haberi etiam ante susceptionem baptismi .

Ad secundum dicendum , quod , sicut *Augustinus* dicit (epist. cclv. al. cviii. a med.) ex hoc quod Dominus dicit Joan. xiii. *Qui lotus est , non indiget nisi ut pedes lavet , intelligimus , Petrum , & alios Christi discipulos fuisse baptizatos sive baptismo Joannis (sicut nonnulli arbitrantur ,) sive (quod magis credibile est) baptismo Christi : neque enim venit ministerium baptizandi , (1) ut haberet & baptizatos servos , per quos ceteros baptizaret .*

Ad tertium dicendum , quod audientes prædicationem Petri acceperunt effectum confirmatio-

(1) Sive ut in Augustini textu ; Neque enim ministerio baptizandi defuit , sicut & mox , qui non defuit memorabili illius humilitatis ministerio quam

do eis pedes lavit , &c. Non sicut prius quedam Exemplaria mysterium .

mationis miraculose, non tamen confirmationis sacramentum. Dicitur est autem (art. 2. hu. quæst. ad 1. & art. 4. ad 1.) quod effectus confirmationis potest alicui conferri ante baptismum, non autem sacramentum confirmationis. Sicut enim effectus confirmationis, qui est robor spiritualis, præsupponit effectum baptismi, qui est iustificatio; ita sacramentum confirmationis præsupponit sacramentum baptismi.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, Conciliis, & Pontificiis decretis, quod character confirmationis de necessitate præsupponit characterem baptismalem. A scripturis quidem per hoc, quod narratur, Act. 19. Apostolum voluisse eos, quos apud Ephelum invenit, baptizari prius baptismo Christi, quam ipsis per impositionem manuum (cujus loco confirmatio est, art. 4.) daret Spiritum sanctum. Tali enim suo facto, baptismum ante confirmationem requiri, declaravit. A Conciliis autem per hoc, quod uno ore omnia de baptismum tractantia profitentur hanc veritatem, quod baptismus est omnium aliorum sacramentorum janua. Ac si apertius dicerent. Et ante cætera sacramenta primo baptismus suscipi debet, & sine illo suscepto neque licite, neque re vera potest quis unum aliorum sacramentorum suscipere. Quod, si sic, ergo nec ullum characterem sacramentalem sine prævio characterem baptismi. A Pontificiis vero decretis, extra de presbyter, non baptizat. ubi Innocentius II, Ferrariensis episcopo dicit: „Lator præsentium nobis exposuit; quod, cum ad gradum sacerdotij ascendisset, comperit tandem, quod non fuerit secundum formam Evangelii baptizatus. Unde nos eum rite fecimus baptizari. *Es infra.* Quia in Concilio apud Compendium legitur constitutum, quod, si quis in presbyterum ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur: Nos circa latorem præsentium mandamus, quatenus ipsum per singulos ordines usque ad sacerdotium promovere procuret, & permittas eum in sacerdotio ministrare. „ Hæc ibi in cap. *veniens.* A simili ergo, quod facile est, argue tu efficaciter ad propositum articuli hujus. Cæterum in prædicto Innocentii Pontificis decreto vigilanter annotare curato ly secundum formam Evangelii baptizatus, & ly *Summ. S. Tb. Tom. XII.*

eum rite fecimus baptizari. Ex his enim annotatis patet magis, sanctum Doctorem, qu. 65. a. 6. & vera determinasse dicendo, quod in nomine Christi non potest nunc quis baptizari; & ibidem ad *tertium*, conformiter ad Sedem Apostolicam intellexisse dictum illud *Nicolai primi.* Ratio horum duorum est: quia *Innocentius Tertius* illum latorem, qui secundum formam Evangelii, idest, in nomine Patris; & Filii, & Spiritus sancti, non fuerat baptizatus, constanter non esse baptizatum definiit: & eum rite baptizari dicit se fecisse, quando secundum formam Evangelii prædictam ejusdem jussu baptizatus est. Convertuntur ergo, secundum Innocentium, duo hæc, tum affirmatiæ, scil. baptizari secundum formam Evangelii, & baptizari rite; tum negativæ, scil. non baptizari secundum formam Evangelii, & non baptizari rite. Quod si addideris, Innocentium illum doctrinam insignem, ut legitur in vita sua ex Conciliis, fuisse a multis annis successorem *Nicolai*, & consequenter ipsius prædictum responsum ad consulta Bulgarorum considerasse (utpote qui etiam Concilii apud Compendium consideravit decretum, tantique æstimavit) facillime in sententiam hanc declinabis; quod *Innocentius* interpretatus est mentem *Nicolai*, sc. quod non nisi in speciali casu temporibus Apostolorum simili se locutum esse intelligi volebat ibi. Nec mirum. Nam Papa unus numquam in rebus fidei (licet forsitan quandoque in alijs) est contra alium, si recte ipsorum decreta percipiuntur: sed omnes unanimiter (hoc faciente spiritu veritatis, qui per diversitatem linguarum multarum gentes in unitatem fidei congregavit) dicunt id ipsum, *Secundo* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S VII. 420

Utrum per Sacramentum Confirmationis conferatur gratia gratum faciens.

IV. dist. VII. quæst. II. art. 2.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod per hoc sacramentum gratia gratum faciens non conferatur. Gratia enim gratum faciens ordinatur contra culpam. Sed hoc sacramentum, sicut dictum est (art. præc.) non exhibetur nisi baptizatis; qui sunt a culpa mundati. Ergo per hoc sacramentum gratia gratum faciens non confertur.

2. Præterea. Peccatores maxime indigent gratia

gratia gratum faciente, per quam solam justificari possunt. Si ergo per hoc sacramentum, gratia gratum faciens confertur, videtur quod deberet dari hominibus in peccato existentibus: quod tamen non est verum.

3. Præterea. Gratia gratum faciens specie non differt, (1) cum ad unum effectum ordinetur. Sed duæ formæ ejusdem speciei non possunt esse in eodem subjecto. Cum ergo gratia gratum faciens confertur homini per baptismum, videtur quod per sacramentum confirmationis, quod non exhibetur nisi baptizato, gratia gratum faciens non confertur.

Sed contra est quod Melchisedes Papa dicit (in epist. unica a mod. & hab. cap. 11. de consecrat. dist. 7. (2) *Spiritus sanctus in fonte baptismi plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam.*

Respondeo dicendum, quod in hoc sacramento, sicut dictum est (art. 4. hu. quæst.) datur baptizato Spiritus sanctus ad robur; sicut Apostolis datus est in die Pentecostes, ut legitur Act. 11. & sicut dabatur baptizatis per impositionem manus Apostolorum ut dicitur Act. VIII. Osum est autem in prima parte (quæst. XLIII. art. 3.) quod missio, seu datio Spiritus sancti non est nisi cum gratia gratum faciente. Unde manifestum est quod gratia gratum faciens confertur in hoc sacramento.

Ad primum ergo dicendum, quod gratia gratum faciens primus effectus est remissionis culpæ, Habet tamen & alios effectus: quia sufficit ad hoc quod promoveat hominem per omnes gradus usque in vitam æternam, secundum illud Rom. VI. 27. *Gratia Dei vita æterna.* Unde & Paulo dictum est II. Corinth. XIII. 9. *Sufficit tibi gratia mea: & ipse de se dicit I. Corinth. XV. 10. Gratia*

Dei sum id quod sum. Et ideo gratia gratum faciens non solum datur ad remissionem culpæ, sed etiam ad augmentum, & firmitatem justitiæ. Et sic confertur in hoc sacramento.

Ad secundum dicendum, quod, sicut ex ipso nonrime apparet, hoc sacramentum datur ad confirmandum quod prius invenerit: & ideo non debet dari his qui non habent gratiam. Et propter hoc sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per poenitentiam reparatis. Unde dicitur in Aurelianensi Concilio (hab. inter capit. Herardi Titon. can. lxxv. & cap. vi. de consecrat. dist. v.) *ut jejuni ad confirmationem veniant, ut moneantur confessionem facere prius, ut mundi donum Spiritus sancti valeant accipere.* Et tunc per hoc sacramentum perficitur poenitentia effectus, sicut & baptismi: quia per gratiam collatam in hoc sacramento consequitur poenitens plenior remissionem peccati: & si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento consequetur remissionem peccatorum.

Ad tertium dicendum, quod, sicut dictum est (quæst. LXII. art. 2.) gratia sacramentalis addit super gratiam gratum facientem communiter sumptam aliquid effectivum specialis effectus, ad quod ordinatur sacramentum. Si ergo consideretur gratia in hoc sacramento collata, quantum ad id quod est commune, sic per hoc sacramentum non confertur aliqua alia gratia quam per baptismum, sed quæ prius inerat, augetur. Si autem consideretur quantum ad illud speciale quod superadditur, sic non est ejusdem speciei cum ipsa,

AP.

(1) Id est, non sunt plures gratiæ gratum facientes quæ specifice ab invicem differant, sed numerice tantum sub una & eadem specie differentes.

(2) Ubi paulo plenius quam hic, (sicut & supra relatam est) *Spiritus sanctus qui super aquas baptismi salufero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit &c.* Sed & plenius adhuc in Melchisedes textu hæc & alia videre est tomo 1. Conciliorum parte I Sic etiam Cyrillus Hierosolymitanus catechesi mystagogica 3. *Non amplius est unguentum nudum postquam consecratum est, sed abrisma Christi quo symbolice frons & alij corporis sui sensus inunguntur: Et corpus quidem visibili unguento illo perungitur, anima vero sancto vivificoque Spiritu san-*

ctificatur, &c. Sic Augustinus lib. 2. contra literas Petilianus cap. 104. *Ad eos qui sunt foris in Ecclesia Christi & adhaerent ora vestimenti eius ut sine timore prædicent veritatem ab ipso Christo sanquam a capite sanctum descendit unguentum, id est sanctificatio spiritualis: Quod ad sacramentum chrismatis pertinere paulo post inhnuit: Sic expressius Theodoretus in Cant. cap. 1. *Spiritualis unguenti chrismate inuncti sub ea visibili unguenti specie invisibilem sanctissimi Spiritus gratiam suscipiunt: Sic in Decreto Eugenii 4. post Concilium Florentinum: Effectus hujus Sacramenti est quod in eo datur Spiritus sanctus ad robur, &c.**

EX art. habes primo : quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri* dicentis. Confirmationem non conferre gratiam . *Secundo* habes : quomodo per rationem ostendas , illam merito damnari a Conciliis *Flor.* & *Trid.* quatenus de confirmatione loquuntur , secundum quod recitantur supra *qu. 62. ar. 2. 3. appen.* Item specialiter a Concilio *Flor.* de sola confirmatione sic dicente : „ Ef-
 „ fectus hujus sacramenti est : quia in eo
 „ datur Spiritus sanctus ad robur (sicut da-
 „ tus est Apostolis in die Pentecostes) ut
 „ Christianus audacter Christi confiteatur no-
 „ men . *Hæc illud in const. super unio. Armen.*
 „ Charitas autem Dei diffunditur in cordi-
 „ bus nostris per Spiritum sanctum , qui da-
 „ tus est nobis , „ *Rom. 5.* hoc est , cum
 „ Spiritu sancto datur simul gratia gratum fa-
 „ ciens Deo . Item a Papa *Melchiade* : ut est
 „ in *arg. cont.* Item a Papa *Urbano* : *Omnes*
fideles per manuum impositiones Episcoporum
Spiritum sanctum post baptismum accipere de-
bent : ut pleni Christiani inveniantur . Hæc
 „ ille : & recitantur in *Decr. distin. 5.* Ubi
 „ per impositionem manuum intelligitur *Con-*
firmatio : quoniam loco ejus datur , *ar. 4.*
ad 1. ex Conc. Flor. Item a *Rabano* :
 „ Signatur baptizatus per Pontificem
 „ in fronte : ut Spiritus sancti septiformi
 „ gratia cum omni plenitudine sanctitatis ,
 „ & scientiæ , & virtutis venire in homi-
 „ nem declaretur . „ *Hæc ille : & recitantur*
 „ in *Decr. dist. 5. c. Novissime . Tertio* vides :
 quomodo &c.

Utrum hoc Sacramentum sit omnibus exhibendum.

III. dist. VII. quest. III. art. 2. quest. 2. & 3. & dist. XXV. quest. II. art. 1. quest. 2. corp.

AD octavum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum non sit omnibus exhibendum. Hoc enim sacramentum ad quamdam excellentiam datur, ut dictum est (art. 1. & 4. hu. quest.) Sed id quod ad excellentiam pertinet, non competit omnibus. Ergo hoc sacramentum non debet omnibus dari.

2. Præterea. Per hoc sacramentum augetur aliquis spiritualiter in perfectam ætatem (1). Sed perfecta ætas repugnat ætati puerili. Ergo ad minus pueris dari non debet.

3. Præterea. Sicut *Melchiades* Papa dicit (epist. unica a med. & hab. cap. 11. de consecrat. dist. v.) post baptismum confirmamur ad pugnam. Sed pugnare non competit mulieribus propter fragilitatem sexus. Ergo nec mulieribus hoc sacramentum dari debet.

4. Præterea. *Melchiades* Papa dicit (loc. cit.) quod quamvis continuo transivis sufficientiam regenerationis beneficia ; victuris tamen confirmationis auxilia necessaria sunt : quia confirmatio armat , & instruit ad agones mundi hujus , & prælia reservandos ; (2) qui autem post baptismum cum acquisita innocentia immaculatus pervenerit ad mortem , confirmatur morte , quia jam non potest peccare post mortem . Ergo statim morituris non debet hoc sacramentum conferri : & sic non debet omnibus dari.

Sed contra est quod dicitur *Act. 11. 2.* quod Spiritus sanctus adveniens replevit totam domum , per quam significatur Ecclesia : & postea subditur , quod repleti sunt omnes Spi-
 O 2

(1) Per comparationem ad Baptismum in quo spiritualis ætas inchoatur : Alioqui perfecta ætas absolute ac simpliciter ad gloriam & statum resurrectionis vel beatitudinis pertinet , ut notatur ad 4. infra.

(2) Vel planiori constructione , armat & instruit eos qui ad agones hujusmodi & ad prælia reservantur : Quippe quia in hoc mundo tota ætas victuris , inest invisibiles hostes & pericula gradiendum est , ut præmittitur ibi , & inde in Decretis refertur ubi supra . Quod autem Ecclesia per domum illam signi-

ficetur quam replevit Spiritus sanctus cum descendit in Apostolos , indicat *Gregor. homil. 30. in Evangelia* , cum ait miraculo linguarum ignearum in quibus apparuit Spiritus sanctus , designari quod Ecclesia eodem Spiritu repleta , omnium gentium erat voce loquutura ; idest in omnes gentes diffundenda : Præterquam totam domum de omnibus animarum potentis *Bernardus* intelligit sermone 1. de Pentecoste prope finem .

ritu sancto. Sed ad illam plenitudinem consequendam hoc sacramentum datur. Ergo est omnibus, qui sunt in Ecclesia, exhibendum.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (art. 1. hu. quæst.) per hoc sacramentum promovetur homo spiritualiter in ætatem perfectam.

Hoc autem est de intentione naturæ ut omnino qui corporaliter nascitur, ad perfectam ætatem perveniat; sed hoc quandoque impeditur propter corruptibilitatem corporis, quod morte prævenitur. Multo autem magis de intentione Dei est omnia ad perfectionem perducere, ex cujus imitatione hoc natura participat. Unde & Deut. xxxiii. 4. dicitur: *Dei perfecta sunt opera*.

Anima autem, ad quam pertinet & spiritualis nativitas, & spiritualis ætatis perfectio, immortalis est; & potest sicut tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi, ita tempore juventutis vel pueritiæ consequi perfectam ætatem quia huiusmodi corporales ætates animæ non præjudicant. Et ideo hoc sacramentum debet omnibus exhiberi (1).

Ad primum ergo dicendum, quod hoc sacramentum datur ad quamdam excellentiam, non quidem unius hominis ad alium, sicut sacramentum ordinis, sed hominis ad seipsum; sicut idem perfectus vir existens habet excellentiam ad se puerum.

Ad secundum dicendum, quod, sicut dictum est (in corp. art.) ætas corporalis non præjudicat animæ; unde etiam in puerili ætate potest consequi perfectionem spiritualis ætatis, de qua dicitur Sap. iv. 8. *Senectus venerabilis est non diuturna, neque numero annorum computata*: & inde est quod multi in puerili ætate propter robur Spiritus sancti perceptum, usque ad sanguinem fortiter certaverunt pro Christo.

Ad tertium dicendum, quod, sicut Chrysostomus dicit in homil. de Machabæis (inter princ. & med.) *in mundanis agonibus*

ætatis, ac formæ, generisque dignitas requiritur; & ideo servis, ac mulieribus, & senibus, ac pueris ad eos aditus denegatur. In celestibus autem omni personæ, & ætati, ac sexui indiscreta facultas stadium patet. Et in hom. de militia spirituali (verf. fi.) dicit: Apud Deum femineus etiam militat sexus. Multa namque femine animo virili spirituales milisiam gesserunt: quædam enim interioris hominis virtute equaverunt in agonibus Martyrum; quædam etiam fortiores viris extiterunt (2). Et ideo etiam mulieribus hoc sacramentum conferendum est.

Ad quartum dicendum, quod, sicut dictum est (in corp.) anima, ad quam pertinet spiritualis ætas, immortalis est. Et ideo etiam morituris hoc sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant, secundum illud Ephes. iv. 13. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Et ideo Hugo de S. Viçt. dicit (Lib. II. de sacram. p. vii. cap. iii.) *Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare cõsingeret*: non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum; (3) sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Unde etiam pueri confirmati decedentes maiorem gloriam consequuntur, sicut & hic maiorem obtinent gratiam. Auctoritas autem illa intelligitur quantum ad hoc quod morituris non est necessarium hoc sacramentum propter periculum pugnæ præsentis.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse infirmarum a scripturis, & Papa, quod omnibus exhibenda est Confirmatio. A scripturis quidem, ut per hoc, quod dicitur Act. 2. secundum quod ponitur cum expositione *in arg. cont.* ubi fit vis in *ly totam*, & *ly omnes*. Ubi quoque nota, quod allegorica expositio, 1. qu. 1. a. 10.

(1) Non mediæ necessitate vel præcepti, quasi non possit sine illo acquiri salus, modo contemptus abest, sicut additur infra; sed ad melius esse saltem & ex debito congruenti: Sic intelligi debet Urbanus 1. dicens omnes fideles per manuum Episcoporum impositionem Spiritum sanctum accipere debere ut pleni Christiani inveniantur: Sic Cyprianus necesse estungi eam qui sit baptizatus, ut accepto chrismate habere in se Christi gratiam possit; Sic S. Clemens epist. 4. non aliter perfectum Christianum fieri posse, si non necessitate sed incuria sine chrismate reman-

seris.

(2) Quippe quæ quibusdam virorum ex ignavia muliebri degenerantibus infirmum sexum virili menti vicerunt, ac se in testimonio virtutis victrices pænarum, viris labentibus confiterunt; non ut inepte legunt corruptores, victrices pænarum vires labentibus construerunt.

(3) Sic enim Hugo ibi: *Timendum iis qui per negligentiam non suscipiunt manus impositionem, quæ forte propterea demerentur, &c.*

10. qua ibi D. Th. utitur ad mores informandos, atque fidem, valet secundum Apostolum Gal. 4. adducentem, duos filios Abrahæ per allegoriam significasse duo testamenta, & ex tali allegoria multa elicientem. Ad Apostoli igitur imitationem sumito ea, quæ hic allegorice in textu dicuntur, concludere intentum art. A Papa autem Urbano: ut per hoc, quod dicit *ly omnes fideles*. Vide *ar. 7. app.* Item a Melchiade Papa per hoc, quod de baptismo, & Confirmatione loquens ait. *Ita conjuncta sunt hæc duo sacramenta, ut abinvicem, nisi morte præveniente, nullatenus possint segregari*. Hæc ille quæ recitantur in *Decret. de consecr. d. 5. c. De his vero*. Ex quibus patet, quod omnes, cum possint, universi etiam parvuli, q. 68. *art. 1. o.* & debeant baptizari (ut etiam ex Conciliis patet ibi in *Elucid.*) possunt, & debent confirmari, nec ulli, nisi morte præveniente, impediuntur in hoc. *Secundo* vides: quomodo, &c.

ARTICULUS IX. 422

Utrum hoc Sacramentum sit conferendum homini in fronte.

Inf. art. 11. ad 3. & IV. dist. VII. quæst. III. art. 3. quæst. 2. & IV. cont. cap. IX. & quol. XI. art. 7. cor. & Rom. 1. lect. 5. fin. & cap. x. lect. 2.

AD nonum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum non sit conferendum homini in fronte. Hoc enim sacramentum est perfectivum baptismi, ut supra dictum est (quæst. lxx. art. 4.) Sed sacramentum baptismi confertur homini in toto corpore. Ergo hoc sacramentum non debet conferri

solum in fronte.

2. Præterea. Hoc sacramentum datur ad robur spirituale, ut supra dictum est (art. 1. hu. quæst.) Sed spirituale robur maxime consistit in corde. Ergo hoc sacramentum magis debet conferri supra cor quam in fronte.

3. Præterea. Hoc sacramentum datur homini ad hoc quod libere (1) fidem Christi confiteatur. *Sed ore fit confessio ad salutem*, ut dicitur Rom. x. 10. Ergo hoc sacramentum magis debet conferri circa os quam in fronte.

Sed contra est quod Rabanus dicit in Lib. I. de institutione clericorum (cap. xxx. in princ.) *Signatur baptizatus chrismate in summitate capitis per sacerdotem, per Pontificem vero in fronte.*

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. 1. hu. quæst.) in hoc sacramento homo accipit Spiritum sanctum ad robur spiritualis pugnæ, ut fortiter etiam inter adversarios fidei Christi fidem confiteatur. Unde convenienter signatur chrismate signo crucis in fronte propter duo.

Primo quidem quia insignitur signo crucis, sicut miles signo ducis; quod quidem debet esse evidens, & manifestum. Inter omnia autem loca corporis humani maxime frons manifesta est, quæ quasi numquam obtegatur: & ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, ut in manifesto demonstrat se esse christianum; sicut & Apostoli post acceptum Spiritum sanctum se manifestaverunt, qui prius in cœnaculo latebant. Secundo quia aliquis impeditur a libera confessione nominis Christi propter duo, scilicet propter timorem, & propter verecundiam. Utriusque autem horum signum maxime manifestatur in fronte, propter duo, scilicet propter propinquitatem imagina-

(1) Idest confidenter, audafter, intrepide, vel ea libertate quam *παρρησία* Græci vocant.

(2) Ex quo refertur in Decretis dist. 5. de consecrat. cap. *Novissime* plenius quam hic subiungendo nimirum ea quæ art. 11. ad 3. per aliam occasionem adjunguntur. Hinc per *unctionem in fronte* Sacramentum Confirmationis intelligit Innocentius I. epist. 1. ut & Damas. epist. 4. Hinc & apud Leonem epist. 38. (vel in aliis Exemplaribus 86.) *chrismate frontem signare pro confirmare* usurpatur; & apud Gregorium *sanguem frontem chrismate*: ut ex professo infra referetur. Huc etiam referri potest quod Augustinus in illa verba *uxta iser scandalum posuerunt mihi Psal. 141. dicit: Usque adeo de cruce non erubescio ut non in occulto habeam crucem Christi, sed in fronte portem: Multa sacramenta aliter atque aliter*

accipimus: Quædam, sicut nostis, ore accipimus (puta Eucharistiam) *Quædam per totum corpus accipimus* (puta baptismum) *Quia vero in fronte erubescitur, ipsam ignominiam quodammodo quam pagani dividunt, in loco pudoris nostri constituit: Audis hominem insultare impudenti & dicere Frontem non habet: Quid est, frontem non habet; Impudens est: Non habeam nudam frontem: Tegat eam crux Domini mei: Quod enim ad Confirmationem pertineat, ubi dicitur *Signo te signo crucis*, adjuncta ipsa insinuant: Quamvis ex Concilio Constantinopolitano 1. & ex 3. Catechesi mystagoga Cyrilli Hierosolymitani (ut jam supra) inferri possit non solum frontem apud Græcos inunctam esse, sed os, aures, & narres, &c. principalius tamen frontem.*

ginationis, & propter hoc quod spiritus a corde directe ad frontem ascendat: unde *vetere mundati erubescunt, sistentes autem pallidescunt*, ut dicitur in IV. Eth. (cap. ult. cir. princ.) Et ideo in fronte signatur chrismate, ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri præmittat.

Ad primum ergo dicendum, quod per baptismum regeneramur ad vitam spirituales, quæ ad totam hominem pertinet; sed in confirmatione roboramur ad pugnam, cujus signum ferendum est in fronte, quasi in evidenti loco.

Ad secundum dicendum, quod principium fortitudinis est in corde, sed signum apparet in fronte: unde dicitur Ezechiel. III. 8. *Ece dedi . . . frontem tuam duriorum frontibus eorum*. Et ideo sacramentum Eucharistiæ, quo homo in seipso confirmatur, pertinet ad cor, secundum illud Psal. CIII. 15. *Panis cor hominis confirmet*; sed sacramentum confirmationis requiritur in signum fortitudinis ad alios: & ideo exhibetur in fronte.

Ad tertium dicendum, quod hoc sacramentum datur ad libere confitendum, non autem ad confitendum simpliciter, quia hoc fit etiam in baptismo: & ideo non debet dari in ore, sed in fronte, ubi apparent signa passionum, quibus libera confessio impeditur.

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, Papa, Rabano, & Concilio, quod confirmatio debet conferri in fronte. A Rabano quidem: ut in *arg. contr.* A Papa autem Greg. ut in *ar. II. arg. 1.* Nam in illa ejus auctoritate dicitur *ly in frontibus chrismate tangere*. A scripturis vero per hoc, quod dicitur Apocal. 7. *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus: quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum*. Hac enim locutione, scilicet signare in frontibus, denotat; quod servis ipsis dabitur fortitudo spiritualis ad viriliter pugnandum contra eos, qui querunt, seu desiderant nocere hominibus. A Concilio quoque *Flor.* quod, postquam dixit, quod in sacramento confirmationis datur Spiritus sanctus ad robor, ut Christianus audacter Christi confiteatur no-

men, subdit immediate. „ Ideoque in fronte, ubi verecundie sedes est, confirmandus inungitur; ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue crucem ejus: quæ Judæis est scandalum, gentibus autem stultitia: propter quod signo crucis signatur. „ Hæc ibi. Ex quibus tum Concilii verbis, tum articulo præsentis patet, quam sit insana, & detestanda hæresis *Raymundi Lulli*, ut refert Directorium inquisit. 2. p. 9. 9. dicentis: quod per confirmationis sacramentum tollitur peccatum originale. Non enim effectus confirmationis confundendus est cum effectus baptismi: cujus est hoc munus proprium, scilicet tollere originale, ut millies visum est. Vide supra *ar. num. 59. 67. 71. 72.* De istius *Raymundi* condemnatione patet legenti *art. 8. ad quartum, Eluc. Secundo* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S. X. 423

Utrum ille qui confirmatur, debeat teneri ab alio.

IV. dist. VII. quest. III. art. 3. quest. I.

AD decimum sic proceditur. Videtur quod ille qui confirmatur, non debeat ab alio teneri ad confirmationem. Hoc enim sacramentum non solum pueris, sed etiam adultis exhibetur. Adulti autem per seipso stare possunt. Ergo ridiculum est quod ab alio teneantur.

2. Præterea. Ille qui jam est de Ecclesia liberum habet accessum ad Ecclesiæ principem, qui est Episcopus. Sed hoc sacramentum, sicut dictum est (art. 6. hu. quest.) non exhibetur nisi baptizato, qui jam est membrum Ecclesiæ. Videtur ergo quod non debeat per alium exhiberi Episcopo ad hoc sacramentum recipiendum.

3. Præterea. Hoc sacramentum datur ad robor spirituale: quod magis viget in viris quam in mulieribus. secundum illud Proverb. ult. 1. *Mulierem fortem quis inveniet?* Ergo ad minus mulier non debet tenere virum ad confirmationem.

Sed contra est quod Innocentius Papa dicit, & habetur in Decret. xxx. (1) quest. IV. (cap. III.) *Si quis ex conjugio filium, aut filiam alterius de sacro fonte suscepit, aut*

(1) Supple causa, cap. *Si quis* ex epistola Exuperio Tolosano inscripta, ubi declarat ac decernit

quod vir & uxor eo casu comparat existens parentibus infans, quis vir & mulier caro una facti sunt.

ad obritma tenuerit &c. Ergo sicut requiritur quod aliquis baptizatum de sacro fonte levet, ita debet aliquis ab alio teneri ad sacramentum confirmationis accipiendum.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (art. præc.) hoc sacramentum exhibetur homini ad robur pugnae spiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructore in his quae pertinent ad conservationem (1) vitae, secundum illud Hebr. XII. 9. *Patres quidem carnis nostrae habuimus eruditores, & reuerabamur eos*; ita illi qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, a quibus instruantur de his quae pertinent ad modum certaminis. Et ideo in bellis materialibus constituuntur duces, & centuriones, per quos alii gubernentur.

Et propter hoc etiam ille qui accipit hoc sacramentum, ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus. Similiter etiam quia per hoc sacramentum confertur homini perfectio spiritualis ætatis, sicut dictum est (art. 2. & 5. hu. quæst.) ideo ille qui ad hoc sacramentum accedit, sustentatur, quasi adhuc spiritualiter imbecillis, & puer. (2)

Ad primum ergo dicendum, quod licet ille qui confirmatur, sit adultus corporaliter, nondum tamen est adultus spiritualiter.

Ad secundum dicendum, quod licet baptizatus sit effectus membrum Ecclesiae, nondum tamen est adscriptus militiae christianae: & ideo Episcopo, tamquam duci exercitus, per alium exhibetur jam militiae christianae adscriptum: non enim debet alium ad confirmationem tenere qui nondum est confirmatus. (3)

Ad tertium dicendum, quod, sicut dicitur Coloss. III. II. *in Christo Jesu non est masculus, & femina*: & ideo non differt, utrum masculus, vel femina teneat aliquem in confirmatione.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuarum a summis Pontificibus, & Conciliis: quod ille

qui confirmatur, debeat teneri ab alio ad confirmationem. A summis quidem Pontificibus: ut ab Higinio. „ In catechismo, & „ baptismo, & confirmatione unus patrinus „ fieri potest: non est tamen consuetudo Ro- „ mana, sed per singulos singuli suscipiant. „ Hæc ille: & recitantur *de consecr. di. 4.* Item a „ *Leone.* „ Non plures ad suscipiendum de ba- „ ptismo accedant, quam unus; sive vir, „ sive mulier; in confirmatione quoque idi- „ psum faciat. „ Hæc ille: & recitantur ibi- „ dem. A Conciliis autem; ut a *Maguntiens.* „ In baptisate, vel in chrismate non po- „ test alium suscipere in filiolum ipse, qui „ non est baptizatus, vel confirmatus. „ Hæc illud: & recitantur ibi. Item a Con- „ cilio *Trid.* sess. 24. Decr. de reform. matr. cap. 2. „ Cognatio, quæ ex confirmatione „ contrahitur, confirmationem, & confirma- „ tum, illiusque patrem, & matrem, ac te- „ nentem, non egrediatur. „ Hæc ibi. Nam per *ly tenentem* habetur intentum. *Secundo* vides: quomodo &c,

ARTICULUS XI. 424

Utrum solus Episcopus hoc Sacramentum conferre possit.

IV. dist. VII. quæst. 1. art. 1. quæst. 3. & dist. XIII. quæst. 1. art. 1. quæst. 1. & dist. XXV. quæst. 1. art. 1. cor. & IV. cons. cap. IX. & quol. X. art. 7.

AD undecimum sic proceditur. Videtur quod non solus Episcopus hoc sacramentum conferre possit. Gregorius enim scribens Januario Episcopo (in Regist. Lib. III. epist. xxvi. in fi.) dicit: *Peruenit ad nos; quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere eos qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum veterem usum nostræ Ecclesie fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in fronsibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.* Sed illud quod pertinet ad necessitatem sacramentorum, non est propter vitandum scandalum immutandum.

(1) Vel potius: *ad conversationem*, Sicut ex manuscripto legi debet; non ut gothica & impressa tam nova quam vetera corrupte habent, *ad conseruationem*: Quid enim est ut nos doceant instructores quibus mediis vita debeat conservari, non quibus modis debeamus in vita conseruari?

(2) Veterem porro ceremoniam esse manifestum est ex capite *In Catechismo* quod est Iginii Papæ dist. 4. de consecrat ubi unus patrinus in Confirmatione fieri posse decernitur si necessitas cogit.

(3) Ut cap *In baptisate* ubi supra refertur ex Concilio *Maguntise*.

dum. (1) Ergo videtur quod non sit de necessitate hujus sacramenti quod ab Episcopo conferatur.

2. Præterea. Sacramentum baptismi videtur majoris efficaciz quam sacramentum confirmationis: quia per baptismum fit plena remissio peccatorum & quantum ad culpam, & quantum ad poenam, quod non fit in hoc sacramento. Sed simplex sacerdos ex suo officio potest tradere sacramentum baptismi, & in necessitate quilibet etiam non ordinatus potest baptizare. Ergo non est de necessitate hujus sacramenti quod ab Episcopo conferatur.

3. Præterea. Summitas capitis, ubi secundum medicos est locus rationis, scilicet particularis, (2) quæ dicitur virtus cogitativa, est nobilior fronte, ubi est locus imaginativæ virtutis. Sed simplex sacerdos potest baptizatos ungere chrismate in vertice. Ergo multo magis potest eos chrismate signare in fronte; quod pertinet ad hoc sacramentum.

Sed contra est quod Eusebius Papa dicit (3) *Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest nisi a summis Sacerdotibus; nec tempore Apostolorum ab aliis quam ab ipsis Apostolis, legitur, aut scitur peractum esse; nec ab aliis quam qui eorum locum tenent, unquam*

perfici potest, aut fieri debet: nam si aliter presumpsum fuerit, irritum habeatur, & vacuum; nec inter ecclesiastica unquam reputabuntur sacramenta. Est igitur de necessitate hujus sacramenti, quod dicitur sacramentum manus impositionis, quod ab Episcopo tradatur.

Respondeo dicendum, quod in quolibet opere ultima consummatio supremæ arti, sicut virtuti reservatur; sicut præparatio materiæ pertinet ad inferiores artifices, superior autem dat formam. Supremus autem est ad quem pertinet usus, qui est finis artificiatorum: unde epistola, quæ a notario scribitur, (*) a domino signatur.

Fideles autem Christi sunt quoddam divinum opus, secundum illud I. Corinth. 111. 9. *Dei edificatio estis.* Sunt etiam quasi quædam epistola spiritu Dei scripta, sicut dicitur II. Corinth. 111. 3. Hoc autem confirmationis sacramentum est quasi ultima consummatio sacramenti baptismi; ita scilicet quod per baptismum ædificatur homo in domum spirituales, & conscribitur quasi quædam spiritualis epistola, sed per sacramentum confirmationis, quasi domus ædificata, dedicatur in templum Spiritus sancti, & quasi epistola conscripta signatur signo crucis. Et ideo collatio hujus sacramenti Episcopis reservatur, qui

(1) Vel transposita constructione, non est immutandum propter scandalum: Quippecum nec spiritualia bona propter scandalum ullo modo dimittenda sint, si de necessitate sunt salutis; ut ostensum est in 2. 2. quæst. 44. art. 7.

(2) Non quod etiam locus rationis intellectivæ ibi non sit aliquo modo, sed quia hæc ratio intellectiva non proprie in loco dici potest.

(3) Refertur in Decretis dist. 5. de consecrat. cap. Manus ex epist. 3. ejus ad Episcopos Thusciz & Campaniz quæ integra tomo 1. Conciliorum recensetur. Accedit quoque Innocentius 1. dicens ubi supra quod Presbyteris chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare; quod solis debetur Episcopis cum tradunt Spiritum sanctum Poracletum: Et Melchisedes in Decretis dist. 4. de consecrat. cap. De his dicens quod sicus Sacramentum Confirmationis vel manus impositionis Episcoporum a majoribus fit quam Baptismus (id est a summis Pontificibus) quod a minoribus fieri non potest, ita & majori veneratione venerandum est: Et Damasus in epist. 4. solis Pontificibus debere dicens ut chrismate conficiant, aut ut chrismate baptizatorum frontem signent: Et S. Leo ubi sup. (sc. epist. 86. vel 88.) dicens illicitum esse Chorepiscopis vel Presbyteris, quia quamvis habeant consecrationem pontificatus tamen apicem non habent: solis autem

deberi summis Pontificibus (quos Episcopus intelligit) ut per hoc & discretio graduum & dignitatis fastigium summi Pontificis, vel Episcopi, demonstraretur. Idem etiam colligitur ex Gregorio ubi supra: Planum enim est ad confirmatoriam unctionem verba illius pertinere, quam Episcopi proprio jure, sed Presbyteri ex dispensatione administrare possunt: Primo quia per unctionem frontis non alia quam confirmatoria subintelligi solet: Secundo, quia permittit eo loco quod epist. 9. lib. 3. prohibuerat; prohibuerat autem ibi ne Presbyteri baptizatos signare sacro in frontibus chrismate presumerent; sed eos in pectore ungerent, ut Episcopi postmodum ungere deberent in fronte; quod baptismali unctioni convenire non potest, cum etiam ad Presbyteros jure ordinarius pertineat; nec baptizandos legi debet, sicut aliqui legunt, sed baptizatos, ut cap. Perennis dist. 95. in Decretis refertur, licet alias baptizandos ex originali corrupto notetur ad marginem. Quarto, quia Decretum Eugenij post Concilium Florentinum supponit illud aliquando concessum esse propter causam necessariam & urgentem: Quinto, quia non ob aliud in Concilio Tridentino sess. 7. can. 3. de Confirmatione minister ejus ordinarius dici videtur Episcopus nisi quia & extraordinarius esse alius potest: septimo, quia sic illam definitionem Cardinales consulti explicarunt ut in illius appendice habetur.

(*) Ita cum miss. Nicolaus. Ab. a domino Papa.

qui obtinent summam potestatem in Ecclesia; sicut & in primitiva Ecclesia per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt Episcopi, plenitudo Spiritus sancti dabatur, ut habetur Act. viii. Unde Urbanus I. Papa dicit (in epist. ad omnes fidel. cir. fi. & hab. cap. i. de consecrat. dist. v.) *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniuntur.*

Ad primum ergo dicendum, quod Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam quæ sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus; sicut quibusdam presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem episcopalem. Et ex hac plenitudine potestatis concessit B. Gregorius Papa, quod simplices sacerdotes hoc sacramentum conferrent, quamdiu scandalum tolleretur.

Ad secundum dicendum, quod sacramentum baptismi est efficacius quam hoc sacramentum, quantum ad remotionem mali, eo quod est spiritualis generatio, quæ est mutatio de non esse in esse. Hoc autem sacramentum est efficacius ad proficiendum in bono, quia est quoddam spirituale augmentum de esse imperfecto ad esse perfectum. Et ideo hoc sacramentum digniori ministro committitur.

Ad tertium dicendum, quod, sicut Rabanus dicit in Lib. I. de institutione clericorum (cap. xxx.) *signatur baptizatus chrismate in summate capitis per sacerdotem, per Pontificem vero in fronte; ut in priori unctione super ipsum significetur Spiritus sancti descensio ad habitationem Dei consecrandam; in secunda quoque, ut ejusdem Spiritus sancti septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis, & scientiæ, & virtutis, venire in hominem declaretur.* Non ergo propter digniorem partem, sed propter potiorem effectum, hæc unctio Episcopis reservatur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem destruas errores Joannis Uvicleff. (ut refertur in concilio Constantiensi sess. 8.) dicentis: confirmationem juvenum reservari Papæ, & Episcopis, propter cupiditatem lucri temporalis. Qui error alium de se parturit errorem (ut patet discurrenti) scil. quod confirmatio potest conferri a quolibet sacerdote: si enim reservatur, non de jure (secundum illum Jo.) Episcopis: constat, quod *Summ. S. Tb. Tom. XXII.*

secundum eundem, conferri de jure poterit a quolibet sacerdote. *Secundo* habes, quomodo per rationem ostendas, illos damnari a conc. eod. ibi. Quam damnationem vide, *Addit. q. 1. ar. 1. appen. & qu. 25. art. 4. app.* Item a Conc. *Trid. sess. 7.* de confirmatione can. 3. „ si quis dixerit: sanctæ confirmationis ordinarius ministrum non esse „ solum Episcopum, sed quemvis simplicem „ sacerdotem; anathema sit. *Hæc ibi: & sess. 23. can. 7.* si quis dixerit: Episcopos „ non habere potestatem confirmandi, & or- „ dinandi, vel eam, quam habent, illis esse „ cum presbyteris communem, anathema sit. *Hæc ibi. Item a Conc. Flor.* Confirmationis „ ordinarius minister est Episcopus, & cum „ cæteras unctiones simplex sacerdos valeat „ exhibere, hanc non nisi Episcopus debet „ conferre, quia de solis Apostolis (quo- „ rum vicem tenent Episcopi) legitur, quod „ per manus impositionem Spiritum sanctum „ dabant. Loco autem illius manus imposi- „ tionis datur in Ecclesia confirmatio. *Le-* „ „ gitur tamen aliquando per Apostolicæ se- „ „ dis dispensationem, ex rationabili, & ur- „ „ gente admodum causa, simplicem sacerdo- „ „ tem chrismate per Episcopum confecto ad- „ „ ministrasse confirmationis sacramentum. „ Hæc illud in decr. seu constitut. super union. „ Arm. Vide *art. 4. ad 1. in Elucid.* Item a „ Papa *Eusebio*, ut ponitur in *argu. corr.* Item a „ conc. *Carthag. 2.* Quod confirmatum fuit „ in *6. Synodo generali in Trullo celebrata, cap. 3.* Ut chrisma, & reconciliatio publica pœ- „ nitentium a presbyteris non fiant. Vide in „ decr. *25. q. 6. c. Si jubet sanctitas.* Tertio „ vides quomodo &c.

ARTICULUS XII. 425

*Utrum ritus hujus Sacramenti sit
conveniens.*

*IV. dist. vii. quest. 111. art. 3. quest. 2. ad
3. & in exposit. lit.*

AD duodecimum sic proceditur. Videtur quod ritus hujus sacramenti non sit conveniens, Sacramentum enim baptismi est majoris necessitatis quam hoc sacramentum, ut supra dictum est (quæst. lxxv. art. 4.) Sed baptismus deputantur certa tempora, scilicet Pascha, & Pentecoste. Ergo etiam huic sacramento aliquod certum tempus debet præfigi.

2. Præterea, Sicut hoc sacramentum requi-
p rit

rit devotionem & dantis, & recipientis; ita etiam & sacramentum baptismi. Sed in sacramento baptismi non requiritur quod a jejuni fumatur, vel conferatur. Ergo videtur inconvenienter statutum in Concilio Aurelianensi (ut cit art. 7. hu. quæst. ad 2.) *ut jejuni ad confirmationem veniant*: & in Concilio Meldensi (ut hab. cap. VII. de consecr. dist. v.) *ut Episcopi nonnisi jejuni per impositionem manuum Spiritum sanctum tradant*.

3. Præterea. Chrisma est quoddam signum plenitudinis Spiritus sancti, ut supra dictum est (art. 2. hu. quæst.) Sed plenitudo Spiritus sancti data est fidelibus Christi in die Pentecostes, ut habetur Act. 11. Magis ergo debet chrisma confici, & benedici in festo Pentecostes quam in cœna Domini.

Sed contra est usus Ecclesiæ, quæ a Spiritu sancto gubernatur.

Respondendo dicendum, quod Dominus Matth. xviii. 20. fidelibus suis promisit, dicens: *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Et ideo firmiter tenendum est quod ordinationes Ecclesiæ dirigantur secundum sapientiam Christi. Et propter hoc certum esse debet, ritus quos Ecclesia observat in hoc, & in aliis sacramentis, esse convenientes.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Melchisedech Papa dicit (in sua epist. ante med. & hab. cap. *De his*, de consecr. dist. v.) *ita conjuncta sunt hæc duo sacramenta, scilicet baptismi, & confirmationis, ut ab invicem, nisi morte præveniente, nullatenus possint segregari, & unum sine altero vice perfici non possit*. Et ideo eadem tempora sunt præfixa baptismi solemniter celebrando, & huic sacramento. Sed quia hoc sacramentum a solis Episcopis datur, qui non sunt semper præsentibus, ubi presbyteri baptizant, oportuit, quantum ad communem usum, sacramentum confirmationis etiam in alia tempora differri.

Ad secundum dicendum, quod ab illa prohibitione excipiuntur infirmi, & morte periclitantes, sicut in statuto Meldensis Conci-

lii legitur. Et ideo propter multitudinem fidelium, & propter pericula imminencia sustinetur ut hoc sacramentum, quod nonnisi ab Episcopis dari potest, etiam a non jejunis detur, vel accipiat: quia unus Episcopus, præcipue in magna diocesi, non sufficeret ad tot homines confirmandos, si eis tempus arctaretur. Ubi tamen congrue observari potest, convenientius est ut a jejunis detur, & accipiat.

Ad tertium dicendum, quod sicut ex Concilio Martini Papæ (hab. inter cap. Martini Episcop. Bracarenensis cap. 11. & cap. cxxix. de consecr. dist. 1v.) habetur, omni tempore licebat chrisma conficere, sed quia solemnis baptismus, ad quem requiritur usus chrismatum, in vigilia Paschæ celebratur, congrue ordinatum est ut per biduum ante ab Episcopo chrisma benedicatur, (1) ut possit per diocesium destinari. Dies etiam ille satis congruit ad materias sacramentorum benedicendas, in quo fuit Eucharistiæ sacramentum institutum, ad quod omnia alia sacramenta quodammodo ordinantur, sicut supra dictum est (quæst. lxxv. art. 3.)

A P E N D I X .

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, & concilio, quod ritus ecclesiæ in confirmationis sacramento observatus est conveniens. A scripturis quidem per hoc quod dicitur Eccl. 26. *Columnæ*, &c. ut sup. art. 4. app. usque ad *ly se remittat*. Vide, & applica ad hoc particulare intentum. Item a 1. *Timoth. 3.* & a *Joan. 14.* & a *Prov. 8.* secundum quod omnia hæc explicantur supra q. 66. art. 10. app. A Concilio autem *Trid. sess. 7.* de sacramentis can. 13. *Si quis dixerit: receptos*, &c. ut in q. 66. art. 10. app. Quam appendicem valde notabis pro mille locis de convenientia rerum Ecclesiasticarum, ut sic, tractantibus: applicando postea ibi dicta ad singula pro varietate subjectarum in particulari materiarum. *Secundo* vides quomodo &c.

QUÆ-

(1) Seu in Cœna Domini, ut cap. *Listoris* dist. 3. de consecr. decernit Fabianus Papa, & hoc velut a sanctis Apostolis ac ab eorum successoribus acceptum observari præcipit, contrariumque sentientes *vesana mente* id audere inculcat. Ad eam porro benedictionem pertinet quod super illa verba Cantic. 1. *Bosrus*

Egypti dilectus meus mihi in vineis Engaddi, Gregorius expresse dicit: *In Engaddi balsamum gignitur quod cum oleo benedictione Pontificali chrisma efficitur, quo dona sancti Spiritus exprimuntur*: Præter alia quæ jam supra indicata sunt.

QUESTIO LXXIII.

*De Sacramento Eucharistiæ,
secundum se .*

in sex articulos divisa .

Consequenter considerandum est de sacramento Eucharistiæ : & primo de ipso sacramento ; secundo de materia ; tertio de forma ; quarto de effectibus ; quinto de recipientibus hoc sacramentum ; sexto de ministro : septimo de ritu .

Circa primum quærentur sex .

Primo, utrum Eucharistia sit sacramentum .

Secundo, utrum sit unum, vel plura .

Tertio, utrum sit de necessitate salutis

Quarto de nominibus ejus .

Quinto de institutione ipsius .

Sexto de figuris ejus .

ARTICULUS I. 426

Utrum Eucharistia sit Sacramentum -

Inf. art. 4. & quæst. lxxix. art. 5. & 7.

& IV. dist. viii. quæst. i. art.

i. quæst. i.

AD primum sic proceditur. Videtur quod Eucharistia non sit sacramentum . Ad idem enim non debent ordinari duo sacramenta : quia unumquodque sacramentum efficax est ad suum effectum producendum . Cum ergo ad perfectionem ordinetur & confirmatio, & Eucharistia, ut dicit Dionysius (1) iv. eccles. Hierarch. (cir. princ. & cap. 11. cir. med.) videtur Eucharistia non esse sacramentum, cum confirmatio sit sacramentum, ut prius habitum est (quæst. præc. art. 1. & quæst. lxxv. art. 1.)

2. Præterea . In quolibet sacramento no-

væ legis id quod visibiliter subiicitur sensui efficit invisibilem effectum sacramenti ; sicut ablutio aquæ causat & characterem baptismalem, & abluionem spiritualem, sicut supra dictum est (quæst. lxxiii. art. 6. & quæst. lxxvi. art. 1.) Sed species panis, & vini, quæ subiiciuntur sensui in hoc sacramento, non efficiunt neque ipsum corpus Christi verum, quod est res, & sacramentum, neque corpus mysticum, quod est res tantum in Eucharistia . Ergo videtur quod Eucharistia non sit sacramentum novæ legis.

3. Præterea . Sacramenta novæ legis habentia materiam, in usu materiæ perficiuntur ; sicut baptismus in abluione, & confirmatio in chrismatis consignatione . Si ergo Eucharistia sit sacramentum, perficeretur in usu materiæ, non in consecratione ipsius materiæ : quod patet esse falsum : quia forma huius sacramenti sunt verba quæ in consecratione materiæ dicuntur, ut infra patebit (quæst. lxxviii. art. 1.) Ergo Eucharistia non est sacramentum .

Sed contra est quod in collecta dicitur : *Hoc tuum sacramentum non fit nobis reatus ad penam.* (2)

Respondeo dicendum, quod sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad subveniendum homini in vita spirituali . Vita autem spiritualis vitæ corporali conformatur, eo quod corporalia spiritualium similitudinem gerunt .

Manifestum est autem quod sicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quam homo vitam accipit, & augmentum, quo homo perducitur ad perfectionem vitæ ; ita etiam requiritur alimentum, quo homo conservatur in vita . Et ideo sicut ad vitam spiritualem oportuit esse baptismum, qui est spiritualis generatio, & confirmationem, quæ est spirituale augmentum ; ita oportuit esse sacramentum Eucharistiæ, quod est spirituale alimentum .

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est perfectio . Una quæ est in ipso homine,

P 2 ad

(1) Præmittit autem Dionys. eo loco Eucharistiam Confirmationi, tum quia cibus præexigi potest ad robur æque ac ad illud subsequi ; tum quia Sacramenta quæ conferuntur a Presbyteris prius ei tractanda occurrerant quam quæ ab Episcopis conferuntur ; nisi quantum ad ea quæ per accidens tantum necessaria sunt . Sed cæteris paribus præcedere Confirmatio debet, quia Eucharistia perfectorum cibus est &c.

(2) Scilicet in Collecta pro vivis ac defunctis quæ post communionem recitatur . Sanctus etiam Gregorius in illud 1. Reg. cap. 1. *Repleti pro panibus se loca-*

verunt &c. explicat eos qui *vittorum cibo saturati ad susceptionem Eucharistiæ corpus præparant ; nec saturari possunt, quia est Sacramentum ore percipiunt, virtute Sacramenti nequaquam replentur : Ut & passim nunc magnum Sacramentum ep. 118. cap. 6. & epist. 120. cap. 19. nunc Sacramentum corporis & sanguinis Domini lib. 3. de Trinit. cap. 4. & Tract. 26. in Joannem appellat Augustinus : Et Cyprianus epist. 63. sive lib. 2. epist. 3. redemptoris nostræ Sacramentum &c.*

ad quam perducitur per augmentum : & talis perfectio competit confirmationi : Alia autem est perfectio quam homo consequitur ex adiunctione alicujus extrinseci hominem conservantis, puta ex adiunctione cibi, vel indumenti, vel alicujus hujusmodi : & talis perfectio competit Eucharistiæ, quæ est spiritualis perfectio

Ad secundum dicendum, quod aqua baptismi non causat aliquem spirituales effectum propter ipsam aquam, sed propter virtutem Spiritus sancti in aqua existentem. Unde Chrysostomus dicit super illud Joan. v. *Angelus Domini secundum tempus &c.* (hom. xxxv. in Joan. inter princ. & med.) „ In „ baptizatis non simpliciter aqua operatur, „ sed cum Spiritus sancti susceperint gratiam, tunc omnia solvit peccata. “ (1) Sicut autem se habet virtus Spiritus sancti ad aquam baptismi ; ita se habet corpus Christi verum ad species panis, & vini : unde species panis, & vini non efficiunt aliquid nisi virtute corporis Christi veri.

Ad tertium dicendum, quod sacramentum dicitur ex eo quod continet aliquid sacrum. Potest autem aliquid esse sacrum dupliciter, scilicet absolute, & in ordine ad aliud. Hæc autem est differentia inter Eucharistiæ & alia sacramenta habentia materiam sensibilem, quod Eucharistia continet aliquid sacrum absolute, scilicet ipsum Christum ; aqua vero baptismi continet aliquid sacrum in ordine ad aliud, scilicet virtutem ad sanctificandum : & eadem ratio est de chrismate, & similibus. Et ideo sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione materię ; alia vero sacramenta perficiuntur in applicatione materię ad hominem sanctificandum : & ex hoc etiam consequitur alia differentia : nam in sacramento Eucharistiæ id quod est res, & sacramentum ; est in ipsa materia (2) id autem quod est res tantum, est in suscipiente, scilicet gratia, quæ confertur ; in baptismo autem utrumque est in suscipiente ; scilicet & character, qui est res, & sacramentum, & gratia remissionis peccatorum, quæ est res tantum. Et eadem ratio est de

aliis sacramentis.

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo* : quomodo per rationem interimas hæresim *Albanensium* dicentium. Eucharistiæ, sacramentum Altaris, nihil esse. Per hoc enim, quod dicunt, sacramentum altaris esse nihil, videntur velle apertius dicere sic : illud, quod ab aliquibus solet vocari sacramentum altaris, non est vere sacramentum. *Secundo* habes : quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari a supradictis in q. 75. a. 1. 2. *app.* ex Conciliis *Florentino*, & *Trid.* in quo *Trid.* nota ly *vere*, ly *proprie*. Item ab eodem *Trident.* sess. 13. multis in locis per hoc, quod ibi frequenter Eucharistiæ vocat sacramentum. Item ab Ecclesia in collecta festi corporis Christi dicente : *Deus, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tue memoriam reliquisti.* Et in hymno. *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui.* Item a Papa *Urbano* dicente. *Salvator noster Christus Dominus in memoriam mortis sue instituit summum, & magnificum sui corporis, & sanguinis sacramentum.* Hæc ille, ut recitatur in clem. de reliq. & vener. sanctor. c. 1. Vide pulcherrimum de isto sacramento capitulum. *Tertio* vides : quomodo &c.

ARTICULUS II. 427

Utrum hoc Sacramentum sit unum, vel plura.

Inf. quest. lxxviii. art. 6. ad 2. & IV. dist. viii. quest. 1. art. 1. quest. 2.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod Eucharistia non sit unum sacramentum, sed plura. Dicitur enim in collecta : *Purificans nos, Domine, sacramenta que sumpsimus* : quod quidem dicitur propter Eucharistiæ susceptionem. Ergo non est unum sacramentum, sed plura.

2. Præterea. Impossibile est, multiplicato gene-

(1) Ex græco ἀβίη pro quo novus interpret forte, legit ἀβίη proindeque *abluis* : Esti autem dumtaxat græcus textus præmittat ibi *πυθιατος χάρις* seu *spiritus gratiam*, planum tamen est subintelligi oportere *Spiritus-sancti* ; ut ex veteri versione tum hic tum in aurea catena sua super eundem locum S. Thomas

expressit.

(2) Proxima quæ est corpus & sanguis Christi, non remota quæ est panis & vinum ; nisi species utriusque prout corpus & sanguinem continent, *sacramentum* dicantur.

genere, non multiplicari speciem; sicut quod unus homo (1) sit plura animalia: Sed signum est genus sacramenti, ut supra dictum est (quæst. lx. art. 1.) Cum igitur in Eucharistia sint plura signa, scilicet panis, & vinum, videtur consequens esse quod sint plura sacramenta.

3. Præterea. Hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ; sicut dictum est (art. præc. ad 3.) Sed in hoc sacramento est duplex materiæ consecratio. (2) Ergo est duplex sacramentum.

Sed contra est quod Apostolus dicit I. Corinth. x. 17. *Unus panis, & unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus*: ex quo patet quod Eucharistia est sacramentum ecclesiasticæ unitatis. Sed sacramentum similitudinem gerit rei cuius est sacramentum. Ergo Eucharistia est unum sacramentum.

Respondeo dicendum, quod, sicut dicitur V. Metaph. (tex. 9. & seq. (3) unum dicitur, non solum indivisibile, quod est continuum, sed etiam quod est perfectum; sicut dicitur una domus, & unus homo. Est autem unum perfectione, ad cuius integritatem concurrunt omnia quæ requiruntur ad finem ejusdem; sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis ad operationem animæ, & domus integratur ex omnibus partibus quæ sunt necessariæ ad inhabitandum. Et sic hoc sacramentum dicitur unum: ordinatur enim ad spiritualem refectionem quæ corporali conformatur.

Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scilicet cibus, qui est alimentum siccum, & potus, qui est alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem hujus sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus, & spiritualis potus, (4) secundum illud Joan. vi. 56. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus* Ergo hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter, & perfective.

Ad primum ergo dicendum, quod in ea-

dem collecta & pluraliter dicitur primo: *Purificent nos sacramenta quæ sumpsimus*: & postea singulariter subditur: *Hoc unum sacramentum non sit nobis reatus ad penam*, ad ostendendum quod hoc sacramentum quodammodo est multa, simpliciter autem unum.

Ad secundum dicendum, quod panis, & vinum materialiter quidem sunt plura signa, formaliter vero, & perfective unum, inquantum ex eis perficitur una resectio. (5)

Ad tertium dicendum, quod ex hoc quod est duplex consecratio materiæ hujus sacramenti, non potest plus haberi nisi quod hoc sacramentum materialiter est multa, ut dictum est (in corp.)

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas, & recte intelligas, merito esse insinuatam a scripturis, Ecclesia, Papa, & Concilio: quod Eucharistiæ sacramentum est, & non est unum. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur I. Corinth. 10. *Unus, &c.* ut cum discursiva applicatione ponitur in arg. contrario. A Papa autem *Alexandro* per hoc, quod dicit. *In sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solemniam Domino offeruntur, panis, & vinum aqua permixtum in sacrificium offeruntur*. Hæc ille & recitantur in decreto de consecrat. dist. 2. A conc. quoque *Martini* Papæ. *Non oportet aliud aliquid in sacramento offerri, præter vinum, aquam, & panem*. Hæc illud, & recitatur ibidem. Item ab eodem ibidem. „ In sacramento corporis, & sanguinis Domini, ni nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aqua mixtum. Ab Ecclesia vero in collecta de vivis, & mortuis: Sumpta sacramenta; quæsumus Domine; omnia crimina nostra detergant. „ Hæc ibi. Et in collecta de Sancto Basilio. *Sacramenta salutis nostre suscipientes, &c.* Hæc illa *Secunda* vides, quomodo &c.

AR-

(1) Qui pro exemplo speciei assertur non quæ unus est, sed quæ homo, nisi etiam specifica unitas per hoc nomen significetur.

(2) Seu materia duplex consecrata; scilicet panis qui convertitur in corpus. & vinum quod convertitur in sanguinem: Sed hinc etiam duplex consecratio materiæ dicitur, quia illa utraque materia seorsim consecratur; tamen unicuique illarum una simplex consecratio respondeat.

(3) Ubi varia recensentur significata quibus dicitur

unus & inter illa nominatim ponuntur modi quos hic indicat S. Thomas.

(4) Non quod etiam corporalis quantum ad substantiam non sit, cum sit vera corporis & sanguinis Christi sumptio, sed propter modum & effectum spiritualem.

(5) Hinc in hymno eiusdem: *Quibus sub una specie carnem dedis & sanguinem: Ut duplicis substantia totum cibares hominem.*

ARTICULUS III. 428

Utrum Eucharistia sit de necessitate salutis.

Inf. quæst. lxxx. art. 11. & IV. dist. ix. art.

1. quæst. 2. & dist. xii. quæst. .111. ar.
2. quæst. 1. & Joan. vi. lect. 7.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum sit de necessitate salutis. Dicit enim Dominus Joan. vi. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sed in hoc sacramento manducatur caro Christi, & bibitur sanguinis ejus. Ergo sine hoc sacramento non potest homo habere salutem spiritualis vitæ.

2. Præterea. Hoc sacramentum est quoddam spirituale alimentum. (1) Sed alimentum corporale est de necessitate corporalis salutis. Ergo etiam hoc sacramentum est de necessitate spiritualis salutis.

3. Præterea. Sicut baptismus est sacramentum dominicæ passionis, sine qua non est salus; ita & Eucharistia: dicit enim Apostolus I. Corinth. xi. 26. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Ergo sicut baptismus est de necessitate salutis ita etiam hoc sacramentum.

Sed contra est quod Augustinus scribit Bonifacio contra Pelagianos (Lib. I. contr. duas epist. Pelag. cap. xxii.) *Nec illud cogitatis, parvulos vitam habere non posse, (2) qui sunt expertes corporis, & sanguinis Christi.*

Respondeo dicendum, quod in hoc sacramento duo est considerare, scilicet ipsum sacramentum, & rem sacramenti.

Dictum est autem (art. præc.) quod res hujus sacramenti est unitas corporis mystici

sine qua non potest esse salus: nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiam, sicut nec in diluvio absque arca Noe, quæ significat Ecclesiam, ut habetur I. Petr. 112. Dictum est autem supra (quæst. lxxviii. art. 2.) quod res alicujus sacramenti haberi potest ante perceptionem sacramenti ex ipso voto sacramenti percipiendi. Unde ante perceptionem hujus sacramenti potest homo habere salutem ex voto percipiendi hoc sacramentum, sicut & ante baptismum ex voto baptismi, ut supra dictum est (quæst. lxxviii. art. 2.) Est tamen differentia quantum ad duo. Primo quidem quia baptismus est principium spiritualis vitæ, & janua sacramentorum; Eucharistia vero est quasi consummatio spiritualis vitæ, & omnium sacramentorum finis, ut supra dictum est (quæst. lxxv. art. 3.) per sanctificationes enim omnium sacramentorum fit præparatio ad suscipiendam vel consecrandam Eucharistiam. Et ideo perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam; perceptio autem Eucharistiæ est necessaria ad consummandam ipsam, non ad hoc quod simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere in voto, sicut & finis habetur in desiderio, & intentione. Alia differentia est, quia per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam: & ideo ex hoc ipso quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam; & sicut ex fide Ecclesiæ credunt sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, & per consequens recipiunt rem ipsius. Sed ad baptismum non ordinantur per aliud præcedens sacramentum: & ideo ante susceptionem baptismi non habent pueri aliquo modo baptismum in voto, sed soli adulti: unde rem sacramenti non possunt percipere sine perceptione sacramenti. Et ideo hoc sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis, sicut baptismus.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Augustinus dicit (tract. xxvi. in Ioan. inter

(1) Sensu jëm dicto, quia spiritualem tantum effectum causat & sumitur spirituali modo sub speciebus visibilibus occultatum, tamen si vero Christi corpore ac sanguine per specierum sumptionem vere ac realiter sumpto conficit, sicut patebit infra.

(2) Sicut refertur in Decretis dist. 4. de consecrat. cap. In Ecclesia, ex libro 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 22. non libro 4. ut scilicet prius ad marginem: Contradicente tamen sensu sic refertur, cum Augustinus e contrario velit sine sacramento corporis Christi quod suo modo suscipiunt quando incorporantur Christo per baptismum, parvulos vitam

habere non posse: Unde potius legi debet, *Nec illud cogitatis, parvulos vitam habere posse qui sunt expertes corporis & sanguinis Christi* propter baptismum non susceptum: Vel sicut est in Augustini textu plenius quam hic & planius: *Datis parvulis extra regnum Dei locum salutis & vite æternæ, etiamsi non fuerint baptizati: Nec illud cogitatis eos vitam habere non posse qui &c.* Et hoc ipsum est quod in corpore articuli explicat S. Thomas, parvulos percipere rem sacramenti Eucharistiæ ac ad Eucharistiam ex hoc ipso quod baptizantur, ordinari.

A P P E N D I X.

ter med. & fin.) exponens illud verbum Ioan. *Hunc cibum, & potum, scilicet carnis, & sanguinis, societatem vult intel-, ligi corporis, & membrorum suorum, quod est Ecclesia in praedestinis, & vocatis, & iustificatis, & glorificatis sanctis, & fidelibus eius.* "Unde, sicut ipse dicit in epist. ad Bonifacium, (1) *nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis, sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptisate membrum corporis Christi efficitur; nec alienari ab illius panis, calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedas, & calicem bibas, de hoc saeculo in unitate corporis Christi constitutus abscedas.*

Ad secundum dicendum, quod haec est differentia inter alimentum corporale, & spirituale, quod alimentum corporale convertitur in substantiam eius qui nutritur; & ideo non potest homini valere ad vitae conservationem alimentum corporale, nisi realiter sumatur: sed alimentum spirituale convertit hominem in seipsum, secundum illud quod Augustinus dicit in Lib. VII. Confes. (cap. x. a med.) quod quasi audivit vocem Christi dicentis sibi: *Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me.* Potest autem aliquis in Christum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiam sine huius sacramenti perceptione. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod baptismus est sacramentum mortis, & passionis Christi prout homo regeneratur in Christo virtute passionis eius; sed Eucharistia est sacramentum passionis Christi, (2) prout homo perficitur in unione ad Christum passum. Unde sicut baptismus dicitur sacramentum fidei, quae est fundamentum spiritualis vitae; ita Eucharistia dicitur sacramentum caritatis, (3) quae est vinculum perfectionis, ut dicitur Coloss. 111. 14.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem & ostendas, & recte intelligas, merito esse insinuatam a scripturis, concilio, & Aug. quod sacramentum Eucharistiae non est de necessitate salutis. A D. Aug. quidem per hoc, quod dicit: *nec illud, &c.* ut in arg. contr. A scripturis vero per hoc, quod Dominus dicit Mat. 9. *finite parvulos venire ad me: talium est enim regnum caelorum.* Patet enim, quod parvulis non inest capacitas ad dijudicandum corpus Domini (quam tamen exigit Apostolus 1. Cor. 11. in fumentibus Eucharistiam) idest ad discernendum cibi huius spiritualis differentiam ab aliis cibis, & consequenter patet, quod parvuli etiam baptizati non sunt de necessitate communicandi, idest sacramento Eucharistiae cibandi: quod & per usum ecclesiae sanctae manifestum est; & tamen his post baptismum, secundum testimonium veritatis praedictum, datur regnum caelorum, si moriantur, scilicet in illa parvulina aetate innocentia. Loquitur siquidem formaliter Dominus noster. A Conc. autem Trid. sess. 21. c. 4. *sancta synodus docet: parvulos, usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem: siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati adeptam amicitiam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt. Haec ibi, Et in can. 4. Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem: anathema sit.* Haec ibi. Ex quibus patet intentum, quod querebatur. Secundo vides: quomodo &c.

AR-

(1) Subnectitur capiti praecedenti quasi ex eodem Tractatu sumptum esset, dist. 4. de consecrat. c. *Nulli*: At nec ibi libro contra duas epistolas Pelagianorum qui inscribitur Bonifacio Papae, nec epist. 21. quae inscribitur Bonifacio comiti, tale quidquam habetur. Ut ex serm. de Sacramento altaris ad infantes Beda in 1. ad Corinth. 10. citat, sicut & in De-

cretis distinct. 1. de consecrat. cap. *Quis passus* refertur versus finem.

(2) Seu *dominicæ passionis*, ut Cyprianus vocat epistola iam prius indicata.

(3) Sic Augustinus Tract. 26. in Ioan. *O sacramentum pietatis! O signum unitatis! O vinculum charitatis!*

ARTICULUS IV. 429

Utrum convenienter hoc Sacramentum pluribus nominibus nominetur.

Inf. quest. lxxix. art. 2. ad 1. & IV. dist. viii. quest. 1. art. 1. quest. 3.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod inconuenienter hoc sacramentum pluribus nominibus nominetur. Nomina enim debent respondere rebus. Sed hoc sacramentum est unum, ut dictum est (art. 2. hu. quest.) Ergo non debet pluribus nominibus nominari.

2. Præterea. Species non notificatur convenienter per id quod est commune toti generi. Sed Eucharistia est sacramentum novæ legis: omnibus autem sacramentis commune est quod in eis confertur gratia, quod significat nomen *Eucharistia*, (1) quod est idem quod *bona gratia*: omnia etiam sacramenta remedium nobis afferunt in via præsentis vitæ; quod pertinet ad rationem *Viatici*: in omnibus etiam sacramentis fit aliquid sacrum; quod pertinet ad rationem *Sacrificii*: & per omnia sacramenta sibi invicem communicant fideles; quod significat hoc nomen *εὐχαριστία* in Græco, vel *Communio* in Latino. Ergo hæc nomina non convenienter adaptantur huic sacramento.

3. Præterea. Hostia videtur esse idem quod sacrificium. Sicut ergo non proprie dicitur sacrificium, ita nec proprie dicitur *Hostia*.

Sed contra est quod usus fidelium habet.

Respondeo dicendum, quod hoc sacramentum habet triplicem significationem. Unam quidem respectu præteriti, in quantum scilicet est commemorativum dominicæ passionis, quæ fuit verum sacrificium, ut supra dictum est (quest. xlvi. art. 3.) & se-

cundum hoc nominatur *Sacrificium*. Aliam autem significationem habet respectu rei præsentis, scilicet ecclesiasticæ unitatis, cui homines aggregantur per hoc sacramentum: & secundum hoc nominatur *Communio*, vel *εὐχαριστία*. Dicit enim Damascenus IV. Lib. (orth. Fid. cap. xiv. ad fin.) quod dicitur *Communio*, quia communicamus per ipsam Christo, & quia participamus ejus carne, & Divinitate, & quia communicamus, & unimur ad invicem per ipsam. Tertiam significationem habet respectu futuri, in quantum scilicet hoc sacramentum est præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit in patria: & secundum hoc dicitur *Viaticum*, quia hic præbet nobis viam illuc perveniendi: & secundum hoc etiam dicitur *Εὐχαριστία*, idest *bona gratia*, quia *gratia Dei vita æterna*, ut dicitur Rom. vi. 23. vel quia realiter continet Christum, qui est plenus gratia. Dicitur etiam in Græco *μετάληψις*, idest *Assumptio*: quia, ut Damascenus dicit (loc. sup. cit.) *per hoc Filii Dei vitam assumimus*.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet; idem pluribus nominibus nominari, secundum diversas proprietates, vel effectus.

Ad secundum dicendum, quod id quod est commune omnibus sacramentis, attribuitur antonomastice huic propter ejus excellentiam.

Ad tertium dicendum, quod hoc sacramentum dicitur *Sacrificium*, in quantum representat ipsam passionem Christi; dicitur autem *Hostia*, in quantum continet ipsum Christum, qui est hostia salutaris, ut dicitur Ephes. v.

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis; quod hoc sacramentum nominibus pluribus convenienter nominatur. Ut per id,

(1) Juxta græcum *εὐχαριστία* quod non Latini tantum, puta Bernardus in sermone de excellentia sanctissimi Sacramenti & Isidorus lib. 6. etymologiarum vel originum tit. de officiis *bonam gratiam* explicarunt sicut hic, sed & Clemens Alexandrinus lib. 2. pedagogi cap. 2. interpretandum indicavit, cum eam appellari Eucharistiam quæ veluti *χρῆσις καλή* (sive *gratia bona*) laudatur &c. Sic Ambrosius lib. 5. de Sacramentis cap. 3. *Venisti ad altare, accepisti gratiam Christi* &c. Et Cyprianus in Tractatu de lapsis pari sensu *gratiam salutarem* appellat: Quamvis alio passim sensu pro gratiarum actione sumatur.

proindeque *symbolum gratiarum actionis* ab Origene appellatur lib. 8. contra Celsum *Synaxis* autem (Juxta græcum *συναξίς*) veluti *conjunctio in unum* implicite can. 101. Trullano appellatur, sicut & *κοινωνία* vel *communio*, & *μετάληψις* vel *participatio* æque ac *assumptio* ab aliis etiam præter hic indicatum Damasceno: Sed *viaticum* (*εὐδοκίω*) can. 13. Concilii Nicæni, ut Zonaras & Balsamon interpretantur: Præter alia *vita*, *hostia*, *sacrificii*, & similia nomina quæ in progressu expendenda recurrant.

id, quod contra quosdam litigiosos de convenientia faciendi, vel non faciendi aliquas res dicit Apostolus 1. Corinth. 11. *Nos talem consuetudinem non habemus: sed neque Ecclesia Dei.* Per hoc enim, quod ad contentiosos de talibus respondet sic, dat intelligere istam regulam, sc. quod in controversiis convenienter sedandis magnam habet vim consuetudo Ecclesie Dei: ita, quod illud convenienter fit, vel non fit, quod secundum talem consuetudinem est, vel non est. Quanti autem facienda sit ista regula, monstravit factio suo D. Thomas, quando hanc, tanquam fundamentum determinandae veritatis, amplexus est, 2. 2. q. 10. a. 12. ubi de pueris infidelium baptizandis, vel non baptizandis, invitit parentibus, tractabat. Quod & monstravit Concilium Tridentinum sess. 7. de sacramentis, can. 13. ubi de ritibus approbatis per consuetudinem Ecclesie definitur: Hanc igitur regulam Apostolicam, ad imitationem eorum, secuti & nos in presenti materia dicimus, quod ex scriptura illa prima Corinthiorum undecimo, insinuat propositum. Ratio est: quia consuetudo Ecclesie, seu (ut verba textus argumenti contrarii adducam) usus fidelium habet hoc, sc. quod vocat pluribus nominibus hoc sacramentum. Porro conveniens esse aliquid ex eo, quod sic Ecclesia consuevit, jam ad litteram Apostolus edocuit. *Secundo* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S V. 430

Utrum institutio hujus Sacramenti fuerit conveniens.

Inf. quest. lxxiv. art. 4. co. & ad 1. & quest. lxxx. art. 8. ad 1. & IV. dist. viii. quest. 1. art. 3. & I. Cor. xi. lect. 4. & lect. 5.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conveniens institutio hujus *Summ. S. Th. Tom. XII.*

sacramenti. Ut enim Philosophus dicit in II. de gener. (tex. 50.) *ex eisdem nutrimum ex quibus sumus.* Sed per baptismum, qui est spiritualis regeneratio, accipimus esse spirituale, ut Dionysius dicit 11. cap. eccl. Hierarch. (parum a princ.) Ergo per baptismum etiam nutrimum. Non ergo fuit necessarium instituere hoc sacramentum quasi spirituale nutrimentum.

2. Præterea. Per hoc sacramentum homines Christo uniuntur sicut membra capiti. (1) Sed Christus est caput omnium hominum, etiam qui fuerunt ab initio mundi, ut supra dictum est (quest. viii.) Ergo non debuit institutio hujus sacramenti differri usque ad cœnam Domini. (2)

3. Præterea. Hoc sacramentum dicitur memoriale dominicæ passionis, secundum illud Lucæ xxii. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* (3) Sed memoria est præteritorum. Ergo hoc sacramentum non debuit institui ante Christi passionem.

4. Præterea. Per baptismum aliquis ordinatur ad Eucharistiam, quæ non nisi baptizatis dari debet. Sed baptismus institutus fuit post Christi passionem, & resurrectionem, ut patet Matth. ult. Ergo inconvenienter hoc sacramentum fuit ante passionem Christi institutum.

Sed contra est quod hoc sacramentum est institutum a Christo, de quo dicitur Marci vii. 37. *Bene omnia fecit.* (4)

Respondeo dicendum, quod convenienter hoc sacramentum institutum fuit in cœna, in qua scilicet Christus ultimo cum suis discipulis fuit conversatus.

Primo quidem ratione continentie hujus sacramenti: continetur enim ipse Christus in Eucharistia sicut in sacramento. Et ideo quando ipse Christus in propria specie a discipulis discessurus erat, in sacramentali specie seipsum eis reliquit; sicut in absentia Imperatoris exhibetur veneranda ejus imago. Unde Eusebius Emisenus (5) dicit (hom. v. in Pascha, quæ incipit, *Magnitudo celestium*

(1) Hinc *κύρωμα concorporei* à Cyrillo dicuntur, ut & infra patebit expressius.

(2) Sive usque ad illam cœnam ultimam in qua paschalem agnum cum discipulis edit.

(3) Postquam immediate præmissum, est *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: Ubi Beda: Finis Pasche antiquis solemnibus transit ad novum quod in sua redemptionis memoriam Ecclesiam frequentare desiderat: Præter alia quæ inferius nota-*

buntur.

(4) Occasione quidem particularis facti dictum quod eundem hominem surdum & mutum audire ac loqui fecit, ut ibidem specialiter exprimitur; sed generali sensu de quibusvis aliis Christi factis & institutis dici potest, proindeque non immerito huc applicat & refert S. Thomas.

(5) Cujus nomine in Decretis refertur de consecrat. distinct. 2. cap. *Quia*; indeque S. Thomas desumpsit: quam-

stium &c. parum a princ.) Quia corpus assumptum ablatum erat ab oculis, & illaturus fidei, necesse erat ut die cœnæ sacramentum corporis, & sanguinis sui consecraret nobis, ut coleretur iugiter per mysterium quod semel offerebatur in pretium. Secundo quia sine fide passionis Christi numquam potuit esse salus, secundum illud Rom. 111. 25. *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Et ideo oportuit omni tempore apud homines esse aliquid repræsentativum dominicæ passionis: cuius in veteri quidem Testamento præcipuum sacramentum erat agnus paschalis. Unde & Apostolus dicit I. Corinth. v. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Successit autem ei in novo Testamento Eucharistiæ sacramentum, quod est rememorativum præteritæ passionis, sicut & illud fuit præfigurativum futuræ. Et ideo conveniens fuit ut imminente passione, celebrato priori sacramento, novum sacramentum institueret. Unde Leo Papa dicit (serm. vii. de pasch. Dom. cap. 1. in fin.) quod *ut umbra cederent corpori, antiqua observantia novo excluditur sacramento; hostia in hostiam transit; sanguine sanguis auferatur; & legalis festivitas, dum mutatur, impletur.* Tertio quia ea quæ ultimo dicuntur, maxime ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur, præsertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos: ea vero ad quæ magis afficiuntur, profundius animo imprimuntur. Quia igitur, ut beatus Alexander I. Papa dicit (epist. 1. ad omnes orth. cap. iv. (1) *nihil in sacrificiis majus esse potest quam corpus, & sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est;* ideo ut in majori veneratione haberetur, Dominus in ultimo discessu suo a discipulis hoc sacramentum instituit. Et hoc est quod Augustinus dicit in Libro responsionum ad Januarium (epist.

liv. al. cxviii. cap. vi. a med.) *Salvator quo vehementius commendaret mysteriis hujus altitudinem, ultimum hoc voluit arctius infigere cordibus, & memoria discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat.*

Ad primum ergo dicendum, quod ex eisdem nutrimur ex quibus sumus, non tamen eodem modo nobis advenientibus: nam ea ex quibus sumus, nobis adveniunt per generationem; eadem autem, in quantum ex eis nutrimur, nobis adveniunt per manducationem. Unde sicut per baptismum regeneramur in Christo, ita per Eucharistiæ manducamus Christum.

Ad secundum dicendum, quod Eucharistiæ est sacramentum perfectum dominicæ passionis, (2) tamquam continens ipsum Christum passum: & ideo non potuit institui ante incarnationem: sed tunc habebant locum sacramenta quæ erant tantum præfigurativa dominicæ passionis.

Ad tertium dicendum, quod sacramentum istud fuit institutum in cœna, ut in futurum esset memoriale dominicæ passionis, ea perfecta. Unde signanter dicit (3) *Hæc quotiescumque feceritis*, de futuro loquens.

Ad quartum dicendum, quod institutio responderet ordini intentionis. Sacramentum autem Eucharistiæ, quamvis sit posterius baptismo in perceptione, est tamen prius in intentione: & ideo debuit prius institui.

Vel potest dici, quod baptismus jam erat aequaliter institutus in ipso Christi baptismo: unde & jam aliqui ipso Christi baptismo erant baptizati, ut legitur Joan. 111.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, & concilio, quod conveniens fuit insti-

quamvis pro Eusebio Eucherius notari debuerit, & Episcopus Lugdunensis non Emyssenus, ut in Eucharistiæ sua Cardinalis Perronius observat: quantumcumque dubitet Bellarminus in Opusculo suo de Scripturis ecclesiasticis an Eucherio Lugdunensi, an Cæsario vel Hilario Arelatensi tribuendi sint hi sermones; qui plane Eusebii esse non possunt; cum eleganter stylo latino conscripti sint & Pelagij meminerint, latinus autem non fuerit hic Eusebius Emyssænus & Pelagium præcesserit.

(1) Refertur in Decretis de consecrat. distinct. 2. ubi supra, cap. *Nihil* ex epist. ejus prima quæ tomo item 1. Conciliorum videri potest. Quod autem subjungitur ex Augustino, & ex libro Respon-

sionum ad Januarium prænotatur ac in Decretis rursum ubi supra, cap. *Liquido* sic refertur, habetur epist. 118. verius finem quæ ad *inquisitiones januarii* ex retract. lib. 2. cap. 20. inscribi potest.

(2) Hinc *imaginem passionis* appellat Gaudentius Tract. 2. de Paschate, ac in eo exemplar quoddam passionis Christi ante oculos habendum semper notat.

(3) Non apud Lucam ubi supra; sed apud Paulum I. Corinth. 11. vers. 25. æquivalenter sub his verbis: *Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem: Quotiescumque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis* &c. Sed in Canone Missæ sic expresse.

institutiō sacramenti Eucharistiæ. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur de Christo universaliter Marc. septimo. *Bene omnia fecit*. Descende tu ad particularia (ut alias docuimus) sub ista universali, & maxime ad hoc propositum. Maxime, inquam, eo, quod, si omnia alia fecit bene: oportet dicere, quod multo magis illa, quæ ad seipsum immediate pertinent (ut est sacramentum istud) fecit bene, idest cum omnibus circumstantiis tantæ rei convenientibus. Item per hoc, quod dicitur Prover. 9. *Sapientia edificavit sibi domum, immolavit victimas suas miscuit vinum, & proposuit mensam suam*. Ex eo enim, quod scriptura attribuit sapientiæ tantum opus, patet abundantissime, quod ipsum opus convenienter factum est. Sapientiæ siquidem est, recte ordinare, immo non posse non recte ordinare (cum sit sapientia) ipsius est nullam, vel minimam inordinationem in agendo committere, immo nec posse committere (cum sit nomen abstractum) ipsius est non solum recte, sed & rectissime non solum ordinate, sed & ordinatissime: non solum aliquando, & in aliquibus rebus, sed etiam semper, & in omnibus procedere (cum sit sapientia divina) maxime vero in supernaturalibus tantas suæmet largitatis divitias ineffabiliter contententibus, quale est hoc sacramentum. Quod autem illa auctoritas Prover. 9. loquatur de hoc sacramento, patet per Ecclesiam, quæ tanquam exponens illam in festo sacratissimi corporis Christi canit: *Sapientia edificavit sibi domum, miscuit vinum, & posuit mensam*. Quod vero sit quoddam supernaturale continens ineffabiles divinæ largitatis divitias, patet per *Urbanum* Papam dicentem. „ Volens adhuc „ ipse in nobis suam exuberantem charitatem „ præcipua liberalitate monstrare, semetipsum „ nobis exhibuit: & transcendens omnem „ plenitudinem largitatis, omnem modum „ dilectionis excedens, attribuit se in „ cibum. O singularis, & admiranda liberalitas: ubi donator venit in donum, & „ datum est idem percipit cum datore. „ Quam larga, & prodiga largitas, cum tribuit quis seipsum! Dedit igitur se nobis „ in pabulum; ut, quia per mortem homo „ corruebat, & per cibum ipse relevaretur „ ad vitam. Cecidit homo per cibum ligni „ mortiferum; relevatus est homo per cibum „ ligni vitalis: in illo pependit esca mortis, „ in isto pependit vitæ alimentum: illius „ esus meruit læsionem, istius gustus intulit „ sanitatem, gullus fauciat, & gustus sa-

navit. Vide quia, unde vulnus est ortum „ prodiit & medela, & unde mors subiit; „ exinde vita evenit. De illo siquidem gustu „ sic dicitur, quacumque die comederis, „ morte morieris: de isto vero legitur, si „ quis comederit ex hoc pane, vivet in æternum. Hæc ille: & recitantur in lib. Clementinar. de reliquiis & vener. sanct. c. *si sanctis*. Ex quibus *Urbani* verbis non tantum largitatis divinæ (ut promiseramus) inexcogitabiles divitiæ manifestantur: sed & ineffabilis sapientia, præcipue in tribus ultimis ejus sententiis, depingitur. Consequenter ergo etiam auctoritas ipsa *Urbani* ostendit directe intentum, sc. quod institutio sacramenti eucharistiæ fuit conveniens, idest convenienter facta. Item de talibus in universali convenientiis, postea a te ad propositum hoc particulare, prout expediens fuerit, applicandis, vide scitu dignissima, 3. par. de sal. qu. 41. art. 1. *Elucid.* Item 9. 55. art. 4. appen. Item 2. 2. qu. 122. art. 2. appen. & qu. 140. a. 1. appen. & qu. 179. art. 2. appen. Adhuc vide & 1. 2. quest. 68. artic. 4. append. A Concilio autem *Tridentino*. sess. 13. cap. secundo idipsum insinuat dicente. „ Salvator noster discessurus „ ex hoc mundo ad Patrem sacramentum „ hoc instituit, in quo divitias divini sui „ erga homines amoris velut effudit, memoriam „ faciens mirabilium suorum: & in „ illius sumptione colere nos sui memoriam „ præcepit, suamque annunciare mortem: „ donec ipse ad judicandum mundum veniat. „ Hæc ibi. Quæ non solum convenientiam, de qua articulus est, ostendunt simpliciter: sed & convenientiæ talis duplicem, vel triplicem rationem assignant; ut verba ipsa consideranti, articuli hujus textui corporis coaptanti patet. *Secundo* vides; quomodo &c.

A R T I C U L U S VI. 431

Utrum Agnus paschalis fuerit præcipua figura hujus Sacramenti.

Inf. quest. lxxx. art. 10. nd 2. & IV. dist. VIII. quest. 1. art. 2. & dist. XII. quest. III. art. 1. quest. 3. ad 1.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod Agnus paschalis non fuerit præcipua figura hujus sacramenti. Christus enim dicitur (*Psal. cix. 4.*) *sacerdos secundum ordinem Melchisedech.*, propter hoc quod Mel-

chitedech gessit figuram sacrificii Christi offerens (1) panem, & vinum. Sed expressio similitudinis facit quod unum ab alio denominetur. Ergo videtur quod oblatio Melchisedech fuerit potissima figura hujus sacramenti.

2. Præterea. Transitus maris rubri fuit figura baptismi, secundum illud I. Cor. x. 2. *Omnes baptizati sunt in nube, & in mari.* Sed immolatio agni paschalis præcessit transitum maris rubri, quem subsecutum est manna, sicut Eucharistia sequitur baptismum. Ergo manna est expressio figura hujus sacramenti, quam agnus paschalis.

3. Præterea. Potissima virtus hujus sacramenti est quod introducit nos in regnum cælorum, sicut quoddam viaticum. Sed hoc maxime præfiguratum fuit in sacramento expiationis, quando Pontifex intrabat semel in anno cum sanguine in sancta sanctorum, sicut Apostolus p̄gobat Hebr. ix. Ergo videtur quod illud sacrificium fuit expressio figura hujus sacramenti quam agnus paschalis.

Sed contra est quod Apostolus dicit I. Corinth. v. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis.*

Respondeo dicendum, quod in hoc sacramento tria considerare possumus; scilicet id quod est sacramentum tantum, quod est panis & vinum; & id quod est res, & sacramentum, scilicet corpus Christi verum; & quod est res tantum, scilicet effectus hujus sacramenti.

Quantum igitur ad id quod est sacramen-

tum tantum, potissima figura fuit hujus sacramenti oblatio Melchisedech, qui obtulit panem, & vinum. Quantum autem ad ipsum Christum passum, qui continetur in hoc sacramento, figuræ ejus fuerunt omnia sacrificia veteris Testamenti, præcipue sacrificium expiationis, quod erat solemaissimum. (2) Quantum vero ad effectum, fuit præcipua ejus figura manna, quod *habebat in se omnis saporis suavitatem.* ut dicitur Sap. xvi. 20. sicut & gratia hujus sacramenti quantum ad omnia refecit mentem.

Sed agnus paschalis quantum ad hæc tria præfigurabat hoc sacramentum. Quantum enim ad primum, quia manducabatur cum panibus azymis, secundum illud Exodi xii. 8. *Edent carnes . . . & azymos panes.* (3) Quantum vero ad secundum, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel quartadecima Luna; quod fuit figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur agnus. Quantum vero ad effectum, quia per sanguinem agni paschalis protecti sunt filii Israel a devastante Angelo, &educti de Aegyptiaca servitute: (4) & quantum ad hoc ponitur præcipua figura hujus sacramenti agnus paschalis, quia secundum omnia ipsam repræsentat.

Et per hoc patet responsio ad objecta.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, & Ecclesia; quod præcipua figura sacra-

(1) *Proferens* tantum in Vulgata dicitur exp. 14. vers. 28. ut & apud 70. ex græco ἐπι-εῖνε protulit vel assulis: Sed protulisse vel attulisse ad offerendum, passim explicant Patres; & nominatim Cyprianus epist. 63. sive libro 2. epistola 3. *In Sacerdote Melchisedech sacrificij dominici Sacramentum præfiguratum videmus: secundum quod Scriptura divina testatur dicens: Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum: Fuit autem sacerdos Dei summi & benedixit Abraham: Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus sanctus ex persona Patris ad Filium dicens: ante Luciferum genui te: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: Qui ordo usque hic est de sacrificio illo veniens & inde descendens quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinum obrulit & quod Abraham benedixit.*

(2) Ut patet Levit. 23. vers. 27. ubi Dominus ad Moysen ita loquitur: *Decimo die mensis hujus septimi dies expiationum eris eslaberrimus, & vocabitur sanctus, &c.*

(3) Vel plenius in sacro textu, *Edent carnes ne illa assas igni*; quæ non aliæ intelliguntur quam agni carnes ut mox ibidem explicatur.

(4) Cum nempe propterea vers. 7. præcipitur ut *de sanguine agni sumant, ac ponant super utramque postem & in superliminaribus domorum in quibus comedent illum: Cum subjungitur vers. 13. Eris sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis, & videbo sanguinem, & tranibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens quando percussero terram Aegypti: Cum subditur iterum vers. 17. Observabitis azyma: In eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Aegypti: Unde postea vers. 27. Et cum dixerint vobis filij vestri, Quæ est ista religio? dicetis eis, Victimam: transitus Domini est, quando transiit super domos filiorum Israel in Aegypto, percussiens Aegyptios & domos nostras liberans: Ex quo Ecclesia in Officio, *Prostrati, Pascha vespere, a devastante angelo, erepti de durissimo Pharaonis imperio.**

saementi Eucharistiæ fuit Agnus Paschalis. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur 1. Cor. 5. *Pascba*, &c. ut in *arg. cont. Pascba*, inquit, *nostrum* idest Agnus Paschalis noster, est *Christus immolatus*. Ideo enim magis dicit hoc, quam manna nostrum, vel oblatio Melchisedech nostra, immolatus est Christus: ut ex hac prælectione locutionis designet intentum, quod hic queritur. Ab Ecclesia vero per hoc, quod ipsa alloquens Eucharistiam in Missarum solemnibus immediate ante communionem dicit: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, &c. *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem*. Ac si apertius huic sacramento dicat. Te voco agnum magis, quam manna, vel panem, ac vinum; quia tu plenius es figuratus ab agno Paschali, quam a reliquis figuris. In cujus certitudinis signum non contentatur Ecclesia, semel agni nomine vocasse Eucharistiam, sed secundo, & tertio idipsum facit. Tali enim facto suo vult certificare nos de *duobus*. *Unum* est, quod agnus Paschalis pro certo figuravit magis sacramentum Eucharistiæ, quam aliz figuræ veteris testamenti, *Alterum* est, quod Agnus Paschalis figuravit Eucharistiæ sacramentum, quantum ad tria. De quibus tribus patet in corpore. *Secundo* vides: quomodo &c.

Q U Æ S T I O LXXIV.

De materia Eucharistiæ quantum ad speciem.

In octo articulos divisa.

DEinde considerandum est de materia hujus sacramenti: & primo de specie materiæ; secundo de conversione panis, & vini in corpus Christi; tertio de modo existendi corpus Christi in hoc sacramento; quarto de accidentibus panis, & vini, quæ in hoc sacramento remanent.

Circa primum queruntur octo.

Primo, utrum panis, & vinum sint materia hujus sacramenti.

Secundo, utrum ad materiam hujus sacra-

menti requiratur determinata quantitas.

Tertio, utrum materia hujus sacramenti sit panis triticeus.

Quarto, utrum sit panis azymus, vel fermentatus.

Quinto, utrum materia hujus sacramenti sit vinum de vite.

Sexto, utrum sit admiscenda aqua.

Septimo, utrum aqua sit de necessitate hujus sacramenti.

Octavo de quantitate aquæ quæ apponitur.

ARTICULUS I. 432

Utrum materia hujus Sacramenti sit panis & vinum.

IV. dist. xi. quest. ii. art. 1. quest. 1. & 2. & IV. cont. cap. lxi. & lxxviii. & I. Cor. xi. lect. 5.

AD primum sic proceditur. Videtur quod materia hujus sacramenti non sit panis, & vinum. Hoc enim sacramentum perfectius debet repræsentare passionem Christi quam sacramenta veteris legis. Sed carnes animalium, (1) quæ erant materiæ sacramentorum veteris legis, expressius repræsentant passionem Christi quam panis, & vinum. Ergo materia hujus sacramenti magis debet esse carnes animalium quam panis, & vinum.

2. Præterea. Hoc sacramentum est ubique celebrandum. (2) Sed in multis terris non invenitur panis triticeus, & in aliquibus non invenitur vinum. Ergo panis, & vinum non sunt conveniens materia hujus sacramenti.

3. Præterea. Hoc sacramentum competit sanis, & infirmis. Sed vinum nocet quibusdam infirmis. Ergo videtur quod vinum non debet esse materia hujus sacramenti.

Sed contra est quod Alexander I. Papa dicit (3) *In sacramentorum oblationibus panis tantum, & vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur.*

Respondeo dicendum, quod circa materiam hujus sacramenti aliqui multipliciter erraverunt.

Qui

(1) Præsertim vero caro agni, ut ex prædictis patet.

(2) Juxta illud Leonis Papæ serm. 8. de pass. *Traxisti Domine omnia ad te, ut quod in uno Jædaæ templo obumbratis significationibus tegebatur, a-*

per hoc sacramento universalium nationum devotio celebraretur.

(3) Sicut refertur in Decretis distinct. 2. de consecrat. cap. *In Sacramentorum* ex epistola ejus prima cap. 4. plenius quam hic.

Quidam enim, qui dicuntur Artotyritæ, (1) ut Augustinus dicit in Lib de hæresibus (hæresi xxviii.) offerunt panem, & caseum in hoc sacramento, dicentes, a primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ovium fuisse celebratas.

Alii vero, scilicet Cataphrygæ, & Pepuziani, de infantis sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctationum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemque inde facientes.

Quidam vero, qui dicuntur Aquarii, aquam solam sub specie sobrietatis in hoc sacramento offerunt.

Omnes autem hi errores, & similes excluduntur per hoc quod Christus hoc sacramentum sub specie panis, & vini instituit, ut patet Matth. xxvi. Unde panis, & vinum sunt materia conveniens hujus sacramenti.

Et hoc rationabiliter. Primo quidem quantum ad usum hujus sacramenti, qui est manducatio: sicut enim aqua assumitur in sacramento baptismi ad usum spiritualis abluitionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua; ita panis, & vinum, quibus communis homines reficiuntur, assumuntur in hoc sacramento ad usum spiritualis manducationis. Secundo quantum ad passionem Christi, in qua sanguis est a corpore separatus: & ideo in hoc sacramento, quod est memoriale dominicæ passionis, seorsum fami-

tur panis ut sacramentum corporis, & vinum ut sacramentum sanguinis. Tertio quantum ad effectum consideratum in unoquoque sumentium: quia, ut Ambrosius dicit super epist. I. ad Cor. (alius Auctor sup. illud cap. xi. *Hic calix novum &c.*) hoc sacramentum valet ad *visionem anime, & corporis: & ideo corpus Christi sub specie panis pro salute corporis, sanguis vero sub specie vini pro salute anime offertur*; sicut dicitur Levit. xvii. quod *anima carnis in sanguine est*. Quarto quantum ad effectum respectu totius Ecclesiæ, quæ constituitur ex diversis fidelibus; „ sicut panis conficitur ex diversis granis, & vinum fluit ex diversis uvis, “ ut dicit Glossa (ord. Aug. tract. xxvi. in Joan. aliquant. ante fin.) super illud I. Corinth. x. *Multi unum corpus sumus &c.*

Ad primum ergo dicendum, quod licet carnes animalium occisorum expressius repræsentent Christi passionem; tamen minus competunt ad communem usum hujus sacramenti, & ad ecclesiasticam unitatem significandam.

Ad secundum dicendum, quod licet non in omnibus terris nascatur triticum, vel vinum; tamen de facili ad omnes terras deferri potest; quantum sufficit ad usum hujus sacramenti: nec propter defectum alterius est unum tantum sine altero consecrandum, quia non esset perfectum sacramentum. (3)

Ad tertium dicendum, quod vinum in modica

(1) Ex græco *artos* idest panis; & *tyros* idest caseus: Unde *Artotyritæ* a panis & casei mixtura dicitur quasi *panocasearii*, si sic latine reddi licet: Sed *Cataphrygæ* vel *Cataphryges* a regione nomen habent, sive a provincia Phrygia, quia ibi existerunt ibique vixerunt; ut in eodem libro cap. 36. præmittit Augustinus: *Pepuziani* vero appellantur a quodam loco (*Pepuzæ* dicto) quem *civitatem desertam*, dicit Epiphanius; *quamvis alij hanc Pepuzam non esse civitatem sed villam dicunt fuisse Montani & prophetissarum ejus Priscæ ac Maximille; unde hunc locum, quia ibi vixerunt, quasi divinum aliquid arbitantes appellant Hierusalem, & nomen illud putant tenuisse*; ut ibidem subjungit.

(2) Vel Hilarus Diaconus paulo aliter: *Calicem mysticum sanguinis ad visionem corporis & anime nostræ percipimus; quia sanguis Domini sanguinem nostrum redemit, idest totum hominem salvum fecit: Caro enim Salvatoris pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra effusus est, sicut prius presignatur fuerat a Moysæ quod sanguis pro anima, &c.* Glossa porro quæ subjungitur, est quidem Bedæ ibi, sed ipse Bedæ ex Augustino sumpsit Tract. 26. in Joanne ubi *acinis* (idest uvarum granis) pro

uvis habet.

(3) Nec magni facienda Volaterrani narratio lib. 7. Geographiæ suæ ubi *Norvegis Innocentij 8. concessione permixtum ait ut calicem sacrificarent sine vino, & quod hujus rei gratia legatio missa est*. Primo, quia nullum alibi extat hujus concessionis monumentum. Quomodo porro in re tam gravi & tam inusitata non extaret? Secundo quia ex ipsa phrasi convinci potest falsitatis; puta vel quod *calicem sine vino* (ut retulimus & Bellarminus ac Sylvius referunt) vel e converso (sicut Editiones quædam Volaterrani habent) *vinum sine calice* consecrare Innocentius permisit? An vero cervisiam, an herbaceam vel expressam e pomis potionem, an aquam consecrare permisit; sive puram, ut Aquarii supra usurpabant; sive mellitam, ut Melancthon putavit usurpare Ruthenos posse ob inopiam vini? Tertio, quia nec stat ratio ipsa quam prædictæ concessionis Volaterranus refert; quod nempe *vinum in Norvegia non crescat, & aliunde importatum cito acefcat*; cum sit nunc vinum ibi tam abundans & tam potui aptum ut nec sine specie vini communicare Laici velint. Quarto, quia verisimile magis esset si permisisse diceretur (quod non sic dicit Volaterranus)

dica quantitate sumptum non potest multum ægrotanti nocere.

Et tamen si nocumentum timeatur, non est necesse quod omnes accipientes corpus Christi etiam accipiant sanguinem, ut infra dicitur (quæst. lxxx. art. 12.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem interimas hæreses & in tex. narratorum, atque *Manicheorum* dicentium : quod sacramentum Eucharistiæ ex pane confici non potest, eo quod panis sit creatura diaboli. *Secundo* habes : quomodo per rationem ostendas, has merito damnari a Concilio *Martini* Papæ : ut patet supra *qu. 73. art. 2. appen.* Item a *Julio* Papa, qui post errorum multorum enarrationem dicit. „ Manifestum est, „ & evidens exemplum veritatis Evangelicæ „ illuxit, quod præter panem, & vinum, in „ sacrificando aliud offerri non licet. „ Hæc ille quæ cum aliis multis contra errores prænaratos recitantur in decret. de consecrat. distinct. secunda, cap. *cum omne crimen*. Item a Concilio *Florentino* in constitutione super union. Armenor. *Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite*. Hæc ibi. Item a *Marci* 15. & *Luc.* 22. & *1. Corinth.* 11. ubi panem consecratum, ac vinum ab ipso Domino testantur. Cæterum contra illam partem hæresis prædictæ, sc. eo quod panis sit creatura diaboli, vide *1. p. q. 65. a. 1. & q. 92. a. 4. cum Elucid.* item Veritates aureas super totam legem veterem *Genes. 1. conclus. 5.* Damnato enim (ut expresse ibi fit) quod diabolus sit creator corporum, cointelligitur necessario condemnari, quod panis sit creatura diaboli. *Tertio* vides : quomodo &c.

ARTICULUS II. 433

Utrum requiratur determinata quantitas panis, & vini ad materiam hujus Sacramenti.

IV. dist. xi. quæst. 11. art. 1. quæst. 3.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod requiratur determinata quantitas panis & vini ad materiam hujus sacramenti. Effectus enim gratiæ non sunt minus ordinati quam effectus naturæ. Sed, sicut dicitur in II. de Anima (tex. 41.) *omnium natura constantium positus est terminus, & ratio magnitudinis, & augmenti*. Ergo multo magis in hoc sacramento, quod dicitur *Eucharistiæ*, idest *bona gratia*, requiritur determinata quantitas panis, & vini.

2. Præterea. Ministris Ecclesiæ non est a Christo data potestas ad ea quæ pertinent ad irrisionem fidei, & sacramentorum ejus, secundum illud II. Corinth. x. 8. *Secundum potestatem (*) quam dedit nobis Deus in edificationem, & non in destructionem*. Sed hoc esset ad irrisionem sacramenti, si sacerdos vellet consecrare totum panem qui venditur in foro, & totum vinum quod est in cellario. Ergo hoc facere non potest.

3. Præterea. Si aliquis baptizetur in mari, non tota aqua maris sanctificatur per formam baptismi, sed solum aqua illa qua corpus baptizati abluitur. Ergo nec in hoc sacramento superflua quantitas panis, & vini consecrari potest.

Sed contra est quod multum opponitur paucis, & magnum parvo. Sed nulla est ita parva quantitas panis, aut vini, quæ non possit consecrari. Ergo etiam nulla est ita magna, quæ consecrari non possit.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod sacerdos non posset consecrare immensam quantitatem panis, aut vini; puta

terræ) unam sine altera speciem consecrari, ex aliquorum sententia (ut Gabrielis Bici super canonem lect. 84. & Majoris in 4. lib. Sent. dist. 17. qu. 3.) qui non putant necessarium jure divino sed ecclesiastico tantum ut utraque pariter consecraretur: Quamvis & falso sic sentiunt & ex cap. *Comperimus* dist. 2. de consecrat. perperam probant, cum Gelasius ibi dicat, quantum ad Sacerdotes, *aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur,*

quia divisio unius ejusdemque mysterij sine grandi sacrilegio non potest provenire. Cur autem ita loqueretur, nisi sic institutum jure divino supponeret? De his etiam 4. sentent. dist. 11. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 1. Ut & distinct. 19. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 3. ad 1. Et contra Gentes lib. 4. cap. 68. Et in 1. ad Corinth. 11. lect. 7.

(*) *Vulgata*: De potestate nostra.

ta totum panem qui venditur in foro, aut totum vinum quod est in dolio.

Sed hoc non videtur esse verum; quia in omnibus habentibus materiam ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem; sicut materia ferræ est ferrum, ut sit apta sectioni. Finis autem hujus sacramenti est usus fidelium. Unde oportet quod quantitas materiæ hujus sacramenti determinetur per comparisonem ad usum fidelium. Non autem potest esse quod determinetur per comparisonem ad usum fidelium, qui nunc occurrunt: alioquin sacerdos paucos parochianos habens non posset consecrare multas hostias. Unde relinquitur quod materia hujus sacramenti determinetur per comparisonem ad usum fidelium absolute. Numerus autem fidelium est indeterminatus. Unde non potest dici, quod quantitas materiæ hujus sacramenti sit determinata.

Ad primum ergo dicendum, quod cuiuslibet rei naturalis materia accipit determinatam quantitatem secundum comparisonem ad formam determinatam. Sed numerus fidelium, ad quorum usum ordinatur hoc sacramentum, non est determinatus. Unde non est simile.

Ad secundum dicendum, quod potestas ministrorum Ecclesiæ ad duo ordinatur: primo quidem ad effectum proprium; secundo ad finem effectus. Secundum autem non tollit primum. Unde si sacerdos intendat consecrare corpus Christi propter aliquem malum finem, puta ut irrideat, vel veneficia faciat, propter intentionem mali finis peccat; nihilominus tamen propter potestatem sibi datam perficit sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod baptismi sacramentum perficitur in usu materiæ: & ideo per formam baptismi non plus de aqua sanctificatur quam quantum venit in usum. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ. Et ideo non est simile.

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, quod materia sacramenti Eucharistiæ non est determinata, ita scilicet, quod sacerdos non possit consecrare materiam, nisi in tali numero, & non supra. Insinuat autem per hoc, tamquam per locum a simili, quod legitur Matth. 19. & Mar. 10. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Ac si dicat in proposito. Quod Deus absolute, seu

indeterminate concessit, homo non restringat. porro Deus (ut patet in Evangelio) concessit absolute potestatem consecrandi sacerdotibus, non determinando illam ad tantam præcise, & non majorem, materiam consecrandam. ergo homo non debet restringere hanc potestatem, dicen. videlicet: quod sacerdos non habet potestatem consecrandi materiam, nisi in tanto numero, non plus existentem: Dixi *ly us patet in Evangelio*: quia dicit Christus Lucæ cap. vigesimo secundo. *Hoc facite in meam commemorationem*. Quo sane dicto discipulos constituit sacerdotes, ipsisque, & aliis sacerdotibus in novo testamento futuris consecrandi panis, & vini potestatem absolute condonavit. Hoc enim docet Concilium *Tridentinum* sessione vigesima secunda, cap. primo, dicens: „ Deus, „ & Dominus noster sacerdotem secundum „ ordinem Melchisedech se in æternum con- „ stitutum declarans, corpus, & sanguinem „ suum sub speciebus panis, & vini Deo „ Patri obtulit; ac sub earumdem rerum „ symbolis, Apostolis, quos tunc novi testa- „ menti sacerdotes constituebat, ut sume- „ rent, tradidit, & eisdem, eorumque in „ sacerdotio successoribus, ut offerrent, præ- „ cepit per hæc verba. Hoc facite in meam „ commemorationem, ut semper Catholica „ Ecclesia intellexit, & docuit. *Hæc ibi, & „ canone secundo*. Si quis dixerit; illis ver- „ bis: Hoc facite in meam commemoratio- „ nem, Christum non instituisse Apostolos „ sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi alii- „ que sacerdotes offerrent corpus, & sangui- „ nem suum, Anathema sit. *Hæc ibi. Et „ sessione vigesima tertia, capite primo*. No- „ vum, visibile, & externum sacerdotium a „ Salvatore nostro institutum esse; atque A- „ postolis, eorumque successoribus in sacer- „ dotio potestatem traditam consecrandi cor- „ pus, & sanguinem ejus, sacræ litteræ osten- „ dunt, & Catholicæ Ecclesiæ traditio sem- „ per docuit. „ Hæc ibi. Quod & canone „ primo anathematizat contrarium dicentes. Prædicta verba, quamvis multa, ponunt ne ullam limitationem circa potestatem datam de materia consecranda, ut paucam, & non plurimam, sacerdotes materiam consecrare possint? Non. *Secundo* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 434

Utrum requiratur ad materiam hujus sacramenti quod sit panis triticeus.

III. dist. x2. quest. 11. art. 2. quest. 1. & dist. xix. quest. 1. art. 2. quest. 3. ad 1. & IV. cont. cap. lxxviii. & I. Cor. xi. lect. 7. princ.

AD tertium sic proceditur . Videtur quod non requiratur ad materiam hujus sacramenti quod sit panis triticeus . Hoc enim sacramentum est rememorativum dominicæ Passionis . Sed magis videtur esse consonum dominicæ passioni panis hordeaceus , qui est asperior , & de quo etiam Cbristus pavit turbas in monte , ut dicitur Joan. vi. quam panis triticeus . Ergo panis triticeus non est propria materia hujus sacramenti .

2. Præterea , Figura est signum speciei in naturalibus rebus . Sed quedam frumenta sunt quæ habent similem figuram grano tritici ; sicut far. , & spelta (1) de qua etiam in quibusdam locis panis conficitur ad usum hujus sacramenti . Ergo panis triticeus non est propria materia hujus sacramenti .

3. Præterea . Permixtio speciem solvit . Sed vix invenitur farina triticea , quæ alterius frumenti permixtionem non habeat , nisi forte de electis granis studiose fiat . Non ergo videtur quod panis triticeus sit propria materia hujus sacramenti .

4. Præterea . Illud quod est corruptum , videtur esse alterius speciei . Sed aliqui conficiunt ex pane corrupto , qui jam non videtur esse panis triticeus . Ergo videtur quod

Summ. S. Tb. Tom. XII.

talis panis non sit propria materia hujus sacramenti .

Sed contra est quod in hoc sacramento continetur Christus , qui se grano frumenti comparat Joan. xii. 24. dicens : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fueris ipsum solum manet .* Ergo panis frumenti , sive triticeus , est materia hujus sacramenti . (2)

Respondeo dicendum , quod , sicut dictum est (art. 1. hu. quest. & quest. lxxvi. art. 3.) ad usum sacramentorum assumitur talis materia quæ communis apud homines in talem usum venit . Inter alios autem panes communis homines utuntur pane triticeo : nam alii panes videntur esse introducti in hujus panis defectum . Et ideo Christus creditur in hujus panis specie hoc sacramentum instituisse : qui etiam panis magis confortat hominem ; & ita convenientius significat effectum hujus sacramenti . Et ideo propria materia hujus sacramenti est panis triticeus .

Ad primum ergo dicendum , quod panis hordeaceus competit ad significandam tum duritiam veteris legis , propter duritiam panis , tum etiam quia , ut Augustinus dicit in Lib. lxxxiii. Qq. (quest. lxi. cir. princ.) *bordei medulla , quæ tenacissima palea tegitur , vel ipsam legem significat , quæ ita data erat ut in ea vitale anime alimentum corporalibus sacramentis obtegeretur , vel ipsorum populum nondum expoliatum carnali desiderio , quod tanquam palea cordi ejus inbavebat .* Hoc autem sacramentum pertinet ad suave jugum Christi , & ad veritatem jam manifestatam , & ad populum spiritualem . Unde non esset materia conveniens hujus sacramenti panis hordeaceus . (3)

R Ad

(1) Frumenti genus adulterinum quod sic Itali & Hispani , sed Græci *Zeia* vocant , Latini *zeara* , Galli *Espauvre* . Sunt qui a farre non distinguant , ut Hieron in Esaiæ 28. ad 25. verum notat : Plinius tamen lib. 18. cap. tum 8. tum 21. distinguit ut hic , & far ipsum etiam a tritico ; sicut & Varro lib. 1. de re rustica , & Columella lib. 2. cap. 6. ubi *far vermaculum* vocat ; cum aliqui farris nomen interdum ad omnia frumenta commune sit .

(2) Ut inde infert Glossa super eundem locum dicens : *Cum sint multa seminum grana , nulli se comparat Christus nisi frumento ; Unde mos Ecclesie caput de hoc solo grano confici corpus Domini .* Porro velut ex Augustino prenotatur , sed Augustinus tantum habet ibidem quod *seipsum frumenti granum*

dicat Christus : Innocentius autem 3. lib. 4. de mysteriis Missæ cap. 3. *Panis debet esse de frumento , quia semetipsum Christus comparavit frumento , &c.* Et Hieronymus in Hierem. 31. explicans illud super frumento vers. 12. *De quo inquit , corpus Domini conficitur : Et similia in Esai. 62. super illud vers. 8. Si dedero triticum tuum inimicis tuis ; Ac Zacharie 9. frumentum electorum* explicans vers. 17.

(3) Hinc idem Augustinus Tract. 24. in Joannem explicans quinque panes hordeaceos quibus in monte turbas pavit Christus : *Quinque panes intelliguntur (inquit) quinque libri Moyfi : merito non tritici sed hordeacei , quia ad vetus Testamentum pertinent : Nobis autem hordeum ita creatum , ut ad medullam ejus vix perveniat : Vestis enim eadem medulla regni-*

Ad secundum dicendum, quod generans generat sibi simile in specie; sit tamen aliqua dissimilitudo generantis ad genitum, quantum ad accidentia, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generativæ. Et ideo si qua frumenta sunt, quæ ex semine tritici generari possunt (sicut ex grano tritici seminato in malis terris nascitur siligo) ex tali frumento panis confectus potest esse materia hujus sacramenti: quod tamen non videtur habere locum neque in hordeo, neque in spelta, neque etiam in farre, quod inter omnia est grano tritici similis. Similitudo autem figuræ in talibus magis videtur significare propinquitatem quam identitatem speciei; sicut ex similitudine figuræ manifestatur quod canis, & lupus sunt propinquæ speciei, non autem ejusdem. Unde ex talibus framentis, quæ nullo modo possunt (*) ex semine tritici generari, non potest confici panis, qui sit debita materia hujus sacramenti.

Ad tertium dicendum, quod modica permixtio non solvit speciem: quia id quod est modicum, quodammodo (**) absumitur a plurimo. Ideo si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia hujus sacramenti; si vero sit magna permixtio, puta ex æquo, vel quasi, talis permixtio speciem mutat: unde panis exinde confectus non erit debita materia hujus sacramenti.

Ad quartum dicendum, quod aliquando est tanta corruptio panis, quod solvitur species panis; sicut cum continuas solvitur, & sapor, & color, & alia accidentia mutantur: unde ex tali materia non potest confici corpus Christi. Aliquando vero non est tanta corruptio quæ speciem solvat, sed aliqua dispositio ad corruptionem; quod declarat aliqualis immutatio saporis & ex tali pane potest confici corpus Christi; sed peccat conficiens propter irreverentiam sacramenti. Et quia amyllum (1) est ex tritico corrupto, non videtur quod panis ex eo confectus possit fieri corpus Christi; quamvis

quidam contrarium dicant.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, & concilio, quod panis, qui est materia sacramenti Eucharistiæ, debet necessario esse triticeus. A scripturis quidem per hoc, quod Christus, qui se panem dicit *Joa. sexto*, comparat se grano frumenti, *Johan. 12. Nisi granum &c. ut in argumento contrar.* Item per hoc, quod *Mat. vigesimosexto*, & *Marc. decimoquarto*, & *Luc. 22. accepit JESUS panem, benedixit, &c. dicens, hoc est corpus meum.* Regula enim est etiam apud Philosophum, qui dicit: *Simpliter dico, quod nullo addito dico.* Unde, cum ibi *ly panem* dicatur nullo addito, idest, sine aliqua limitatione, seu specificatione, oportet dici, quod intelligatur de pane simpliciter dicto. Constat vero, quod panis simpliciter dictus non est, nisi panis triticeus. Cæteri enim panes cum additamento communiter vocantur: ut puta, panis speltæ, panis hordei, farris, milii, &c. Adde, quod non tantum communiter, idest, in communi locutione hominum, sic vocantur; sed etiam in sacro usu Evangelistarum, ut *Jo. 6. panes hordeaceos.* Quod si instetur, quod *Mat. 14. Mar. 6. Luc. 9.* dicunt simpliciter panes, quoniam non adunt *ly hordeaceos*; cum tamen essent hordeacei, quoniam est idem miraculum ibi ab omnibus narratum, ut apparet ex collatione circumstantiarum ejusdem litteræ miraculum ipsum de panibus narrantis. Si sic, inquam, instetur, magis confirmatur veritas prædicta circa regulam illam, & usum loquendi Evangelistarum. Nam & *Matthæus.* & *Marcus,* & *Lucas* (stante identitate miraculi cum Joanne) intelliguntur addidisse *ly hordeaceos*, et si expresse verbatim non addiderint. Ratio est, quia, nisi juxta regulam usitatam hominum additio illa ad *ly panes* non fuisset subintellecta ab ipsis, Joannes post illos scribens

semine paleæ, & ipsa palea tenax est & inherens, ut exuatur cum labore: Talis est littera veteris Testamenti, vestita seeminibus carnalium Sacramentorum: sed si ad medullam ejus perveniatur, pascit & satiat: Ut & paulo post: Venit in mysterio aliquando qui per medullam hordei ostendebatur, per paleam vero hordei occultabatur: Porro figurative tantum per hordeum ostendebatur, sed verius & expressius per triticum.

(*) Ita passim. *Codex Alcan.* ex semine grani. *Utrumque scriptum a D. Thoma, concilias Magdalena sic ex semine grani tritici.*

(**) Ita post *Garciam editi passim. Rom. Edit.* cum *cod. Alcan.* assumitur.

(1) Sic ex græco *αμυλλον* legi debet quasi confectum sine mola quam Græci *μύλον* vocant: Non ut corrupte passim & prius hic *amidum*.

bens non adderet ly *bordeaceos* : quoniam tunc suos coevangelistas de falsitate taxaret si eisdem panes vocatos panes simpliciter , etiam in sensu ipsorum , videns ab aliis , diceret non fuisse panes simpliciter , sed tantum cum additamento , scil. *bordeaceos* , Cum igitur nulla vel minima falsitas sit , imo nec esse possit , in canonicis scriptoribus , præcipue in Evangelistis , juxta firmam doctrinam S. Thom. idest *quest. 60. art. octavo, ad secundum* , oportet dicere , & quod alii tres Evangelistæ , dicendo ly *panes* , subintellerunt , quod erant panes solum cum additamento : & quod Joannes Evangelista quartus , dicendo ly *bordeaceos* , exprimere voluit additamentum illud , quod illos suos prædecessores in sensu tantum continuisse , cognoverat . Unde multa bona sic loquendo nobis aperuit : *primum* , quod panes simpliciter accepti sunt panes triticeus . *Secundum* , quod illi quinque panes non fuerunt simpliciter accepti ab aliis Evangelistis , licet fuissent simpliciter dicti , idest , ab eis prolati . *Tertium* , quod mos canonicorum scriptorum est , ut unus exprimat illud , quod alius subintelligendo tacuit . Quod quidem tertium etiam sanctus doctor , quasi a simili docens dixit 1. *quæst. prima , ar. nono . ea , quæ in uno loco scripturæ traduntur sub metaphoris , in aliis locis expressius exponuntur* , & art. 10. *non tamen ex hoc deperit aliquid sacre scripturæ , quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium , quod scripturæ per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat* . Hæc ille . Secundum ergo doctrinam hanc per locum a simili datam , & secundum morem Evangelistarum ad ly *accepit JESUS panem , &c. dicens ; hoc est corpus meum* , debuerat ab aliquo addi ly *bordeaceum* , vel aliquid hujusmodi , si per ly *panem* non debuisset absolute intelligi panis simpliciter , idest , triticeus : maxime cum tunc ageretur de re necessaria ad fidem profectione continua tanti sacramenti . Si enim tam sollicitus fuit Evangelista unus pro zelo manifestandæ veritatis , ut supra in re minoris momenti ad explicandum ly *bordeaceos* , ne fieret error intelligendo ly *panes* , ab aliis Evangelistis simpliciter prolatis , quomodo non magis fuisset sollicitus aliquis ipsorum ad exponendum per additionem aliquam ly *panem* , cum simpliciter dictum sit in ly *accepit JESUS panem* , nisi quilibet illorum firmiter cognovisset , quod , sicut ibi ly *panem* simpliciter proferebatur , ita & simpliciter intelligebatur ? Pro constanti ergo per

hoc denotare unanimiter omnibus legentibus voluerunt , quod panis a Domino nostro consecratus fuit panis sine additione dictus , idest , panis triticeus . Sed adhuc audi vocem , & expositionem Ecclesiæ . A Concilio igitur *Florentino* , ubi doctissimi Patres & Orientales , & Occidentales , pro declaranda dogmatis fidei veritate non sine Spiritus sancti ducatu , & assistentia convenerunt , insinuatum fuit intentum in principio hujus appendicis dictum , & ideo expositum , quemnam sensum habeant Evangelistæ , ubi de sacramento Eucharistiæ loquentes dicunt ly *accepit panem* . In decreto itaque Armenis dato , seu , ut alicubi prætitulatur , in constitutione Concilii *Florentini* , super unione Armenorum , cum venitur ad sacramentum hoc , dicitur ,, . Tertium est Eucharistiæ ,, sacramentum , cujus materia est panis ,, triticeus . *Et infra* . Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris , quibus hoc ,, sacramentum confecit . Nam ipsorum ,, verborum virtute substantia panis in corpus Christi convertitur . ,, Hæc ibi . Ubi ex serie plana contextus ejus vide expositionem supradictam . Ecce . Postquam præmisserat ly *panis triticeus* , subdit : quod Saluator confecit sacramentum verbis , idest , quod virtute verborum suorum substantia panis in corpus Christi conversa est . Unde didicit concilium , quod Christus pro conficiendo sacramento habuit panem ? Ab Evangelio utique . Hunc ergo panem , quem tunc excepisse Christum , videt in Evangelio , concilium ipsum interpretatur fuisse triticeum . Clara sunt omnia , & adeo , ut ampliori declaratione non egeant . Hoc solummodo pro ipsorum , similitudine in te firmiori tenacitate recolendum fore pro semper advertito , quod dixit Concilium *Tridentinum* sess. quarta , decreto de edition. & usu sacror. libror. ,, Nemo suæ prudentiæ innixus ,, in rebus fidei , & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium sacram scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum , quem tenuit , & tenet sancta mater Ecclesia , cujus est ,, judicare de vero sensu , & interpretatione scripturarum sanctarum , Scripturam ipsam ,, interpretari audeat . Hæc ibi . Quæ cum , supradictis , sicut etiam aliis quibuscumque , ubique , quandocumque dictis , vel dicendis , in omnibus conferas , & attende , ut ab Ecclesiæ norma numquam alicubi , vel ungue lato , discedas . *Secundo* vides quomodo &c

ARTICULUS IV. 436

*Utrum hoc Sacramentum debeat confici
ex pane azymo.*

*IV. dist. xi. quest. 11. art. 2. quest. 3. & IV.
cont. cap. lxxviii. & ap. 1. cap. lxi.
& Io. vi. lect. 2.*

AD quartum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum non debeat confici ex pane azymo. Debemus enim in hoc sacramento imitari institutionem Christi. Sed Christus videtur hoc sacramentum instituisse in pane fermentato: quia, sicut legitur Exodi xii. Judæi secundum legem incipiebant uti azymis in die Paschatis, quod celebratur quattadecima Luna: (1) Christus autem instituit hoc sacramentum in cœna, quam celebravit *ante diem festum Paschæ*, ut habetur Ioan. xiiii. Ergo & nos debemus hoc sacramentum celebrare in pane fermentato.

2. Præterea. Legalia non sunt observanda tempore gratiæ. Sed uti azymis fuit quædam legalis cæremonia, ut patet Exodi xii. Ergo in hoc sacramento gratiæ non debemus azymis uti.

3. Præterea. Sicut supra dictum est (quæst. lxxv. art. 1. & quæst. lxxiiii. art. 3.) Eucharistia est sacramentum caritatis, sicut baptismus fidei. Sed fervor caritatis significatur per fermentum, ut patet in Glossa (2) super illud Matth. xiiii. 33. *Simile est regnum celorum fermento &c.* Ergo hoc sacramentum debet confici de pane fermentato.

4. Præterea. Azymum, & fermentatum sunt accidentia panis non variantia ejus speciem. Sed in materia baptismi nulla discretio adhibetur circa differentiam accidentium aquæ; puta si sit falsa, vel dulcis, calida,

vel frigida. Ergo in hoc sacramento aliqua discretio adhiberi non debet, utrum panis sit azymus, vel fermentatus.

Sed contra est quod extra, de celebr. Missarum (cap. *Litteras*) (3) punitur sacerdos qui in pane fermentato, & scypho ligneo Missarum solemniter celebrare præsumpsit.

Respondeo dicendum, quod circa materiam hujus sacramenti duo possunt considerari, scilicet quid sit necessarium, & quid conveniens. Necessarium quidem est ut sit panis triticeus, sicut dictum est (art. præc.) sine quo non perficitur sacramentum. Non est autem de necessitate sacramenti quod sit azymus, vel fermentatus: quia in unoquoque confici potest. Conveniens autem est ut unusquisque fervet ritum suæ Ecclesiæ in sacramenti celebratione. Super hoc autem sunt diversæ Ecclesiarum consuetudines: dicit enim B. Gregorius in Registro (4) *Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem; sed Græca Ecclesiæ offerunt fermentatum, pro eo quod Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farine.* Unde sicut peccat Presbyter in Ecclesia Latinorum celebrans de pane fermentato; ita peccaret Presbyter Græcus in Ecclesia Græcorum celebrans de pane azymo, quasi pervertens Ecclesiæ suæ ritum.

Et tamen consuetudo de pane azymo celebrandi rationabilior est. Primo quidem propter institutionem Christi, qui hoc sacramentum instituit *prima die azymorum*, ut habetur Matth. xxvi. & Marci xiv. & Lucæ xxii. qua die nihil fermentatum in domibus Iudæorum esse debebat, ut habetur Exodi xii. Secundo quia panis est proprie sacramentum corporis Christi, quod sine corruptione conceptum est, magis quam Divinitatis ipsius, ut infra patebit (quæst. lxxvi.

(1) Sive decima quatta die primi mensis ut exprimitur ibi vers. 6. Dicitur porro *quattadecima Luna* ex Iudæorum usu qui dies mensis passim decursu Lunæ numerabant: Unde $\mu\alpha\delta$ græce *mensis*, & $\mu\alpha\upsilon$ Luna.

(2) Veteri manuscripta interlineali, non autem in moderna impressa sic expresse; quamvis collateralis ibi tale aliquid insinuet, ac id ad charitatem ex Rabano referat sicut & S. Thomas in Catena.

(3) Quod est Honorii 3. ad Episcopum Brixientem, qui super excessibus Presbyteri cujusdam Ecclesiæ S. Brigide Brixientis inquirens ex illius confessione cognoverat quod cum hostiam & calicem non haberet, in pane fermentato, &c. Imo etiam intelle-

Ho quod prædicta Ecclesia per malitiam Presbyteri multipliciter ladebatur, inquisitionis officium iterans ex ejusdem confessione invenerat quod sine igne sacris fiebat & aqua: Unde sic pronuntiat Honorius: *Cum igitur vel ex aperta malitia vel ex nimia desipientia peccasse probetur, mandamus quatenus officio & beneficio perpetuo ipsum privet.*

(4) Nihil tale nunc in Registro, idest in epistolis Gregorij: tamen quædam quæ ad Missæ ordinationem pertinent, ibi explicat & latinum a græco ritum ex professo distinguit lib. 7. Indict. 2. epist. 63. vel 62. Sed ex Innocentio 3. implicite colligi potest lib. 4. de mysteriis Missæ cap. 4. ubi paulo aliis verbis & prolixius explicatur.

LXXVI. art. 1.) Tertio quia hoc magis competit sinceritati fidelium, quæ requiritur ad usum hujus sacramenti, secundum illud I. Corinth. v. 7. *Pasccha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis.* (1)

Habet tamen hæc consuetudo Græcorum aliquam rationem & propter significationem, quam tangit Grægorius, & in detestationem hæresis Nazaræorum, qui legalia Evangelio miscebant.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut legitur Exodi xxi. solemnitas paschalis incipiebat (*) in vespere quartadecimæ Lunæ: & tunc Christus post immolationem agni paschalis hoc sacramentum instituit: unde hæc dies a Ioanne dicitur præcedere diem Paschæ, & a tribus aliis Evangelistis dicitur *prima dies azymorum*, quando fermentatum in domibus Judæorum non inveniebatur, ut dictum est (in corp.) Et de hoc supra notatum est plenius in tractatu dominicæ passionis (quæst. xlvj. art. 9. ad 1.)

Ad secundum dicendum, quod conficientes ex azymo non intendunt caeremonias legis servare, sed conformare se institutioni Christi: (2) & ideo non judaizant; alioquin & celebrantes in pane fermentato judaizarent, quia Judæi panes primitiarum fermentatos offerabant.

Ad tertium dicendum, quod fermentum significat caritatem propter aliquem effectum, quia scilicet panem facit sapidiorem; & majorem; sed corruptionem significat ex ipsa ratione suæ speciei.

Ad quartum dicendum, quod quia fermentum habet aliquid corruptionis, & ex pane corrupto non potest confici hoc sacramentum ut dictum est (art. præc. ad 4.) ideo magis attenditur circa panem differentia azymi, & fermentati, quam circa aquam baptismi differentia calidi, & frigidi: posset enim tanta esse corruptio fermenti quod ex eo non

posset confici sacramentum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem destruas errorem *Græcorum*, & *Armenorum* dicentium: quod Eucharistiæ sacramentum non potest confici in pane azymo, sed solum in fermentato. Secundo vides quomodo per rationem ostendas, errorem illum merito damnari a Concilio *Florent.* sess. ultim. in liter. sanct. union. „ Definimus, in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici: sacerdotesque in altero ipsorum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis, consuetudinem. „ Hæc ibi. Ubi notato maximam vim veritatis, quæ est hæc: quod ipsimet Græci seorsum a Latinis, tunc enim erant absentes, positi in domo Imperatoris sui ex lectione suorum adstricti fuerunt ad præmissæ veritatis amplexionem. Qua postmodum re notificata Latinis ex communi utrorumque consensu veritas illa & fuit definita, & in litteris sanctæ unionis collocata. Error ergo, qui de azymo excludendo a Græcis profectus irrationabiliter fuerat, ab eisdem postea rationabiliter correctus est. Vide illam sess. ult. parum ante litteras san. unionis. Ex prædicta sacrosancti concilii definitione patet, erroneam esse, & ab ecclesia damnatam illam positionem Scoti, ut refert frater Joseph Angles Valentinus ordinis Minorum, in *lib. 1. Flores Theolog. quæstionum, de Eucharistia articulo quarto, definitione 1.* dicentem, Græcos fortassis peccare conficientes in fermentato. Consequenter ergo erroneam magis, atque damnatam esse patet positionem Alphonsi de Castro, in *lib. suo adversus hæreses, tit. Euchar. 2.* dicentis idipsum sine fortassis: hoc est, dicentis absolute, quod Græci peccant eo quod conficiunt in fermentato. Ter-

170

(1) *Sinceritatis* contra peccati corruptionem: *Veritatis* contra figuras veteris legis, ut ibidem interpretatur S. Thomas: Vel sicut ipse addit secundum Glossam, *sinceritatis* propter innocentiam a vitis aut novitatem vitæ; sed *veritatis* propter bonorum operum justitiam sive rectitudinem designandam.

(*) *Ita communiter edit. Cod. Tar. & Alcan.* a vespere.

(2) Materiali tantum non formali; hoc est quæ in exemplum esse possit ad imitationem congruentem non in præceptum ad obligationem absolutam: Alio qui peccarent Græci vel etiam non conficerent, cum

celebrant in fermentato, si azymus ex instituto Christi esset. Quod autem fermentati primitiarum panes offerentur in Lege patet Levit. 7. vers. 12. & 13. ubi dicitur: *Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento conspersus oleo & lignis azyma, &c panes quoque fermentatos cum hostia gratiarum quæ immolatur pro pacificis: ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino, &c.* Et Levit. 23. vers. 16. & 17. *Offeretis Domino sacrificium, novum panes primitiarum duos de duabus decimis fermentata similia &c.*

ARTICULUS V. 436

Utrum vinum vitis sit propria materia hujus Sacramenti.

IV. dist. xi. quest. II. art. 3. quest. I. & I. Cor. xi. lect. 7. prin.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod non sit propria materia hujus sacramenti vinum vitis. Sicut enim aqua est materia baptismi, ita vinum est materia hujus sacramenti. Sed in qualibet aqua potest fieri baptismus. Ergo in quolibet vino, puta malorum granatorum, vel mororum, aut hujusmodi, potest confici hoc sacramentum; præsertim cum in quibusdam terris vites non crescant.

2. Præterea. Acetum est quædam species vini, quod de vite sumitur, ut Isidorus dicit (1) Sed de aceto non potest confici hoc sacramentum. Ergo videtur quod vinum vitis non sit propria materia hujus sacramenti.

3. Præterea. Sicut de vite sumitur vinum depuratum, ita etiam agresta, & mustum: Sed de his non videtur posse confici hoc sacramentum, secundum illud quod in VI. Synodo legitur (hab. in Conc. Quinisexto cap. xxviii. post Conc. Const. III.) *Didicimus quod in quibusdam Ecclesiis sacerdotes sacrificio oblationis conjungunt uvas; & sic simul utraque populo dispensant. Præcipimus igitur ut nullus sacerdos hoc ulterius faciat;*

(2) & Julius I. Papa (decreto vii.) reprehendit quosdam, qui expressum vinum in sacramento dominici calicis offerunt. Ergo videtur quod vinum vitis non sit propria materia hujus sacramenti.

Sed contra est quod sicut Dominus se comparavit grano frumenti, ita etiam se comparavit viti, dicens Joan. xv. 1. *Ego sum vitis vera.* Sed solus panis de frumento est materia hujus sacramenti, ut dictum est (art. 3. hu. quest.) Ergo solum vinum de vite est propria materia hujus sacramenti.

Respondeo dicendum, quod se solo vino vitis potest confici hoc sacramentum.

Primo quidem propter institutionem Christi, qui in vino vitis hoc sacramentum instituit, ut patet ex eo quod ipse dicit Matth. xxvi. 29. circa institutionem hujus sacramenti: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Secundo quia, sicut dictum est (art. 3. hu. quest.) ad materiam sacramentorum assumitur id quod proprie, & communiter habet talem speciem. Proprie autem vinum dicitur quod de vite sumitur; alii vero liquores vinum dicuntur secundum quamdam similitudinem ad vinum vitis. Tertio quia vinum vitis magis competit ad effectum hujus sacramenti, qui est spiritualis lætitia: quia scriptum est (Psal. ciii. 15.) quod *vinum lætificat cor hominis.*

Ad primum ergo dicendum, quod illi liquores non dicuntur proprie vinum, sed secundum quamdam similitudinem. Potest autem verum vinum ad terras illas deferri, in quibus vites non crescant, quantum sufficit ad

(1) Colligitur ex libro 20. etymologiarum vel originum cap. 3. ubi vini differentias enumerans: *Acetum (inquit) quia acutum, vel quia aqua mixtum: Vinum enim aqua mixtum cito in hunc saporem redigitur.*

(2) Refertur in decretis distinct. 2. de consecrat cap. *Didicimus:* Cui etiam subnectitur quod ex Julio Papa hic subiunctum est, ut cap. *Cum omne erimen,* immediate sequenti patet; ubi statim post initium sic dicitur: *Audivimus quosdam schismatica ambitione detentos, contra divinos ordines & apostolicas institutiones lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare; alios quoque intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere; quosdam etiam expressum vinum in sacramento dominici calicis offerre: alios vero pannum lineum musto intinctum per totum annum reservare, & in tempore sacrificij partem ejus aqua lavare, & sic offerre: Quod quam sit evangelice atque apostolice doctrine contrarium & consuetudini ecclesiastica adversum, non difficile ab ipso fonte veritatis probabitur a quo*

ordinata ipsa sacramentorum mysteria processerunt: Cum enim magister veram salutis nostra sacrificium suis commendaret discipulis, non illis lac sed panem tantum & calicem sub hoc sacramento dedisse cognovimus: Legitur enim &c. (Matth. 26.) Cessat ergo lac in sacrificio offerri, quia evidens evangelice veritatis exemplum illuxit quod præter panem & vinum aliud offerri non licet: Illud vero quod pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Evangelio testimonium recipit, id est non patitur hoc dici, ubi Apostolis corpus suum & sanguinem commendavit: Scorsum enim panis & scorsum calicis commendatio memoratur: Nam intinctum panem aliis Christum præbuisse non legimus, excepto illo tantum discipulo quem intincta buccella magistri proditorem offenderet, non sacramenti hujus institutionem signaret, Nam quod de expresso botro, id est de uvarum granti populus communicat, valde est omnino confusum: &c.

ad hoc sacramentum.

Ad secundum dicendum, quod vinum fit acetum per corruptionem: unde non fit re-
ditus de aceto in vinum, ut dicitur VIII.
Metaph. (tex. 14.) Et ideo sicut de pane
totaliter corrupto non potest confici hoc sa-
cramentum, ita nec de aceto. Potest autem
confici de vino acescenti, sicut & de pane
qui est in via ad corruptionem, licet peccet
consciens, ut prius dictum est (art. 3. hu.
q. n. ad 4.)

Ad tertium dicendum, quod agresta est
in via generationis; & ideo nondum habet
speciem vini: & propter hoc de ea non pos-
test confici hoc sacramentum. Mustum au-
tem jam habet speciem vini: nam ejus dul-
cedo atrestatur digestionem, quæ est (*) com-
pletio a naturali calore, ut dicitur in IV.
Meteor. (cap. III. parum a princ.) &
ideo de musto potest confici hoc sacramentum.
Non tamen debent uvæ integræ huic sacra-
mento misceri, quia jam esset ibi aliquid
præter vinum. Prohibetur etiam he mustum
statim expressum de uva in calice offeratur,
quia hoc est indecens propter impuritatem
multam. Potest tamen in necessitate fieri: di-
citur enim ab eodem Julio Papa (loc. cit.
in arg.) *Si necesse fuerit, detrusus in calice
comprimatur.*

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per ratio-
nem interimas hæresim *Aquatiorum* dicen-
tium: Pro calicis consecratione non appo-
nendum esse vinum, sed solam aquam. *Se-
cundo* habes: quomodo per rationem osten-
das, illam merito damnari a Concilio *Car-
thaginensi tertio*, cap. 24. „In sacramentis
„ corporis, & sanguinis Domini nihil am-
„ plius offeratur, quam ipse Dominus tradi-
„ dit, hoc est, panis & vinum. Nec am-
„ plius in sacrificiis offeratur, quam de uvis
„ & frumentis. „ Hæc illud, quod quidem
confirmatum fuit a sexta Synodo in Trullo
celebrata. Vinum enim de uvis est vinum
de vite, sicut panis de frumentis est panis de
tritico. Item ab ipsa Christi institutione fa-
cta in propria persona; ut narrat Evan-
gelistæ. Nam ea, quæ instituta sunt a Do-

mino in sacramentorum perfectione, sunt de
necessitate ipsorum, q. 64. art. 2. 3. Quod
tamen, ut absque errore intelligas, vide hic
not. post ad primum. Item a Concilio *Flo-
rent.* expressis verbis asserente, quod materia
hujus sacramenti est vinum de vite, ut in
ar. 1. appen. videre potes. Ubi nota, quod
Concilium hoc in loco sufficit ad exponen-
dum vinum dictum ab Evangelistis *Matth.*
26. Mar. 14. Luc. 22. narrantibus consecra-
tionem factam a Domino, etiam quod ipsi
tres Evangelistæ non expressissent (ut ex-
presserant) quod illud vinum erat de gene-
ratione vitis. Ratio, quod sufficeret Conci-
lium ad sic exponendum est dicta in *ar. 3.*
appen. a ly *simpliciter dico, quod nullo addito
dico, &c.* usque ad finem. Tertio vides quo-
modo &c.

A R T I C U L U S VI. 437

Utrum aqua sit vino permiscenda.

IV. dist. XI, quest. XI. art. 4. quest. 1. & L
Cor. XI. lect. 6.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod
aqua non sit vino permiscenda. Sacri-
ficium enim Christi figuratum fuit per obla-
tionem Melchisedech, qui Gen. XIV. non
legitur obtulisse nisi panem, & vinum. Ergo
videtur quod in hoc sacramento non debeat
adjungi aqua.

2. Præterea. Diversorum sacramentorum
diversæ sunt materiæ. Sed aqua est materia
baptismi. Ergo non debet assumi ad mate-
riam hujus sacramenti.

3. Præterea. Panis, & vinum sunt mate-
ria hujus sacramenti. Sed panis nihil adjun-
gitur. Ergo nec vino debet aliquid adjungi.

Sed contra est quod Alexander I. Papa
scribit (epist. 1. ad omnes orthodox. cap. IV.)
*In sacramentorum oblationibus, que inter Mis-
sarum solemniam Domino offeruntur, panis tan-
sum, & vinum aqua permixtum in sacrificium
offerantur. (1)*

Respondeo dicendum, quod vino, quod
offeritur in hoc sacramento, debet aqua mi-
sceri.

Primo quidem propter institutionem. Pro-
babi-

(*) Ita cum mss. edis. omnes libri. Dominicus
Soto legit completa.

(1) Vel sic plenius epist. 1. cap. 4. *In sacramen-
torum oblationibus qua inter Missarum solemniam Do-*

*mino offeruntur, passio Domini miscenda est, ut cu-
jus corpus & sanguis conficitur, ejus passio celebra-
tur: ita ut repulis opinionibus superstitionum panis
tantum & vinum, &c.*

babiliter enim creditur quod Dominus hoc sacramentum instituerit in vino aqua permixto secundum morem illius terræ : unde & Proverb. ix. 5. dicitur *Bibite vinum quod miscui vobis*. Secundo quia hoc convenit representationi dominicæ passionis : unde dicit Alexander L. Papa (loc. cit.) *Non debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum : quia utrumque ex latere ejus in passione sua profluxisse legitur*. (1) Tertio quia hoc convenit ad significandum effectum hujus sacramenti, qui est unio populi christiani ad Christum ; quia, ut Julius I. Papa dicit (in decreto VII.) *videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur*. (2) Quarto quia hoc competit ad ultimum effectum hujus sacramenti, qui est introitus ad vitam æternam : unde Ambrosius dicit in Lib. V. de sacramentis (cap. 1. a med.) *Redundat aqua in calicem, & salis in vitam æternam*.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Ambrosius dicit ibidem, sicut sacrificium Christi significatum est per oblationem Melchisedech, ita etiam significatum est per aquam, quæ in eremo fluxit de petra, secundum illud I. Cor. x. 4. *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra*.

Ad secundum dicendum, quod aqua assumitur in baptismo ad usum ablutionis ; in hoc autem sacramento assumitur ad usum refectiois, secundum illud Psalm. xxii. 3. *Super aquam refectiois educavit me*.

Ad tertium dicendum, quod panis ex aqua & farina conficitur : & ideo cum vino aqua miscetur, neutrum sine aqua existit.

EX art. habes primo : quomodo per rationem destruas errorem *Græcorum, & Armenorum* dicentium : Aquam cum vino in calice non esse miscendam. Secundo habes : quomodo per rationem ostendas, ipsum merito damnari a Papa *Alexandro*, secundum quod ponitur in *argum. contr.* Item a Concilio *Florent.* de sacramento Eucharistiæ sic desinente. „ Cujus materia est, &c. vinum „ de vite, cui ante consecrationem aqua mo- „ dicissima admisceri debet. Aqua autem „ ideo admiscetur, quoniam, juxta testimonium „ sanctorum Patrum, creditur, ipsum „ Dominum in vino aqua permixto hoc in- „ stituisse sacramentum. Deinde, quia hoc „ convenit dominicæ passionis representationi „ inquit enim B. Alexander Papa I. a „ B. Petro edoctus. In sacramentorum obla- „ tionibus, quæ intra Missarum solemnias „ Domino offeruntur, panis tantum, & vi- „ num aqua permixtum in sacrificium offe- „ rantur. Non enim debet in calice Domi- „ ni aut vinum solum, aut aqua sola offerri, „ sed utrumque permixtum : quia utrum- „ que, idest, sanguis, & aqua, ex latere „ Christi profluxisse legitur. Tum etiam, „ quod convenit ad significandum hujus sa- „ cramenti effectum ; qui est unio populi „ Christiani ad Christum. Aqua enim popu- „ lum significat, secundum illud Apocalypsis : „ Aquæ multæ populi multi. Et Ju- „ lius Papa I. post B. Sylvestrum ait : Calix „ Dominicus, juxta canonum præceptum „ vino, & aqua permixtum debet offerri ; „ quia videmus, in aqua populum intelligi, „ in vino vero ostendi sanguinem Christi. „ Ergo, cum in calice vinum, & aqua mi- „ scetur, Christo populus adunatur : & fi- „ delium plebs, in quem credit, copulatur, „ & juu-

(1) Immediate post prædicta, interjiciens hanc parenthesim, ut a *Patribus accepimus* & ipsa ratio docet : Utrumque autem in Decretis refertur distinctè. 2. de consecrat. cap. In sacramentorum sicut prius.

(2) Sive adunari significatur, Unde paulo post infert : Ergo quando borvus solus offertur, in quo vini tantum efficientia designatur, sacramentum salutis negligitur quod per aquam significatur, &c. Quod autem subjungitur ex Ambrosio, allusio est ad illud Christi (Joan. vers. 13.) *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum : sed aquam quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, &c.* Petro aquam refectiois, allu-

sione tantum sacramento Eucharistiæ S. Thomas applicat, cum ipsimet secundum Glossam de baptismo explicaverit quest. 69. art. 4. ad 2. & sic explicent Augustinus, Cassiodorus, Theodoretus ; ac alij quilibet interpretes : Nisi quod Albertus magnus ibi aquam refectiois dici baptismum notat, quia statim adulto baptizato Eucharistia datur ; quasi refectioem strictè pro cibo sumat : Sed in refectiois voce vis nulla est ; cum juxta græcum *ἀνακτιστος* idem sit profus refectiois ac requies : quod præcise ad cibum non pertinet ; sed qualemcumque refectioem vel virium reparatioem & recreatioem significat.

„ & jungitur . „ Hæc illud in confluit. Con-
 cil. Flor. super unio. Armen. Item a Conci-
 lio 6. generali celebrato Constantinopoli in
 Trullo, cano. 32. „ Quoniam novimus in
 „ Armenorum regione vinum tantum in sa-
 „ cra mensa offerri aquam illi non miscen-
 „ tes, qui incruentum sacrificium peragunt,
 „ prætexentes Ecclesiæ Doctorem, Joannem
 „ Chrysostrum, in interpretatione Matthæi
 „ hoc asserentem, ut jam nunc ab igno-
 „ rantia liberentur: illius patris mentem or-
 „ thodoxe aperimus. Cum enim antiquam
 „ Hydroparastarum hæresim, qui pro vino
 „ sola aqua in sacrificio usi sunt, subverte-
 „ ret; illam orationem composuit, in qua
 „ aqua in sacrificio Missæ adjunctionem a-
 „ movere illi existimant: cum tamen non
 „ doceat sanctus, per solum vinum oblatio-
 „ nem fieri. Quandoquidem & suæ Ecclesiæ
 „ ubi est illi pastoralis administratio tradita,
 „ aquam vino miscendam tradidit, quando
 „ incruentum peragi sacrificium oportet; &
 „ in omni etiam Ecclesia, ubi spiritualia
 „ lumina refulserunt, hic ordo divinitus tra-
 „ ditus servatur. Nam & Jacobus frater Do-
 „ mini, & Basilus Cæsariensis Archiepiscopus
 „ (cujus gloria omnem terrarum orbem
 „ pervasit) mystico nobis in scripto tradito
 „ sacrificio, ita peragendum in sacro mini-
 „ sterio ex aqua, & vino sacrum poculum,
 „ ediderunt. Et, qui Carthagine convene-
 „ runt, sancti Patres ita aperte tradiderunt.
 „ Si quis ergo Episcopus, vel presbyter non
 „ secundum traditum ab Apostolis ordinem
 „ facit; deponatur. „ Hæc ibi. Ex quibus
 „ hanc regulam perpetuo memorandam etiam
 „ notabis, scilicet quod inspicienda est intentio
 „ scribentium Doctorum juxta subjectam ma-
 „ teriam, de qua tunc loquuntur, ut de eorum
 „ mente sanum intellectum habere possimus.
 „ Errarunt enim Armeni in legendo D. Chry-
 „ sostrum, quia non servarunt hanc regulam
 „ ut constat ex Concilio illo; quod hac regu-
 „ la innixum, Spiritus sancto rectore, mentem
 „ veram Doctoris prædicti in eadem lectura &
 „ attigit, & nobis manifestavit. Item a Con-
 „ cil. Trid. sess. 2. c. 7. Monet sancta Syno-
 „ dus, præceptum esse ab Ecclesia sacerdo-
 „ tibus, ut aquam vino in calice offerendo
 „ miscerent, tum quod Christum ita fecisse
 „ Summ. S. Th. Tom. XX.

„ credatur, tum quia e latere' ejus simul
 „ cum sanguine exierit (quod sacramentum
 „ hac mixtione recolitur) &, cum aqua
 „ populi dicantur, ipsius populi fidelis cum
 „ capite Christo unio repræsentatur. „ Hæc
 „ ibi. Tercio vides quomodo &c.

A R T I C U L U S VII. 438

Utrum permissio aque sit de necessitate hujus Sacramenti.

Inf. quest. lxxxiii. art. 6. ad 4. & 6. & IV. dist. xi. quest. 11. art. 4. quest. 2. & 3. & I. Cor. xi. lect. 6.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod permissio aquæ sit de necessitate hujus sacramenti. Dicit enim Cyprianus ad Cæciliium (Lib. II. epist. 111. inter med. & fin.) *Sic calix Domini non est aqua sola, & vinum solum, nisi utrumque misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, nisi utrumque, scilicet farina, & aqua, fuerit adunatum.* Sed admixtio aquæ ad farinam est de necessitate hujus sacramenti. Ergo pari ratione admixtio aquæ ad vinum.

2. Præterea. In passione Domini, cujus hoc sacramentum est memoriale, sicut de latere ejus exivit sanguis, ita & aqua. Sed vinum, quod est sacramentum sanguinis, est de necessitate hujus sacramenti. Ergo pari ratione & aqua.

3. Præterea. Si aqua non esset de necessitate hujus sacramenti, non referret quæcumque aqua huic sacramento apponeretur; & ita posset apponi aqua rosacea, vel quæcumque alia hujusmodi aqua: quod non habet usus Ecclesiæ. Aqua ergo est de necessitate hujus sacramenti,

Sed contra est quod Cyprianus dicit (loc. cit.) *Si aliquis de antecessoribus nostris vel ignoranter, vel simpliciter non hoc observavit, ut scilicet aquam vino misceret in sacramento, potest simplicitati ejus venia concedi: quod non esset, si aqua esset de necessitate sacramenti, sicut est vinum, vel panis.* Non ergo aquæ admixtio est de necessitate sacramenti. (1)

Respondeo dicendum, quod iudicium de

S signo

(1) Nec obstat illud quod Eugenius 4. in Decreto post Concilium Florentinum sic dicit: *Aqua ideo admiscetur, quoniam juxta testimonia sanctorum Patrum creditur ipsam Dominum in vino aqua per-*

mixto hoc instituisse sacramentum: Non enim per hæc verba intendit quod sic instituerit Christus ut hujusmodi admixtio ad essentiam sacramenti vel ad necessitatem pertineret; sed quod in ipsa ejus instituendi

signo sumendum est ex eo quod significatur. Appositio autem aquæ ad vinum refertur ad significandam participationem huius sacramenti a fidelibus, quantum ad hoc quod per aquam mixtam vino significatur populus adunatus Christo, ut dictum est (art. præc.) Sed & hoc ipsum quod de latere Christi pendens in cruce aqua profluxit, ad idem refertur: quia per aquam significatur ablutio peccatorum, quæ fiebat per passionem Christi.

Dictum est autem supra (quæst. præc. art. 1. ad 3.) quod hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ: usus autem fidelium non est de necessitate sacramenti, sed est aliquid consequens ad sacramentum. Et ideo consequens est quod appositio aquæ non fit de necessitate sacramenti.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum illud Cypriani est intelligendum, secundum quod dicitur illud esse non posse quod convenienter esse non potest. Et sic similitudo illa attenditur quantum ad id quod debet fieri, non autem quantum ad necessitatem: nam aqua est de essentia panis, non autem de essentia vini.

Ad secundum dicendum, quod effusio sanguinis directe pertinebat ad ipsam Christi passionem; est enim naturale corpori humano vulnerato quod ex eo profuatur sanguis. Sed effusio aquæ non fuit de necessitate passionis, sed ad demonstrandum effectum passionis, qui est ablutio a peccatis, & refrigerium contra ardorem concupiscentiæ. Et ideo aqua non seorsum offertur a vino in hoc sacramento, sicut vinum offertur seorsum a pane; sed aqua offertur vino permixta, ut ostendatur quod vinum per se pertinet ad hoc sacramentum, tamquam de eius necessitate existens, aqua autem secundum quod adiungitur vino.

Ad tertium dicendum, quod quia admixtio aquæ ad vinum non est de necessitate sacramenti, non refert, quantum ad sacramenti necessitatem, quæcumque aqua misceatur vino, sive naturalis, sive artificialis, ut rosacea; quamvis quantum ad convenientiam sacramenti peccet qui aliam aquam miscet nisi naturalem, & veram: quia de latere Christi apendentis in cruce aqua vera profluxit, non humor phlegmaticus, ut quidam dixerunt, ad ostendendum quod corpus Christi erat

tuendi actione vinum cum aqua misceat propter significationes hic notatas quas Eugenius ipse assert: Nec sancti Patres quorum testimonia insinuat, aliud volunt: Cum Jacobus in sua Liturgia tom. 12. Bibliothecæ novæ Patrum, *Accipiens calicem* (inquit) *ac permiscens ex vino & aqua* &c. Marcus in sua quoque Liturgia isdem plane verbis ac Jacobus: Et similiter Clemens lib. 8. Constitutionum apostolicarum cap. 17. *Miscens calicem ex vino & aqua; & sanctificans* &c. Minus expresse autem Irenæus contra hæreses lib. 4. cap. 57. *temperamentum calicis id est permixtionem suam sanguinem confirmavit*: Et Rabilius in Liturgia quoque sua, *calicem accipiens ex genimine vitis, miscens, gratias agens* &c. Ut & Justinus Martyr Apol. 2. pro Christianis ad Antoninum Pium: *Ansistis post preces parum panis & calix aqua ac vini diluti offertur, atque ita ipse capiens*, &c. Damascenus de orthodoxa fide lib. 4. cap. 14. *Accipiens calicem ex vino & aqua*: Hieronymus præsumptivus vel sub eius nomine suppositivus auctor in Marc. 14. *formans sanguinem suum in calicem vino & aqua mixtum: ut alio purgemur a culpis, alio redimamur a panis*: Concilium Carthaginense 3. can. 24. *In Sacramentis corporis & sanguinis Domini nihil amplius offertur quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aqua mixtum*. De Cypriano autem hic relato aliud addi potest: Nempè quod quia *intelligentia doctorum ex causis est assumenda dicendi*, ut alia occasione loquitur Hilarius, prædicta vero verba dicit Cyprianus ad Aquarios resellentes qui solam aquam in calice

Eucharistico adhibendam & consecrandam contendebant, eo directe sensu explicanda sunt, ut ad vini necessitatem absolutam ex instituto Christi referantur, non ad necessitatem aquæ quam indirecte tantum insinuat: Nec sequendus est hac in parte, si quid amplius intellexit. Unde hunc ejus locum Augustinus recensens lib. 4. de doctrina Christi, cap. 22. ex eo tantum illud refert *dominicam traditionem sic servandam ut calix vino mixtus offeratur; quia cum dicat Christus*. Ego sum vitis vera, sanguis Christi non est utique aqua sed vinum. &c. Tametsi porro quod ex illo refertur argum. *Sed contra* superius ad aquam mixtionem referri possit, sicut retulit S. Thomas, ad mixtionem tamen vini referendum videtur ex ibidem adjunctis; quasi non solum vinum sine aqua, sed solam quam offerentium sine vino, ignorantia vel simplicitas excusetur; quantumvis ex præcepto divino & ex necessitate sacramenti vinum fit consecrandum, & nulla sit consecratio si vinum desit: Non sic de aqua dicendum est, quæ non modo non tollit Sacramentum si apposita non fuerit, sed nec apponi nisi ex Ecclesiæ præcepto debet; ut cap. 7. Sessiois 21. in Concilio Tridentino satis expresse declaratur his verbis: *Monet sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesiis sacerdotibus ut aquam vino in calice offerendo miscerent*: Et postea can. 9. *Si quis dixerit aquam non miscendam esse vino, eo quod sit contra institutionem Christi anathema sit*: Quo simul quidam Catholici aquam ex præcepto divino requirentes, & hæretici quasi ex instituto Christi solum vinum volentes reselluntur.

Utrum aqua debeat in magna quantitate apponi.

IV. dist. XI. *quest. II. art. 4. quest. 4. & I. Cor. XI. lect. 6.*

erat vere compositum ex quatuor elementis; sicut per sanguinem fluentem ostendebatur, quod erat compositum ex quatuor humoribus, ut Innocentius III. dicit in quadam Decretali (quæ. hab. cap. In quadam de celebrat. Miss.) Quia vero admixtio [a]quæ ad farinam est de necessitate hujus sacramenti, utpote constituens substantiam panis, si farinæ admisceretur aqua rosacea, vel quicumque alius liquor quam vera aqua, non posset ex eo confici sacramentum, quia non esset verus panis.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a Cypriano, & Concilio, quod aquæ permixtio in calicē non est de necessitate sacramenti. A D. Cypriano quidem; ut in *argum. contr.* Ubi notabis, quod ex facilitate veniæ condonandæ in hoc peccantibus monstratur, ipsum Cyprianum non judicasse, aquæ permixtionem esse de necessitate sacramenti. Zelo siquidem admodum majore excanduisset sanctus ille contra hujusmodi, sciens, quod secundum mensuram delicti debet quoque mensurari plagarum modus. *Deuteronom. 25.* & quod ignorantia, vel simplicitas sufficiens ad excusandum in re minori, non sufficit ad excusandum in re majori (ut de se patet, & ex 1. 2. *quest. 76. artic. 3. 4.*) A Concilio item Florent. idipsum insinuat, dicente, quod *materia, &c. est vinum de vite, cui aqua admisceri debet* (ut refertur art. 6. *append.*) Non enim dixit (ut contextus prior exposcere videbatur) *materia, &c. est panis, & vinum, & aqua*, sed tanquam ex phrasi locutionis utriusque diversa innuens aliquam differentiam illorum priorum ab aqua per respectum ad esse materiam, prælegit interjecto obliquo dicere, *cui aqua admisceri debet*. Ac si per istum loquendi modum clarius dixisset. Panis, & vinum sunt Eucharisticæ materia directæ, idest necessaria, aqua vero admixta vino est materia quodam modo obliqua, idest non sic necessaria. *Secundo vides: quomodo &c.*

AD octavum sic proceditur. Videtur quod oporteat aquam in magna quantitate apponi. Sicut enim sanguis de latere Christi sensibiliter fluxit, ita & aqua: unde dicitur Joan. XIX. 35. *Qui vidit, testimonium perhibuit.* Sed aqua non posset sensibiliter esse in hoc sacramento, nisi in magna quantitate poneretur. Ergo videtur quod aqua debeat apponi in magna quantitate.

2. Præterea. Parva aqua multo vino admixta corrumpitur. Quod autem corruptum est, iam non est. Ergo idem est apponere parum de aqua in hoc sacramento, & nihil apponere. Sed non licet nihil apponere. Ergo non licet parum apponere.

3. Præterea. Si sufficeret parum apponere, per consequens esset sufficiens quod gutta aquæ in totum dolium projiceretur. Sed hoc videtur ridiculum. Ergo non sufficit quod parva quantitas apponatur.

Sed contra est quod extra, de celebr. *Misfarum* (cap. XIII.) dicitur: *Perniciosus in suis partibus inolevit abusus, videlicet quod in majori quantitate de aqua in sacrificio ponitur quam de vino; cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesie generalis plus in ipso sit de vino quam de aqua ponendum.*

Respondeo dicendum, quod circa aquam adjunctam vino, sicut Innocentius III. dicit in quadam Decretali (cap. *Cum Marthe*, de celebr. *Miss.*) triplex est opinio.

Quidam enim dicunt, quod aqua adjuncta vino per se manet, vino converso in sanguinem. Sed hæc opinio stare non potest: quia in sacramento altaris post consecrationem nihil est nisi corpus, & sanguis Christi. Sicut enim Ambrosius dicit in Lib. de officiis (hab. in Lib. de initiand. cap. IX. a med.) *ante benedictionem alia species nominatur, post benedictionem corpus Christi significatur*: alioquin non totum adoraretur veneratione laicorum.

Et ideo alii dixerunt, quod sicut vinum convertitur in sanguinem, ita aqua convertitur in aquam, quæ de latere Christi fluxit. Sed nec hoc rationabiliter dici potest: quia secundum hoc aqua seorsum consecraretur

tur a vino, sicut vinum a pane.

Et ideo, sicut ipse dicit (scilicet Innocentius loc. cit.) aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam converti in vinum, & vinum in sanguinem. Hoc autem fieri non posset, nisi adeo modicum apponeretur de aqua quod converteretur in vinum. Et ideo semper tutius est parum de aqua apponere, & præcipue si vinum sit debile: quia si tanta fieret appositio aquæ ut solveretur species vini, non posset perfici sacramentum. Unde Julius I. Papa (in decreto VII.) reprehendit quosdam qui pannum lineum musto intinctum per totum annum servant, & in tempore sacrificii aqua partem ejus lavant, & sic offerunt.

Ad primum ergo dicendum, quod sufficit ad sacramenti hujus significationem quod sentiat aqua, cum apponitur vino; non autem oportet quod sit sensibilis post mixtionem.

Ad secundum dicendum, quod si aqua omnino non apponeretur, totaliter excluderetur significatio; sed cum aqua in vinum convertitur, significatur quod populus Christo incorporatur.

Ad tertium dicendum, quod si aqua apponeretur dolio, non sufficeret ad significationem hujus sacramenti; sed oportet aquam vino apponi circa ipsam celebrationem sacramenti.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, Papa, & Concilio, quod aqua non in magna, sed in parva quantitate, debet apponi in calice. A Papa quidem *Honorio III.* extra de celebr. Missæ *Perniciosus error*, &c. ut in *arg. cons.* Ratio autem, quod talis error sit perniciosus, constat ex supradictis in probat. concl. & ex a. 6. a Conc. autem *Flor.* ut supra in *exam. post ad secundum & a. 6. append.* per ly *paulum*, & ly *modicissima*. Ex quibus verbis patet etiam cæcipientibus, & quod Concilii mens est, quod aqua mixta convertatur in vinum, & quod hoc ideo præcipit (sicut etiam *Honorius* sup.) ut aqua infallibiliter converti possit, atque convertatur in vinum. A scripturis vero per hoc, quod dicitur Joan. 1. Pater sancte serva eos, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos. Non pro his rogo tantum, sed pro his, qui credituri sunt per verbum eorum, in me, ut & ipsi in nobis unum sint. Per hæc enim verba Salvatoris nostri Chri-

sti, si ad materiam presentem (ut potest, & debet) applicentur, instruimur, quod aqua vino mixta in vinum convertenda est, & quod ideo in modicissima quantitate est apponenda ipsi. Dixi ly *ut potest*, & *debet*: quia *Innoc. III.* sic facto suo nos docuit, dum ait extra, de celebratione Missarum. c. *cum Mart.* „ Inter opiniones prædictas „ illa probabilior judicatur, quæ asserit a „ quam cum vino in sanguinem transmuta „ ri. Nam, cum aquæ multæ sint populi „ multi, juxta quod alibi legitur: Beati, „ qui seminant super aquas; ideo vino aqua „ unitur, ut Christo populus adunetur. Per „ hoc enim, quod suscepit ipse de nostro, „ & accepimus ipsi de suo, tam insolubili „ nexu conjungimur, ut, qui est unum cum „ patre per ineffabilem unitatem, fiat unum „ nobiscum per admirabilem unionem, ac „ per hoc, ipso communiser mediante, cum „ patre unum efficiamur. Pater, inquit, san „ cte serva eos, quos dedisti mihi „ &c. ut supra. Hæc ibi. Ubi expone ly *aquam cum vino in sanguinem transmutari*, idest vinum, quod sibi aquam incorporavit, idest in quod aqua jam est conversa. Non enim duo transeunt in sanguinem, sed unum tantum, idest vinum prædictum. Nam, quia in vinum conversio aquæ facta veraciter præsupponitur a Papa, dum solum vinum postea in sanguinem convertitur, aquam cum vino in sanguinem transmutari, ab ipso dicitur. Hinc fit, quod, stante etiam veritate istius dicti summi Pontificis, prout declarata est, numquam legis in decisionibus fidei factis postea, puta a Conciliis *Viennensi*, *Florentino*, *Tridentino*, quod aqua convertatur in sanguinem, sed tantum, quod vinum convertatur in illum. *Secundo* vides, &c.

QUÆSTIO LXXV.

De conversione panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi,

in octo articulos divisa.

DEinde considerandum est de conversione panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi: & circa hoc queruntur octo.

Primo, utrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem, an solum secundum figuram, vel sicut in signo.

Secundo, utrum in hoc sacramento remaneat substantia panis, & vini post consecrationem.

Ter-

Tertio, utrum substantia panis, vel vini post consecrationem hujus sacramenti annihilatur, aut in pristinam materiam resolvatur.

Quarto, utrum panis possit converti in corpus Christi.

Quinto, utrum in hoc sacramento post conversionem remaneant accidentia panis, & vini.

Sexto, utrum facta consecratione, remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis.

Septimo, utrum ista conversio fiat in instanti.

Octavo, utrum hæc sit falsa: *Ex pane fit corpus Christi.*

ARTICULUS I. 440

Utrum in hoc Sacramento sit corpus Christi secundum veritatem.

Sup. quest. lxxv. art. 3. cor. prin. & inf. quest. lxxvi: per totam, & IV. dist. dist. 1. princ. & IV. cor. cap. lxi. & I. Corinth. xi.

AD primum sic proceditur. Videtur quod in hoc sacramento non sit corpus Christi secundum veritatem, sed solum secundum figuram, vel sicut in signo. Dicitur enim Joan. vi. 54. quod cum Dominus dixisset, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem &c.* multi ex discipulis ejus audientes, dixerunt: *Durus est hic sermo: quibus ipse dixit: Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quicquam: quasi diceret, secundum expositionem Augustini super Psal. xcvi. (parum a med.) (1), Spiritus ritualiter intelligite quæ locutus sum: non hoc corpus quod videtis, manducatur estis, & bibituri illum sanguinem quem susuri sunt qui me crucifigent. Sacramen-*

„ tam autem quod vobis commendavi, spiritus ritualiter intellectum vivificabit vos; caro autem non prodest quicquam, „

2. Præterea. Dominus dicit Matth. ult. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi: quod exponens Augustinus (tract. xxx. in Joan. a princ.) dicit: „ Donec sæculum finiatur, „ sursum est Dominus; sed tamen & hic „ nobiscum est veritas (*) Domini (2): corpus enim, in quo resurrexit, in uno loco „ oportet esse; veritas autem ejus ubique „ diffusa est. „ Non ergo secundum veritatem est corpus Christi in hoc sacramento, sed solum sicut in signo.*

3. Præterea. Nullum corpus potest esse simul in pluribus locis, cum nec Angelo hoc conveniat: eadem enim ratione posset esse ubique. Sed corpus Christi est verum corpus, & est in cælo. Ergo videtur quod non sit secundum veritatem in sacramento altaris, sed solum sicut in signo.

4. Præterea. Sacramenta Ecclesiæ ad utilitatem fidelium ordinantur. Sed secundum Gregorium in quadam homilia (xxviii. in Evang. a princ.) Regulus reprehenditur, quod quærebatur corporalem Christi præsentiam: Apostoli etiam impediuntur recipere Spiritum sanctum, propter hoc quod affecterant ad ejus præsentiam corporalem, ut Augustinus dicit super illud Joan. xvi. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos (tract. xciv. in Joan. a med. (3))* Non ergo Christus secundum præsentiam corporalem est in sacramento altaris.

Sed contra est quod Hilarius dicit in VII. de Trin. (inter princ. & med.) *De veritate carnis, & sanguinis Christi non est veliculus ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra caro ejus vere est cibus, & sanguis ejus vere est potus.* Et Ambrosius

(1) Ad illa verba vers. 5. *Adorate scabellum pedum ejus: ubi scabellum pedum Christi terram interpretatur juxta illud ex Isaiæ 66. vers. 1. Terra scabellum pedum meorum; terram autem interpretatur carnem Christi de terra sumptam, &c.*

(*) Ita communiter. Nicolajus Dominus, ut manuscriptum summæ habet.

(2) Immo Dominus manuscriptum summæ habet; ac ex originali textu Augustini reponendum est; & in Decretis quoque novis ac emendatis dist. 2. de consecrat. cap. *Prima quidem refertur prope finem; non ut prius hic ex veteri editione Decretorum veritas Domini, ut corruptor aliquis immutavit; non intelligens exponibilem istam, veritas qua est Do-*

minus, vel Dominus qui est veritas, &c.

(3) Sic enim ibi. *Tanquam diceres: Expedi vobis ut hæc forma servi auferatur a vobis: Caro quidem factum Verbum habuit in vobis; sed nolo me carnaliter adhuc diligatis, & isto lacte contenti semper infanset esse cupiatis. Expedi ergo vobis ut ego vadam: Si enim carni carnaliter hæseritis, capaces spiritus non eritis. Bernardus quoque de Ascensione serm. 5. *Quid ergo est, Nisi abiero, Paraclitus non veniet? Nisi carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratia plenitudinem occupata mens non admittit, non recipis animus, non capis affectus, &c.* Similia etiam in serm. 3. Pentecostes.*

brosius dicit VI. de sacramentis (cap. 1. in princ.) *Sicut verus Dei Filius est Dominus Jesus Christus; ita vera Christi caro est quam accipimus, & verus sanguis ejus est potus.*

Respondeo dicendum, quod verum corpus Christi, & sanguinem esse in hoc sacramento, (*) neque sensu, neque intellectu deprehendi potest, sed sola fide, quæ auctoritati divinæ innititur. Unde super illud Luc. xxi. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, dicit Cyrillus (1) „ Non dubites, an hoc „ verum sit; sed potius suscipe verba Sal- „ vatoris in fide: cum enim sit veritas, non „ mentitur. “*

Hoc autem conveniens est primo quidem perfectioni novæ legis. Sacrificia enim veteris legis illud verum sacrificium passionis Christi continebant solum in figura, secundum illud Hebr. x. 1. *Umbram habens lex futurorum, non ipsam verum imaginem.* Et ideo oportuit ut aliquid plus haberet sacrificium novæ legis a Christo institutum, ut scilicet contineret ipsum Christum passum, non solum in significatione, vel figura, sed etiam in rei veritate. Et ideo hoc sacramentum, quod ipsum Christum realiter continet, ut Dionysius dicit 111. cap. eccl. Hierarch. (vers. fin.) est perfectivum omnium aliorum sacramentorum, in quibus virtus Christi participatur. Secundo hoc competit caritati Christi, ex qua pro salute nostra corpus verum nostræ naturæ assumpsit. Et quia maxime proprium amicitie est convivere amicis, ut

Philosophus dicit IX. Ethic. (cap. xii.) sui præsentiam corporalem nobis repromittit in præmium, dicens Matth. xxiv. 28. *Ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquila.* Interim tamen nec sua præsentia corporali nos in hac peregrinatione destituit; sed per veritatem corporis, & sanguinis sui nos sibi conjungit in hoc sacramento. Unde ipse dicit Joan. vi. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Unde hoc sacramentum est maximæ caritatis signum, & nostræ spei sublevamentum ex tam familiari conjunctione Christi ad nos. Tertio hoc competit perfectioni fidei, quæ sicut est de Divinitate Christi, ita est de ejus humanitate, secundum illud Joan. xiv. 1. *Creditis in Deum, & in me credite.* Unde quia fides est invisibilem, sicut Divinitatem suam nobis exhibet Christus invisibiliter, ita & in hoc sacramento carnem suam nobis exhibet invisibili modo,

Quæ quidam non attendentes posuerunt corpus, & sanguinem Christi non esse in hoc sacramento nisi sicut in signo: quod est tamquam hæreticum abiiciendum, utpote verbis Christi contrarium. Unde & Berengarius, qui primus hujus erroris auctor fuerat, postea coactus est suum errorem revocare, & veritatem fidei confiteri (ut habetur cap. *Ego Berengarius, de consecr. dist. 11.)*

Ad primum ergo dicendum, quod ex hac auctoritate prædicti hæretici occasionem errandi sumpserunt, male verba Augustini intelligentes

(*) Ita cum quibusdam codd. post. Nicolajum recenses editi. Veteres cum aliis mss. sensu deprehendi non potest, sed sola fide.

(1) Ex quo etiam in Catena aurea sua super hunc locum Lucæ sic refert S. Thomas: An id sumpserit ex Catena Græcorum Patrum quam & latine reddi procuravit? Sed Corderius nihil tale in ea quam ex Græcis Patribus concinnavit refert; nec manuscriptam ipsam græcam nisi super priora duodecim capita explorare datum est ex Eminentissimi Cardinalis Julii Mazzarini Bibliotheca mutuata; Velut ex epistola quam ad Calosyrium scripsit Cyrillus, indicatur a Garetio Patrum Compilatore quem sequutus est Bellarminus: At nec in epistola illa quidquam tale, sed quod in speciebus asservatis post consecrationem remaneat nihilominus corpus Christi: nec Baronius Cardinalis quidquam amplius inde refert. Sed in Joan. lib. 10. cap. 13. in antiquis vel cap. 2. in modernis: *Dicas mihi aliquis eulogiae mysticæ causam & vim (inquit) Nonne ut Christum inhabitare facias etiam corporaliter in nobis participatione sanctæ suæ carnis? Et paulo post: Considerandum quod non dicitis dumtaxat se futurum in nobis qua-*

dam habitudine sanctorum (κατά ομοιωσιν) sed per participationem asuratum (κατὰ μέτρον ἴσως ομοιωσιν) Ut enim si quis liquefactam per ignem ceram alteri cera jungat, animum aliquid facit ex utraque, sic per corporis Christi & pretiosi sanguinis participationem ipse nobis unitur & nos illi: *Quod si te meis verbis persuaderi non finis, fidem adhibe Christo, &c.* Quod ad Berengarium autem spectat, sic illius confessionem hic indicatam refert caput. *Ego Berengarius in Decretis de consecrat. dist. 2. Ore & corde profiteor de dominica mensæ Sacramentis eandem fidem me tenere quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus & hæc sancta Synodus apostolorum evangelica & apostolica tenendam tradidit mihi que firmavit; scilicet panem & vinum que in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, jurans per sanctam Trinitatem & per hæc sacra sancta Evangelia &c.* Romanam autem intelligit Synodum in qua sub Nicolao Papa 2. abjuratio ista facta est post aliam in Turonensi factam sub Victore 2. &c.

gentes. Cum enim Augustinus dicit, *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, non intendit excludere veritatem corporis Christi, sed quod non erat manducandum in hac specie in qua ab eis videbatur. Per hoc autem quod subdit, Sacramentum, quod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos, non intendit quod corpus Christi sit in hoc sacramento solum secundum mysticam significationem, (*) sed spiritualiter dicit, idest invisibiliter, & per virtutem Spiritus sancti. Unde super Joan. exponens id quod dicitur, Caro non prodest quicquam (tract. xxvii. parum ante med.) dicit: " Sed quo- modo illi intellexerunt: carnem quippe sic, intellexerunt manducandam, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Accedat spiritus ad carnem, & prodest plurimum, nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret ut habitaret in nobis. "*

Ad secundum dicendum, quod verbum illud Augustini, & omnia similia sunt intelligenda de corpore Christi, secundum quod videtur in propria specie; secundum quod etiam ipse Dominus dicit Matth. xxvi. 11. *Me autem non semper habebitis.* Invisibiliter tamen sub speciebus hujus sacramenti est, ubicumque hoc sacramentum perficitur.

Ad tertium dicendum, quod corpus Christi non est eo modo in sacramento, sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur; sed quodam (***) speciali modo, qui est proprius huic sacramento. Unde dicimus, quod corpus Christi est in diversis altaribus, non sicut in diversis locis sed sicut in sacramento: per quod non intelligimus quod Christus sit ibi solum sicut in signo, licet sacramentum sit in genere signi; sed intelligimus, corpus Christi hic esse sicut dictum est (in cor. art.) secundum (***) modum proprium huic sacramento. (1)

Ad quartum dicendum, quod ratio illa procedit de presentia corporis Christi, prout est presentis (****) per modum corporis, idest prout est in sua specie visibili, non autem prout est spiritualiter, idest invisibili modo, & virtute spiritus. Unde Augustinus dicit super Joan. (tract. xxvii. cir. med.) *Si intellexisti spiritualiter verba Christi de carne sua, spiritus, & vita tibi sunt; si intellexisti carnaliter, etiam sic spiritus, & vita sunt sed tibi non sunt.*

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses *Berengarii* dicentis: In Eucharistia sacramento carnem filii Dei non vere, sed tantum in signo, & figura contineri. Item addentis. *Hoc est corpus meum*, sic esse intelligendum, ut Paulus intelligit illud, *Petra erat Christus.* Et *Osculampadii, ac Joannis Uviclessi*, dicentium: In Eucharistia sacramento non esse Christum identice, & realiter in propria persona. Et *Albigensium* dicentium: In Eucharistia sacramento non aliter esse corpus Christi, quam in alia qualibet re. Et *Anabaptistarum* dicentium: In Eucharistia sacramento non esse realem Christi presentiam. Et *Emergicorum* dicentium: In Eucharistia non ipsum corpus, sed virtutem corporis, esse. Et *Calvini* hoc, tanquam erroneum, Papistis (ut injuriose ait) imponentis, atque abjurantis: videlicet, quod transubstantiatio sit in pane, & vino, ita, ut ipsemet Christus sit ibi in carne, sanguine, & ossibus (ut de *Calvini* hoc risu patet ex suo libello contra acta Concilii *Trid.*) Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illas hæreses merito condemnari a Concilio *Florent.* in const. super unum. Armenor., „ Totus Christus continetur sub specie panis „ & totus sub specie vini. Sub qualibet „ quoque parte hostie consecratæ, & vini „ con-

(*) Ita edis. omnes cum quibusdam mss. *Codd. Terrac. & Alcan.* sed spiritualiter dicit, & invisibiliter & per virtutem Spiritus. Unde &c. *Al. loco invisibiliter legitur impassibiliter.*

(**) *Al. spirituali.*

(***) Ita communiter. *Cod. Alcan.* locuta proprium.

(1) Quid ergo juvat altercatio an in pluribus locis unum corpus extendi possit? Quod ad Eucharistia veritatem impertinens est, & plus nocet quam prodest ad illius oppugnatores refellendos. Nam si propositio ista, *Nullum corpus pluribus locis extensivè adesse simul potest*, negetur simpliciter, jam desectitur tota disceptatio ad incommoda quaedam sen-

sibilia que hujusmodi extensionem corporalem consequi possunt, nec de corpore Christi quicquam amplius disceptatur; ac in opinione quam ut absurdam Catholicis plerique rejiciunt momentum tantæ veritatis & tam necessariæ defensionis reponitur: Si autem concedatur sicut concedi debet quod extensive quidem nullum corpus adesse simul pluribus locis potest, sed inextenso modo qui supradictis incommodis non afficitur, potest, intra cancellos constringitur disceptatio, nec evagatur extra propriam rationem corporis Christi cui singularis est ille modus.

(****) Ita mss. & edis. *passim: Al. motum -*

„ consecrati (separatione facta) totus est
 „ Christus . „ Hæc ibi . Item a Concil. *La-*
teran. maximo sub *Innocentio III. in de sum-*
Trin. & fide cath. c. *firmiter credimus* . „ Una
 „ est fidelium universalis Ecclesia, extra quam
 „ nullus omnino salvatur . In qua idem ipse
 „ sacerdos est sacrificium Jesus Christus : cu-
 „ jus corpus, & sanguis in sacramento al-
 „ taris sub speciebus panis ; & vini veraciter
 „ continentur ; transubstantiatis pane in cor-
 „ pus, & vino in sanguinem, potestate di-
 „ vina : *Hæc ibi* . Item a Papa Urbano
 „ IV. Alia, quorum memotiam agimus spi-
 „ ritu, menteque complectimur : sed non
 „ propter hoc realem eorum præsentiam ob-
 „ tinemus . In hac vero sacramentali Chri-
 „ sti commemoratione Jesus Christus sub aliâ
 „ quidem forma, in propria vero substantiâ
 „ est nobiscum . „ Hæc ille : quæ recitan-
 „ tur a Papa *Clemente V.* in Concilio *Vienne-*
si, & consequenter ab eisdem solemniter ac-
 „ ceptantur : ut patet in lib. *Clementinarum*,
 „ de reliq. & vener. sanct. cap. *si Dominum* .
 „ Vide tu totum illud capitulum, quoniam
 „ memoratu per omnia dignissimum est : & ad
 „ multa D. Thom. in supra, & infra, articu-
 „ lis pluribus dicta confirmanda facit . Item a
 „ Concilio *Constantiensi* per hoc, quod *sess.* 8.
 „ postquam hæresim illam *Joannis Wicleff* re-
 „ citaverat, pronunciat ipsum hæreticum, ejus-
 „ demque memoriam condemnat, & mandat
 „ exhumari ossa ipsius, atque cremari, ut ibi
 „ patet . Item a Concilio *Trid.* *sess.* 13. c. 1.,
 „ Docet sancta Synodus & aperte, ac simplici-
 „ ter profiteatur : in almo sanctæ Eucharis-
 „ tiæ Sacramento post panis, & vini consecra-
 „ tionem, Dominum nostrum Jesum Chri-
 „ stum, verum Deum, atque hominem
 „ vere, realiter, ac substantialiter sub spe-
 „ cie illarum rerum sensibilibus contineri .
 „ Ita majores nostri omnes, quotquot in
 „ vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de san-
 „ ctissimo hoc sacramento differuerunt, a-
 „ pertissime professi sunt : hoc tam admira-
 „ bile sacramentum in ultima cœna Redem-
 „ ptorem nostrum instituisse, cum post pa-
 „ nis, vini que benedictionem, se suum ip-
 „ sius corpus, ac sanguinem illis præbere,
 „ disertis, ac perspicuis verbis testatus est .
 „ Quæ verba a sanctis Evangelistis comme-
 „ morata, & a D. Paulo postea repetita .
 „ cum propriam illam & apertissimam signi-
 „ ficationem præ se ferant, secundum quam a
 „ Patribus intellecta sunt, indignissimum sane
 „ flagitium est, a quibusdam contentiosis
 „ & pravis hominibus ad fictitios, & ima-

„ ginarios tropos, quibus veritas carnis, &
 „ sanguinis Christi negatur, contra univer-
 „ sum Ecclesiæ sensum detorqueri : quæ
 „ tanquam columna, & firmamentum veri-
 „ tatis, hæc ab impiis hominibus excogita-
 „ ta commenta, velut Satanica, detestata
 „ est, grato semper, & memore animo præ-
 „ stantissimum hoc Christi beneficium agno-
 „ scens . *Hæc ibi Et can.* 1. Si quis nega-
 „ verit, in sanctissimæ Eucharistiæ sacramen-
 „ to contineri vere, realiter, & substantia-
 „ liter, corpus, & sanguinem, una cum ani-
 „ ma, & divinitate Domini nostri Jesu Chri-
 „ sti, ac proinde totum Christum : sed di-
 „ xerit, tantummodo esse in eo, ut in si-
 „ gno, vel figura, aut virtute : anathema
 „ sit . *Hæc ibi* . Item a Concil. *Ephesino*
primo ; quod cum aliis tribus primis, scilicet
Nicano primo, Constantinopolitano, & Cbal-
cedonensi, veneratur B. Gregorius, ut quatuor
 „ Evangelia, dict. 15. c. *sicut* . In quadam
 „ enim epistola inter acta ipsius Concilii, cui
 „ vice summi Pontificis præsidebat Cyrillus,
 „ legitur sic . „ Religio, ac Deo amabili
 „ sacerdoti Nestorio Cyrillus, & quicum-
 „ que sunt apud Ephesi Synodum . *Et infra*.
 „ Ad mysticas benedictiones accedimus, &
 „ sanctificamur participes facti corporis, &
 „ pretiosi sanguinis Christi, omnium nos-
 „ trum redemptoris effecti ; non ut commu-
 „ nem carnem percipientes, quod absit, ne-
 „ que ut viri sanctificati, & verbo conjun-
 „ cti secundum dignitatis unitatem, aut si-
 „ cut divinam possidentis habitationem : sed
 „ vere vivificatricem, & ipsius verbi propri-
 „ am factam . Vita enim naturaliter, ut
 „ Deus, existens, quia proprie carni unitus
 „ est ; vivificatricem eam esse professus est .
 „ Et ideo, quamvis dicat ad nos : Nisi man-
 „ ducaveritis carnem filii hominis, & bibe-
 „ ritis ejus sanguinem : non tamen eam ut
 „ hominis unius ex nobis, existimare debe-
 „ mus . Quomodo enim juxta naturam suam
 „ vivificatrix esse poterit caro hominis ? Sed
 „ ut vere propriam ejus factam, qui propter
 „ nos filius hominis est factus, & vocatus .
 „ *Hæc ibi* . Ubi & universaliter damnantur hæ-
 „ reses prædictæ, dicendo, carnem Christi ve-
 „ re esse in sacramento altaris ; & specialiter
 „ damnatur hæresis *Nestorii*, dicendo, carnem
 „ Christi ibi esse non tanquam hominis justî
 „ conjuncti Deo solum per dignitatem, vel ia-
 „ habitationem, sed tanquam hominis, & ve-
 „ ri Dei . Quod, ut melius intelligas, recor-
 „ dare ; quod *Nestorius* ponebat in Christo duas
 „ personas, unam divinam, alteram humanam,
 „ tamen

tamen, ut hominis inter homines automati-
ce iusti. Cuius hæreticam phantasmam, &
ejus damnationem, diffusus vide in 3. de
Salm. articulo num. 111. 144. cum Eluci-
dat. Cæterum, quod ad Calvinum attinet,
ultra prædictas ejus temeritatis hæreticalis
damnationes a tota Christi vera Ecclesia sæ-
pius factas vide specialiter ejus vitam in Ad-
dit. qu. 68. ar. 4. appen. recitatam; quæ hu-
jus rei, sc. ipsum tantarum, & amplius,
damnationum, esse dignissimum, testis est
gravissimus. Ex eadem vita etiam perci-
pietur, quam optime Calvino irridenti appli-
cetur illud Prov. 10. *quasi per visum stultus
operatur scelus*; & illud Prov. 26. *Sapientior
sibi stultus videtur, sepeem viris loquentibus
sentesias*; & illud Moyse ad Chore, & ad
omnem globum ejus sacerdotium sibi inju-
stissime vendicantem, & stantem contra Do-
minum Num. 16. *Multum erigimini filii Le-
vi*; & illud 2. Pet. 3. *Veniunt in novissimis
diebus in deceptione illusores juxta proprias
concupiscentias ambulantes*; & illud Jude 1.
In novissimis temporibus venient illusores se-
cundum desideria sua ambulantes in impieta-
tibus, qui segregant semetipsos, animales;
spiritum non habentes; & tandem illud Prov.
3. *Dominus ipse deludet illusores*. Tertio vi-
des quomodo &c.

enim Damascenus in IV. Lib. (othh. Fid.
cap. xiv. cir. med.) *Quia consuetudo est ho-
minibus comedere panem, & vinum bibere,
conjugavit eis Deus Divinitatem, & fecit ea
corpus, & sanguinem suum*; & ita panis
communicationis non panis simplex est, sed uni-
tus Divinitati. Sed conjugatio est rerum actu
existentium. Ergo panis, & vinum simul
sunt in hoc sacramento cum corpore, & san-
guine Christi.

2. Præterea. Inter Ecclesiæ sacramenta
debet esse conformitas. Sed in aliis sacramen-
tis substantia materiæ manet, sicut in baptis-
mo substantia aquæ, & in confirmatione
substantia chrismatis. Ergo & in hoc sacra-
mento substantia panis, & vini manet.

3. Præterea. Panis, & vinum assumentur
in hoc sacramento, inquantum significant
ecclesiasticam unitatem; præut unus panis fit
ex multis granis, & unum vinum ex multi-
tate racemis, ut Augustinus dicit in Lib. de sym-
bolo (hab. tract. xxvi. in Joan. aliquant.
ante fi.) Sed hoc pertinet ad ipsam substan-
tiam panis, & vini. Ergo substantia panis,
& vini remanet in hoc sacramento.

Sed contra est quod Ambrosius (1) dicit
in Lib. IV. de sacramentis (implic. cap. iv.
& Lib. VI. cap. 1.) *Licet figura panis, &
vini videatur; tamen nihil aliud quam caro
Christi, & sanguis post consecrationem credenda
sunt*.

Respondeo dicendum, quod quidam posue-
runt, post consecrationem substantiam panis
& vini in hoc sacramento remanere.

Sed hæc positio stare non potest. Primo
quidem quia per hanc positionem tollitur
veritas hujus sacramenti, ad quam pertinet
ut verum corpus Christi in hoc sacramento
existat, quod quidem ibi non est ante con-
secrationem. Non autem aliquid potest esse
alicubi, ubi prius non erat, nisi vel per lo-
ci mutationem, vel per alterius conversionem
in ipsum; sicut in domo aliqua de novo in-
cipit esse ignis, aut quia illuc desertur, aut
quia ibi generatur. Manifestum est autem
quod corpus Christi non incipit esse in hoc

ARTICULUS II. 441

Utrum in hoc Sacramento remaneat sub-
stantia panis, & vini post con-
secrationem.

Inf. art. 6. co. & quest. lxxvii. art. 1. &
5. & IV. dist. xi. quest. 1. art. 1. quest.
1. & dist. xii. quest. 1. art. 1. quest. 3.
& IV. cons. cap. lxxii. princ. & quol.
vii. art. 9. & quol. ix. art. 5. ad 3. &
I. Cor. x. lect. 4. & 5.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod
in hoc sacramento remaneat substantia
panis, & vini post consecrationem. Dicit
Summ. S. Tb. T. XII.

T sacra-

(1) Ut ex illis refertur in Decretis dist. 2. de
consecrat. cap. Omnia, ubi sine indice loci Ambro-
sius in textu prænotatur, sed ad marginem indicatur
ex libro 4. de Sacramentis c. 4 & 5. licet non sic
expresse ibi sed implicite tantum: *Panis est*, inquit
ante verba Sacramentorum: *Ubi accesserit consecra-
tio, de pane fit caro Christi*: Et paulo infra: *Ergo
non erat corpus Christi ante consecrationem: Sed
post consecrationem dico sibi quod jam est corpus*

Christi: Cap. autem 5. *Ante quam consecratur, pa-
nis est: Ubi autem verba Christi accesserint corpus
est Christi &c.* Adde quod ex Cyrillo indicatum est
supra & sic plenius habet in epistola quam ad Calo-
syrium scripsit: *Insaniunt dicentes mysticam benedi-
ctionem a sanctificatione cessare si quadam reliquie
in subsequente diem remanserint: Non enim mu-
tabitur sacro-sanctum corpus Christi; sed virtus con-
secrationis & vivificativa gratia jugis in eo est &c.*

sacramento per motum localem . Primo quidem quia sequeretur quod desineret esse in celo : non enim quod localiter movetur pervenit de novo ad aliquem locum , nisi deserat priorem . Secundo quia omne corpus localiter motum pertransit omnia media quod hic dici non potest . Tertio quia impossibile est quod unus motus ejusdem corporis localiter moti terminetur simul ad diversa loca ; cum tamen in pluribus locis corpus Christi sub hoc sacramento simul esse incipiat . Et ideo relinquatur quod non possit aliter corpus Christi incipere esse de novo in hoc sacramento nisi per conversionem substantiæ panis in ipsum : quod autem convertitur in aliquid , facta conversione , non manet . Unde relinquatur quod salva veritate hujus sacramenti , substantia panis post consecrationem remanere non possit .

Secundo quia hæc positio contrariatur formæ hujus sacramenti , in qua dicitur : *Hoc est corpus meum* : quod non esset verum , si substantia panis ibi remaneret : nunquam enim substantia panis est corpus Christi ; sed potius esset dicendum : *Hic est corpus meum* .

Tertio quia contrariatur venerationi hujus sacramenti , (1) si aliqua substantia creata esset ibi , quæ non posset adoratione latræ adorari .

Quarto quia contrariatur ritui Ecclesiæ , secundum quem post corporalem cibum non licet sumere corpus Christi ; cum tamen post unam hostiam consecratam liceat sumere aliam .

Unde hæc positio vitanda est tamquam hæretica .

Ad primum ergo dicendum , quod Deus conjugavit Divinitatem suam , idest divinam virtutem , pani , & vino , non ut remaneant in hoc sacramento , sed ut faciat inde corpus , & sanguinem suum .

Ad secundum dicendum , quod in aliis sa-

cramentis non est ipse Christus realiter , sicut in hoc sacramento : & ideo in aliis sacramentis manet substantia materiæ , non autem in isto .

Ad tertium dicendum , quod species quæ remanent in hoc sacramento , ut infra dicitur (quæst. lxxvii. art. 3. & 4. (2)) sufficienti aut significationem hujus sacramenti : nam per accidentia cognoscitur ratio substantiæ .

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem interimas hæreses *Joan. Uvicless.* , ut refertur in Concil. *Constantiensi sess. 8.* dicentis : quod in sacramento altaris remanet substantia materialis panis , & vini . Et *Lutheri* dicentis : in Eucharistia post consecrationem remanere panem , & vinum : nihilominus veras esse has propositiones : „ Panis est „ corpus Christi , vinum est sanguis Christi ; „ Nullam enim , *inquit* , transubstantiationis „ mentionem fecerunt Evangelistæ . „ Et *Carlostadii* dicentis : in Eucharistia post consecrationem substantiam panis , & vini remanere . Et *Adessaniorum* ; ex quibus *alii* dicunt , quod corpus Domini est cum pane ; *alii* , quod in pane : *alii* , quod circa panem : *alii* , quod sub pane , ut *Pillulæ* in ovo reconditæ , & farina sub Pastillo . Unde etiam hi hæretici ultimi vocantur *Pastillarii* . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , has merito damnari a Concilio *Lateran.* sub *Innocentio III.* ut patet *ar. 1. appen.* Impossibile enim cum sit , rem transubstantiatam in aliud remanere in seipsa , constat manifeste : quod , dum Concilium illud explicite dicit , *ly transubstantiatis pane in corpus , & vino in sanguinem* , simul necessario dicit implicite , quod substantia panis , & vini materialis nec remanet , nec remanere potest .

Men-

(1) Quam insinuat Augustinus in *Psal. 31.* Exposit. 1. super illud , *Manducaverunt & adoraverunt* sed expressius & plenius in *Psal. 98.* super illud , *Adorare scabellum pedum ejus* , ubi *scabellum* terram , & ipsam terram explicans carnem Christi (ut supra) *Quia in ipsa carne hic ambulavit* (inquit) *& ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit* , nemo autem carnem illam manducavit nisi prius adoraverit , inventum est quomodo adoretur *sals scabellum pedum Domini* ; ut non solum non peccemus adorando sed peccemus non adorando : Et Ambrosius lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 12. super eadem verba : *Per scabellum terra intelligitur : Per terram*

autem caro Christi , quam & hodie in mysteriis adoramus : Præter alia Patrum testimonia quæ inferius quæst. 78. art. 6. annotanda recurrent . Hinc etiam in Concilio Tridentino *Sess. 13. cap. 5. latræ cultus pro more semper in Ecclesia recepto et exhiberi docetur &c.*

(2) Sicut etiam supra quæst. 74. art. 8. in corp. indicatum est juxta veterem Decretorum Editionem quæ similiter indicabat ; sed ex libro de iis qui mysteriis initiatur vel de initiandis cap. 9. ut ibidem reposuimus , desumptum est , & in magna quoque Decretorum editione corrigitur .

Mentitur vero non minus impudentissime, quam imprudentissime Lutherus, dicendo; quod nullam transubstantiationis mentionem fecerint Evangelistæ, quoniam implicitam ipsius mentionem & fecerunt, & necessario fecerunt. Per hoc siquidem, quod asserunt: Christum acceptis, & benedictis pane, & vino dixisse: *Hoc est corpus meum*, &: *Hic est sanguis meus*: per hoc, inquam, assertum simul de necessitate virtualiter asserunt quod ibi, scilicet inter panem, & corpus Christi, inter vinum, & sanguinem Christi, fuit transubstantiatio. Alioquin intelligibile esse non posset; quomodo panis porrectus discipulis existente corpore Christi localiter in alio loco, puta ad mensam recumbendo, sit corpus Christi; & vinum, existente sanguine Christi localiter in alio loco, puta in corpore ejus recumbente ad mensam, sit sanguis ipsius. Nunc autem, idest posita transubstantiatione ab Evangelistis necessario intellecta, & panis in corpus Domini, & vini in sanguinem ejus, non est impossibile intelligere verum esse *ly Hoc est corpus meum*. *ly Hic est sanguis meus*; etiam dum Christus actu localiter esset ad mensam recumbens. Non enim implicatur illa contradictio in hoc intellectu, scilicet quod Corpus Christi sit localiter in uno loco tantum, & dum localiter ibi est, sit sacramentaliter, idest per transubstantiationem prædictam in aliis pluribus locis, ut patet *ar. 1. ad tertium, cum Elucid. usque ad quartum*; cum tamen contradictio, & maxima quidem, implicetur in intellectu isto, scilicet, quod corpus Christi sit localiter in uno loco, & dum localiter ibi est sit vel etiam possit esse in aliquo alio loco localiter, idest quod incipiat alibi esse per motum localem, & per consequens, quod propriis suis dimensionibus loco illi de novo acquisito commensuratur, ut patet in *tex. cor. a principio usque ad ly impossibile, quod unus motus ejusdem corporis localiter moti terminetur simul ad diversa loca*. Ceterum in eo, quod addit Lutherus, scilicet, quod, remanentibus pane, & vino, veræ sunt hæc propositiones: *Panis est corpus Christi, vinum est sanguis Christi*, demonstrat, se aut loqui hic per tropos; id, quod flagitiosissimum est, *ar. 1. app. ex Concil. Trident.* aut esse de numero infensorum illorum, qui secundum Philof. in *Metaph.* opposita primorum principiorum possunt ore proferre, licet corde concipere non possint. Inconceptibilia enim sunt & hæc; sicut & illa: Panis est corpus Christi, vinum est sanguis Christi, nisi transubstan-

tiatione data, ut supra, de Evangelistis loquendo, diximus. In Lutherus igitur uno, tanquam in exemplo, vide: si non omnia hæreticorum phantasiata dogmata sunt, & monstra; &, ut ait Concilium *Nicanum 2. can. 9.* puerilia, ludicra, furiosaque dicta; ac scripta. Item merito damnari a Concilio *Flor.* in constitut. super uni. Armenor. dicente: *Ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur*. Hæc ibi. Discurrere hinc, ut supra ad propositum: & aperte cognosces quod Concilium hoc in illo a se explicato fidei dogmate subintellexit necessario & hoc aliud, scilicet substantia materialis panis, & vini non remanet. Ad virtutem enim illorum verborum, qua virtute conversio illa fit, consequitur de infallibili necessitate: quod panis, & vini substantia post consecrationem nec remaneat, nec remanere possit; immo nec fingi; nisi apud insensatos, terminorumque penitus ignaros, quod remaneat. Item merito damnari a Concilio *Tridentino* sess. 13. canon. 2. „ Si quis dixerit: in sacro „ sancto Eucharistiæ sacramento remanere „ substantiam panis, & vini una cum cor- „ pore, & sanguine Domini nostri Jesu Chri- „ sti: anathema sit „ Hæc ibi. Item a *D. Ambrosio*: ut in *arg. cont. Tertio* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 442

Utrum substantia panis, vel vini post consecrationem hujus Sacramenti annihiletur.

IV. dist. xi. quest. 1. art. 2. & IV. cont. cap. lxiii. & quol. v. art. 1. & quol. xi. art. 5. ad 3. & I. Cor. xi. lect. 5.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod substantia panis post consecrationem hujus sacramenti annihiletur, aut in pristinam materiam resolvatur. Quod enim est aliquid corporale, oportet alicubi esse. Sed substantia panis, quæ est quiddam corporale, non manet in hoc sacramento, ut dictum est (*arg. præc.*) nec etiam est dare aliquem locum, ubi sit. Ergo non est aliquid post consecrationem. Igitur aut est annihilata, aut in præjacentem materiam resoluta.

2. Præterea. Illud quod est terminus quo in qualibet mutatione, non remanet nisi forte in potentia materię; sicut cum ex ære fit ignis, forma aeris non manet nisi in

potentia materiz; & similiter quando ex albo fit nigrum. Sed in hoc sacramento substantia panis, aut vini se habet sicut terminus a quo, corpus autem, vel sanguis Christi sicut terminus ad quem: dicit enim Ambrosius in Lib. de officiis: (hab. Lib. de initiand. cap. ix. a med.) *Ante benedictionem illa species nominatur, post benedictionem corpus Christi significatur. Ergo, facta consecratione, substantia panis, vel vini non manet, nisi forte resoluta in suam materiam.*

3. Præterea. Oportet alterum contradictoriorum esse verum. Sed hæc est falsa: *Facta consecratione, substantia panis, vel vini est aliquid.* Ergo hæc est vera: *Substantia panis, vel vini est nihil.*

Sed contra est quod Augustinus dicit in Lib. lxxxiii. Qq. (quæst. xxi.) *Deus non est causa tendendi in non esse.* Sed hoc sacramentum divina virtute perficitur. Ergo in hoc sacramento non annihilatur substantia panis, aut vini. (1)

Respondeo dicendum, quod quia substantia panis, vel vini non manet in hoc sacramento, quidam impossibile reputantes quod substantia panis, vel vini in corpus, vel sanguinem Christi convertatur, posuerunt quod per consecrationem substantia panis, vel vini vel resolvatur in præjacentem materiam, vel quod annihilatur.

Præjacentem materiam, in quam corpora mixta resolvi possunt, sunt quatuor elementa. Non enim potest resolutio fieri in materiam primam, ita quod sine forma existat: quia materia sine forma esse non potest. Cum autem post consecrationem nihil

sub speciebus sacramento remaneat, nisi corpus & sanguis Christi, oportebat dicere, quod elementa, in quæ resoluta est substantia panis, vel vini, inde discedant per motum localem: quod sensu perciperetur. Similiter etiam substantia panis, vel vini manet usque ad ultimum instanti consecrationis; in ultimo autem instanti consecrationis jam est ibi substantia corporis, vel sanguinis Christi, sicut in ultimo instanti generationis jam inest forma. Unde non erit dare aliquod instans in quo sit ibi præjacentis materia. Non enim potest dici, quod paulatim substantia panis, vel vini resolvatur in præjacentem materiam, vel successive egrediatur de loco specierum: quia si hoc inciperet fieri in ultimo instanti suæ consecrationis, simul sub aliqua parte hostiæ esset corpus Christi cum substantia panis: quod est contra prædicta (hic sup. & art. præc.) Si vero hoc incipiat fieri ante consecrationem, erit dare aliquod tempus in quo sub aliqua parte hostiæ neque erit substantia panis, neque erit corpus Christi: quod est inconueniens. Et hoc ipsimet perpensis videntur.

Unde (*) posuerunt illud sub disjunctione, scilicet vel quod annihilatur, vel in præjacentem materiam resolvatur.

Sed nec hoc potest esse: quia non est dare aliquem modum, quo corpus Christi verum esse incipiat in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiæ panis in ipsum: quæ quidem conversio tollitur, posita vel annihilatione substantiæ panis, vel resolutione in præjacentem materiam. Similiter etiam non est dare, unde talis resolutio, vel annihilatio in hoc sacramento causetur; cum effectus sacra-

(1) Quid quod panis & vini benedictione hoc sacramentum perficitur, benedictio porro effectiva boni est semper cum confertur a Deo; proindeque aliquod bonum confertur panis & vino per eorum conversionem in meliorem substantiam, non annihilationem quæ malum quoddam vel destructio boni absolute videri debet: Hinc Ambrosius lib. de iis qui mysteriis initiantur (seu de initiandis) cap. 9. *Proberamus (inquit) non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit; majoremque vim esse benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur: Ut & infra: Quod si humana benedictio (Moysi & Helizæ) tantum valuit ut naturam converteret, (Exod. 15. & 4. Regum 6) quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Et rursus paulo infra: De totius mundi operibus legisti, Dixit & facta sunt &c. (Psal. 148.) Sermo ergo Christi qui posuit ex nihilo fabricare quod non*

erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus est novus rebus dare quam mutare naturas: Quod & plenius articulo sequenti ostenditur. Quomodo vero annihilatio, cuius terminus verus & proprius est ipsum nihil, convenire conversioni potest, cuius terminus ex opposito est aliquid? aut in nihilum supponuntur abire vel reverti quæ convertuntur in aliud? Quidni hæc porro Scotus & quæ paulo post notanda sunt, accuratius legit vel acutius intellexit! ne veritati tam solidæ tam fictitiæ & inanem imaginationem opponeret, ac Patrum positivæ conversioni suam inauspicatam nihilitatem ab ipsomet Bonaventura suo prius explosam anteferet.

(*) Ita post Garciam edit. omnes. Veteres cum Insi. quibusdam posuerunt aliud sub disjunctione, scilicet quod annihilatur: sequentia addunt ad *maginam, uti est quoque in cod. Alcan.*

sacramenti significetur per formam : neutrum autem horum significatur per hanc verba formæ : *Hoc est corpus meum* .

Unde patet prædictam positionem esse falsam .

Ad primum ergo dicendum , quod substantia panis , vel vini , facta consecratione , neque sub speciebus sacramenti manet , neque alibi ; non tamen sequitur quod annihiletur : convertitur enim in corpus Christi : sicut non sequitur , si aer , ex quo generatus est ignis , non sit ibi , vel alibi , quod sit annihilatus .

Ad secundum dicendum , quod forma , quæ est terminus a quo , non convertitur in aliam formam ; sed una forma succedit alteri in subiecto : & ideo prima forma non remanet nisi in potentia materiæ . Sed hic substantia panis convertitur in corpus Christi , ut supra dictum est (in corp. & art. præc.) Unde ratio non sequitur .

Ad tertium dicendum , quod licet post consecrationem hæc sit falsa , *Substantia panis est aliquid* ; id tamen , in quod substantia panis est conversa , est aliquid : & ideo substantia panis non est annihilata .

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo per rationem interimas hæresim (hæc a quibusdam attribuitur Scoto 4. dist. 11. q. 3. licet vix crediderim ergo , virum talem habuisse hunc erroneum sensum in verbis illis . Quando tamen de viris hujusmodi sic agitur recolendum semper videtur esse illud B. Aug. *Errare possum , sed hæresicus non ero*) dicentem : quod substantia panis , & vini annihilatur . Si enim in corpus , & sanguinem Christi realiter convertitur (ut verissimum est) & non solum nominaliter , substantia panis , & vini : ipsa utique tendit ad esse reale , quod (in proposito) est corpus Christi , & sanguis : non autem tendit ad non esse . Impossibile igitur est , quod substantia illa , conversione prædicta manente , annihilata sit : quandoquidem annihilari est tendere ad non esse , imo consequenter est non esse , idest est tendere in nihil , imo consequenter esse nihil . Tantum vero abest , quod substantia panis , & vini post conversionem illam sit nihil : ut magis tunc sit aliquid , quam prius , quanto esse realius , seu præstantius est corpus Christi , quam panis , & sanguis Christi , quam vinum ut patet . Taceo , quod & per rationem universalem , qua nihil omnino

in nihilum redigitur , 1. q. 140. art. 4. posset convinci ; quod eo magis in tanto sacramento falsum est , substantiam panis , ac vini annihilari . Restat ergo manifestum ex ratione sancti Doctoris tum speciali , scil. in hoc art. tum universali , scil. in illo *primæ* partis articulo : quod positio in principio appendicis dicta est erronea . Dicis itaque mihi . Substantia panis post consecrationem . estne aliquid ? Est aliquid , & non est aliquid : non tamen est nihil . Est aliquid idest est illud , in quod conversa est : Non est aliquid idest non est illud , quod erat prius : Non autem est nihil ; quia illud , in quod conversa est , non est nihil . Ut virtualiter dicitur *ad tertium* . *Secundo* habes quomodo per rationem ostendas , illam merito damnari ab omnibus Conciliis , quæ ponunt conversionem præmissam in consecratione panis , & vini . In idem enim redeunt de necessitate *duo* hæc scil. panis , ac vini substantiam converti in corpus , ac sanguinem Christi ; & panis , vinique substantiam non annihilari , ut supra declaratum est . Per hoc ergo , quod Concilia *Lateranens.* sub *Innocentio III. & Florentinum* , & *Trid.* definiiverunt , conversionem talem esse in consecratione panis , & vini ; intelliguntur de necessitate etiam definire : quod substantia panis , & vini non annihilatur . De Conc. *Later.* & *Florent.* vide *ar. 1. app.* & *ar. 2. app.* De *Tridentino* autem vide *art. 4. app.* Item merito damnari ab Evangelistis : Quia enim Evangelistæ ponunt inibi talem conversionem , ut *ar. 2. app.* monstratum est : ideo etiam ipsi per hoc asserunt , & quod substantia panis , ac vini non annihilatur , & quod dicere contrarium est dicere contra Evangelium . Item a D. Ambrosio : ut pulcherrime legitur , & recitatur *de consec. dist. 2. c. panis est in altari* , &c. *revera mirabile est* . Mutationem enim seu conversionem illam ipse esse hic testatur aperte : & per hoc ex consequenti necessario substantiæ panis , & vini annihilationem abhorret . Non solum igitur positio illa principio dicta est hæresis , sed etiam est ab initio nascentis Ecclesiæ , & deinceps adeo condemnata , ut nulli , vel mediocriter in sacra Theologia docto , sit relictus de opposito ambigendi locus . *Tertio* vides : quomodo &c.

ARTICULUS IV. 443

Utrum panis possit converti in corpus Christi.

Inf. art. 6. cor. & art. 8. cor. & ad 5. & IV. dist. xi. quest. 1. art. 1. quest. 2. ad 1. & quest. 3. ad 3. & art. 3. quest. 1. per 10. & IV. con. cap. lxxiii. & quol. v. art. 11. & op. 11. cap. viii. & I. Cor. Cor. xi. lect. 4. & 5.

AD quartum sic proceditur, Videtur quod panis non possit converti in corpus Christi. Conversio enim quedam mutatio est. Sed in omni mutatione oportet esse aliquod subjectum, quod prius est in potentia, & postea in actu: ut enim dicitur III. Physic. (tex. 6.) *motus est actus existens in potentia*. Non est autem dare aliquod subjectum substantiæ panis, & corporis Christi: quia de ratione substantiæ est quod sit non in subjecto, ut dicitur in Prædicamentis (cap. de substant.) Non ergo potest esse quod tota substantia panis convertatur in corpus Christi.

3. Præterea. Forma illius in quod aliquid convertitur, de novo incipit esse in materia

eius quod in ipsum convertitur; sicut cum aer convertitur in ignem prius non existentem (1) forma ignis incipit de novo esse in materia aeris; & similiter cum cibus convertitur in hominem prius non existentem, forma hominis incipit esse de novo in materia cibi. Si ergo panis convertitur in corpus Christi, necesse est quod forma corporis Christi de novo incipiat esse in materia panis: quod est falsum. Non ergo panis convertitur in substantiam corporis Christi.

3. Præterea. Quæ sunt secundum se diversa, numquam unum eorum fit alterum; sicut albedo numquam fit nigredo, sed subjectum albedinis fit subjectum nigredinis, ut dicitur in I. Physicor. (tex. 43. & seq.) Sed sicut duæ formæ contrariæ sunt secundum se diversæ, utpote principia formalis differentiarum existentes; ita duæ materiæ signatæ sunt secundum se diversæ, utpote existentes principia materialis distinctionis. Ergo non potest esse quod hæc materia panis fiat hæc materia qua individuatur corpus Christi: & ita non potest esse quod substantia huius panis convertatur in substantiam corporis Christi.

Sed contra est quod Eusebius Emiffenus dicit (hom. v. de Pascha, quæ incipit *Magnitudo caelest. parum a princ.*) (2) *Novum tibi, & im-*

(1) Sic impressa, gotica, manuscripta; & sensus esse debet quod aer convertatur in ignem qui non talis antea existebat qualis deinceps per aeris conversionem esse incipit; sicut & mox quod cibus in hominem prius non existentem in eo statu quem per cibum acquirit, convertatur: Nisi legendum, non existens ut vel aer vel cibus esse intelligatur quod non erat: Alioquin quomodo cibus convertatur in hominem prius non existentem? Quamvis hoc de aere dici potest respectu ignis &c.

(2) Prout refertur in Decretis de consecrat. distinct. 2. cap. *Quis corpus*, ubi plenius quam hic: *Recedas omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris, ipse testis est veritatis: Nam invisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secretis potestate convertit: Ergo sicut ad nutum precipientis Domini ex nihilo repente subsisterunt excelsa celorum, profunda fluctuum, vassa terrarum, ita & pari potestate in spiritualibus Sacramentis ubi precipit virtus, servit effectus; Quanta itaque & quam celebranda beneficia vis divina benedictionis operetur attende, ut tibi novum & impossibile videri non debeat quod &c.* Sed Eusebii Emyssæni non esse quest. 73. art. 3. indicatum est, ac Eucherii Lugdunensis potius esse, ut ex Latina phrasi patet quæ Eusebio Emysseno græcæ scriptori non convenit. Hoc ipsum patrum alii Patres dicunt: Inter Latinos Ambrosius

ut supra sub nomine mutationis per quam panis in corpus Christi transit, & lib. 4. ad Gratianum c. 3. *Sacramenta sumimus que per sacre orationis mysterium in carnem transfigurantur & sanguinem: Auctor sermois qui de cæna Domini inscribitur & ascribitur Cypriano: Panis quem discipulis Dominus porrigebat, non effigie sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro: Innocentius 3. in Concilio Lateranensi, ut cap. Firmiter videre est initio Decretalium: Jesu Christi corpus & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus & vino in sanguinem potestate divina &c.* Præter id quod paulo post ex Concilio Tridentino addetur: Inter Græcos etiam Gregorius Nyssenus orat. catechetica magna cap. 37. *Dei verbo sanctificationum panem in Dei Verbi corpus eredo transmutari (μεταποιεῖν)* Chrysostomus homil. 83. in Matth. sub finem: *Non sunt hæc humana virtutis (δουλιῶν) opera: Ministrorum ordinem nos tenemus, ipse vero Christus est qui sanctificat ista & transmutat (μετοικιζῶν)* Cyrillus Hierosolymitanus catechesi mystagogica 4. paulo post principium: *Aquam in vinum quod est sanguini propinquum, aliquando mutavit, & non erit dignus cui credamus quod vinum in sanguinem etiam transmutavit? (ἀξίπιστός οἶνον μεταβάλλει εἰς αἶμα)* Præter Cyrillum Alexandrinum in Catena aurea S. Thomæ Luc. 22. sic dicentem: *Ne horreremus carnem & sanguinem*

Impossibile esse non debet, quod in Christi substantia terrena, & mortalia convertuntur.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. 1. hujus quæstionis) cum in hoc sacramento sit verum corpus Christi, nec incipiat ibi esse de novo per motum localem, (*) cum etiam nec corpus Christi sit ibi sicut in loco, ut ex dictis patet (art. 2. hujus quæstionis) necesse est dicere, quod incipiat ibi esse per conversionem substantiæ panis in ipsum.

Hæc tamen conversio non est similis conversionibus naturalibus, sed est omnino supernaturalis, sola Dei virtute effecta. Unde Ambrosius dicit in Lib. de sacramentis (hab. Lib. de initiand. cap. ix. a med.) *Liquet quod præter naturam ordinem Virgo generavit; & hoc quod conficimus, corpus ex Virgine est. Quid ergo quævis natura ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine?* Et super illud Joan. vi. *Verba que ego locutus sum vobis*, scilicet de hoc sacramento, *spiritus, & vita sunt*, dicit Chrysostomus (hom. xlvj. in Joan. ante med.) „ idest spiritualia sunt, nihil habentia carnale, neque consequentiam naturalem; sed eruta sunt ab omni tali necessitate quæ in terra, & a legibus quæ hic positæ sunt. “ Manifestum est enim quod omne agens agit, in quantum est actu. Quodlibet autem agens creatum, est determinatum in suo actu, cum sit determinati generis, & speciei. Et ideo cuiuslibet agentis creati actio fertur super aliquem determinatum actum. Determinatio autem cuiuslibet rei in esse actuali est per ejus formam. Unde nullum agens naturale, seu creatum potest agere nisi ad immutationem formæ: & propter hoc omnis conversio quæ fit secundum leges naturæ, est formalis. Sed Deus est actus infinitus, ut in

prima parte habitum est (quæst. vii. art. 1. & quæst. xx. art. 2.) unde ejus actio se extendit ad totam naturam entis. Non igitur solum potest perficere conversionem formalem, ut scilicet diversæ formæ sibi in eodem subjecto succedant; sed conversionem totius entis, ut scilicet tota substantia hujus convertatur in totam substantiam illius. Et hoc agitur divina virtute in hoc sacramento: nam tota substantia panis convertitur in totam substantiam corporis Christi, & tota substantia vini in totam substantiam sanguinis Christi. Unde hæc conversio non est formalis, sed substantialis; nec continetur inter species motus naturalis, sed proprio nomine potest dici transubstantiatio.

Ad primum ergo dicendum quod oblectio procedit de mutatione formali, quia formæ proprium est in materia, vel subjecto esse; non autem habet locum in conversione totius substantiæ. Unde cum hæc conversio substantialis importet quemdam ordinem substantiarum, quas una convertitur in alteram, est sicut in subjecto in utraque substantia, sicut ordo, & numerus.

Ad secundum dicendum, quod illa oblectio procedit de conversione formali, seu mutatione, quia oportet, sicut dictum est (in corp. & art. præc.) formam esse in materia, vel subjecto; non autem habet locum in conversione totius substantiæ, cujus non est accipere aliquod subjectum.

Ad tertium dicendum, quod virtute agentis finiti non potest forma in formam mutari, nec materia in materiam; sed virtute agentis infiniti, quod habet actionem in totum ens, potest talis conversio fieri: quia utrique formæ, & utrique materiæ est communis natura entis; & id quod est entitatis in una, potest auctor entis convertere in id quod

non apposta super altaris, descendens Deus fragilitati nostræ in suis oblatis vim vitæ convertens ea in veritatem propriæ carnis &c. Et Damasc. lib. 2. post quam præmisit illud quod art. 2. relatum est, subiungit; *Nam quod corpus e celo descenderit, sed quod panis & vinum in corpus & sanguinem Domini transmutantur (τρωσίου)* Theophylactus quoque in Marc. 14. *Speciem panis & vini (hoc est apparentiam) servat, & in virtutem carnis & sanguinis transelementat (τρωσίου)* Quod perinde est ac si dicat, *transubstantiat*, quia ex philosophi usu elementum dicitur materia & forma ex quibus tota substantiæ compositio constat: Ut & virtutem ibi pro alimenti substantia poni solidissime probat Perronius Cardinalis in suo de Eucharistia Tractatu jam notato. Hinc verissime in Concilio Tri-

dentino Sess. 13. c. 4. *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ in substantiam corporis Christi & sanguinis quæ conversio convenienter & proprie a sancta catholica Ecclesia transubstantiatio est appellata: Et Can. 2. Si quis dixerit in sacro sancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis & vini una cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem apostissime appellat, anathema sit.*

(*) Ita cum mss. edis passim. Nisolasus nec etiam fit ibi sicut in loco.

quod est entitatis in altera, sublato eo per quod ab illa distinguebatur.

APPENDI V.

EX art. babes primo: quomodo per rationem interimas hæresim *Anticalvinianorum* dicentium: In sacramento Eucharistiæ (licet asserant, contra *Calvinum*, esse realem corporis Christi præsentiam in Cœna) non fieri transubstantiationem, seu transubstantiationem. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari a Concilio *Lateranensi*, & *Florentino*; immo & ab Evangelicis: secundum quod narratur in appendicibus *artic. 1. 2.* Item a Concilio *Trident.* sessione 13. capit. quarto. „ Quoniam Christus redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit: ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc synodus declarat, per consecrationem panis, & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus. Quæ conversio convenienter, & proprie a sancta catholica Ecclesia transubstantiatio est appellata. *Hæc ibi. Et can. 2.* Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis, & vini una cum corpore, & sanguine Christi; negaritque mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini: quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat: Anathema sit. *Hæc ibi. Ex quibus (ut patet) damnata relinquitur etiam hæresis Berengarii dicentis; quod Eucharistiæ sacramentum nullam continet carnem, in quam convertatur panis præexistens: cum nulla ibi fiat conversio. Tertio* vides: quomodo &c.

Utrum in hoc Sacramento remaneant accidentia panis, & vini post conversionem.

Sup. art. 2. ad 3. & infra quest. lxxvi. art. 1. ad 3. & IV. dist. xi. quest. 1. art. 1. quest. 2. & dist. xii. quest. 1. art. 1. quest. 2. & I. Cor. xi. lect. 5.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod in hoc sacramento non remaneant accidentia panis, & vini. Remoto enim priori, removetur & posterior. Sed substantia est naturaliter prior accidente, ut probatur VII *Metaphyl. (tex. 4.)* Cum igitur, facta consecratione, non remaneat substantia panis in hoc sacramento, videtur quod non possint remanere accidentia ejus.

2. Præterea. In sacramento veritatis non debet esse aliqua deceptio. Sed per accidentia judicamus de substantia. Videtur ergo quod decipiatur humanum iudicium, si, remanentibus accidentibus, substantia panis non remaneat. Non ergo hoc est conveniens huic sacramento.

3. Præterea. Quamvis fides nostra non sit subjecta rationi, non tamen est contra rationem, sed supra ipsam, ut in principio huius operis dictum est (*quest. 1. art. 2. & 8. & 2. 2. quest. 1. art. 4. & 5. & quest. x. art. 1. ad 1.)* Sed ratio nostra habet ortum a sensu. Ergo fides nostra non debet esse contra sensum. Est autem contra sensum, dum sensus iudicat esse panem, & fides credit esse substantiam corporis Christi. Non ergo hoc est conveniens huic sacramento, quod accidentia panis subjecta sensibus maneant, & substantia panis non maneat.

4. Præterea. Illud quod manet, conversione facta, videtur esse subjectum mutationis. Si ergo accidentia panis manent, conversione facta, videtur quod ipsa accidentia sint conversionis subiectum: quod est impossibile, nam accidentis non est accidens. Non ergo in hoc sacramento debent remanere accidentia panis, & vini.

Sed contra est quod Augustinus dicit in *Lib. Senten. Prosperi (seu Prosper in Lib. Sent Augustini: & hab. cap. xli. de consecrat. dist. 11.)* Nos in specie panis, & vini, quam videmus, res invisibiles, idest carnem, & sanguinem, honoramus.

Respon-

Respondeo dicendum, quod sensu apparet, facta consecratione, omnia accidentia panis, & vini remanere.

Quod quidem rationabiliter per divinam providentiam fit. Primo quidem quia non est consuetum hominibus, sed horribile carnem hominis comedere, & sanguinem bibere, Et ideo proponuntur nobis caro, & sanguis Christi sumenda sub speciebus illorum quæ frequentius in usum hominis veniunt, scilicet panis, & vini. Secundo ne hoc sacramentum ab infidelibus irrideretur, si sub specie propria Domini nostri manducaremus. Tertio ut dum invisibiliter corpus, & sanguinem Domini nostri sumimus, hoc proficiat ad meritum fidei.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut dicitur in Lib. de causis (proposit. 11.) effectus plus dependent a causa prima quam a causa secunda. Et ideo virtute Dei, qui est causa prima omnium, fieri potest ut remaneant posteriora, prioribus sublatis.

Ad secundum dicendum, quod in hoc sacramento nulla est deceptio: sunt enim ibi secundum rei veritatem accidentia, quæ sensibus dijudicantur. Intellectus autem, cuius est proprium objectum substantia, ut dicitur in III. de Anima (tex. 26.) per fidem a deceptioe preservatur.

Et sic patet responsio ad tertium: nam fides non est contra sensum, sed est de eo ad quod sensus non attingit.

Ad quartum dicendum, quod hæc conversio non proprie habet subiectum, ut dictum est (art. præc. ad 1. & 2.) sed tamen accidentia quæ remanent, habent aliquam similitudinem subiecti.

A P P E N D I X.

EX art. habes prima: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, & August. quod accidentia panis, & vini debent remanere, idest, convenienter remanent in sacramento Eucharistiæ. A D. August. quidem per hoc, quod dicit in Lib. &c. secundum quod ponitur in *argum. contr.* Non enim intendit principaliter ibi demonstrare id, quod manifeste patet ad sensum, sc. quod accidentia illa remaneant: sed id, quod non tam omnibus patens est, sc. quod ipsa convenienter ibi remanent; seu (quod in idem redit) quod convenienter datur nobis velato modo, idest, sub accidentibus panis, & vini, caro, sanguis Domini. Id, quod & Divi Thome vius principale inten-

Summ. S. Th. T. XII.

tum in hoc articulo querere, & determinare: licet in titulo superficialiter considerato videatur de re illa manifestissima velle inquirere, non autem de tali, quam nunc diximus, convenientia. A scripturis vero id ipsum, sc. quod debuerat sub accidentibus dari velatus, seu (quod idem importat) quod convenienter accidentia post consecrationem erant remansura, insinuat per hoc, quod tanquam in hujus rei figuram, dicitur Tobie capit. 12. *sacramentum regis abscondere bonum est.* Antonomastice enim sacramentum regis est Eucharistia, ubi Rex regum, & dominus dominantium residet absconditus. Item per hoc, quod dicitur Nu. 4. quod Aaron debebat involvere, ne ab aliis discoperita viderentur, & arcam testimonii, & mensam propositionis panum, & (brevisiter loquendo) sanctuarium, atque omnia vasa ejus. Vide totum illud capitulum per te: & scias, quod *omnis hæc in figura contingebat illis.* Quod videlicet sumimus sacerdos figuratus Aaron, idest, Christus seipsum, qui est arca testimonii, & velaturus erat his accidentibus, tanquam coopturis quibusdam, in sacramento altaris existentem, ne ab aliis videretur. Et hoc propter rationes dictas in tex. corp. hujus articuli. Item per hoc, quod tanquam præsens mysterium pulcherrime figurando, dicitur Genes. 27. *Senuit Isaac, & caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat.* Lege totum capitulum per te: & invenies ibi ista omnia, sc. Isaac, Rebeccam, Esau, Jacob; benedictionem datam, vestes, &c. Scito igitur ad propositum figuratum illa applicando, quod prædictarum quatuor personarum Isaac, & Rebecca, tanquam masculus & foemina, significant duas naturas in nobis, idest corpus, & animam. Masculus, quoniam solet magis esse manifestus, & exterioribus plus intendit, significat exteriorem hominem, scilicet corpus cum suis sensibus: Foemina, quoniam domi residet, & familiam regit, significat interiorem hominem, idest animam, quæ salutis suæ, & aliorum gerit curam. Alia persona, sc. Jacob bonus, & formosus, quem Rebecca, idest anima fidelis diligit, significat verum corpus Christi. Alia persona, scilicet Esau, quem Isaac, idest corpus amabat, eo, quod de cibus suis vesceretur, significat substantiam panis cum suis accidentibus; sc. colore, sapore, &c. Dum itaque Isaac, quasi homo exterior, idest sacerdos, benedicere debet, idest, consecrationis verba dicit, recedit Esau, idest substantia panis: sed tamen similitudo Esau, sc. vestes cum odore, pelles pilosæ, cibus cum

V sapo-

sapore, idest accidentia panis (quæ sunt quædam similitudo panis) scilicet color, sapor, odor, durities, remanent circa Jacob, idest circa corpus Christi & propter hoc Isaac, qui videre non potest idest sensus corporis nostri, qui ad tantam rem attingere non possunt, falluntur. Ibi fallitur visus corporis: quia putat præ oculis habere Esau, idest panem, & tamen non habet, nisi vestes ejus, idest speciem, idest similitudinem panis, quæ sunt accidentia ipsius: sub qua similitudine, idest sub quibus accidentibus, latet Jacob, idest corpus Christi. Ibi fallitur gustus: quia putat comedere cibos Esau, idest panem: & tamen gustat tantum similitudinem ejus, comedens revera cibum Jacobi, idest corpus Christi. Ibi fallitur olfactus, quia putat sentire odorem Esau, idest substantiæ panis: & tamen, cum vere non sit ibi, sentit solummodo odorem vestimentorum ejus, idest accidentium panis, quibus vestitus est Jacob, idest corpus Christi. Ibi fallitur tactus dicens *ly Manus sunt manus Esau*: quia putat tangere Esau, idest panem. & tamen non tangit, nisi similitudinem panis, idest duritiem, sub qua latet velatus Jacob, idest, corpus Christi. Porro Isaac solo auditu non fallitur, dicens *ly vox quidem vox Jacob est*, quia homo exterior solo sensu auditus veritatem tanti mysterii agnoscere potest, dum scilicet audit a Christo vocem istam: *Hoc est corpus meum*. Vide not. 1. 2. 3. *post ad secundum*. Ubi advertes etiam: quod sensus non decipitur, quantum est ex parte rei sibi ad extra objectæ, sed decipitur ex seipso, in quantum scilicet exit proprios terminos, quod est non stare præcise in iudicio de accidentibus, puta, quod hoc sit albedo, sit sapor, sit odor, sit quantum, sit rotundum, sit rubeum, &c. Cæterum, quod a figuris ad figurata in hujusmodi Theologicis liceat, & expediat procedere (dummodo singula recte & intelligantur, & applicentur) docuit factis ipsis Concilium *Hispalense* 2. ut alias annotavimus. Vide illud recitatum, pro quanto sufficit, in Veritatibus aureis super legem veterem, *Levitic. 8. conclus. 2. Secundo* vides: quomodo &c.

ARTICULUS VI. 445

Utrum, facta consecratione, remaneat in hoc Sacramento forma substantialis panis.

Infr. quest. lxxvii. art. 1. & 6. cor. & IV. dist. xi. quest. 1. art. 1. quest. 3. & dist. xii. quest. 1. art. 2. quest. 3. cor. & I. Cor. xi. lect. 4. fin.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod facta consecratione, remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis. Dicitur enim (art. præc.) quod facta consecratione, remanent accidentia. Sed cum panis sit quoddam artificiale, etiam forma ejus est accidens. Ergo remanet, facta consecratione.

2. Præterea. Forma corporis Christi est anima: dicitur enim in II. de Anima (tex. 4. 5. & 6.) quod *anima est actus corporis physici, potentia vitam habentis*. Sed non potest dici, quod forma substantialis panis convertatur in animam. Ergo videtur quod remaneat, facta consecratione.

3. Præterea. Propria operatio rei sequitur formam substantialem ejus. Sed illud quod remanet in hoc sacramento, nutrit, & omnem operationem facit: quam faceret panis existens. Ergo forma substantialis panis remanet in hoc sacramento, facta consecratione.

Sed contra. Forma substantialis panis est de substantia panis. Sed substantia panis convertitur in corpus Christi, sicut dictum est (art. 2. & 4. hu. quest.) Ergo forma substantialis panis non manet.

Respondeo dicendum, quod quidam posuerunt, quod facta consecratione, non solum remanent accidentia panis, sed etiam forma substantialis ejus.

Sed hoc esse non potest. Primo quidem quia si forma substantialis panis remaneret, nihil de pane converteretur in corpus Christi, nisi sola materia; & ita sequeretur quod non converteretur in corpus Christi totum, sed in ejus materiam: quod repugnat formæ sacramenti, qua dicitur: *Hoc est corpus meum*. Secundo quia si forma substantialis panis remaneret, aut remaneret in materia aut a materia separata. Primum autem esse non potest: quia si remaneret in materia panis, tunc tota substantia panis remaneret: quod est contra prædicta (art. 2. hu. quest.) In alia autem materia remanere non posset: quia propria forma non est nisi in propria materia. Si autem remaneret a materia separata

parata, jam esset forma intelligibilis actu, & etiam intelligens: nam omnes formæ a materia separatae sunt tales. Tertio esset inconueniens huic sacramento: nam accidentia panis in hoc sacramento remanent, ut sub

eis videatur corpus Christi, non autem sub propria specie, sicut supra dictum est (art. præc.)

Et ideo dicendum est, quod forma substantialis panis non remanet. (1)

V 2

Ad

(1) Nec obstat illud quod ex Theodoro Dialogo 2. tam præfracte ab hæreticis obijci solet: *Signa mystica post sanctificationem a natura propria non recedunt: Manens siquidem in priori substantia, figura, forma &c.* Primo quia per substantiam formam & naturam, non eam quæ dat esse substantiale, intelligi vult prout Prædicamentum substantiæ accidentibus opponitur, & prout forma definitur dans esse rei, vel natura dicitur *unumquodque informans differentia specifica*, sicut in libro de duabus naturis Boetius loquitur; sed prout *substantia* (vel ex græco *uicia essentia*) ipsis accidentibus tribuitur; & forma solam rei habitudinem ac speciem externam representat; (quæ propterea cum figura jungitur) & natura pro sola naturali proprietate usurpatur: Unde sequus est quod maneat eadem extrinseca dispositio & eadem proprietates naturales quæ prius erant eademque accidentium vel symbolorum essentia; puta quod visum similiter ac prius afficiant, & similiter tactu palpentur vel nutriant, ut ex adjunctis ibi patet; cum subiungitur; *Et videri & tangi possunt, sicut prius*: Nam alioqui quod hac apparentia non obstante sit vera, intrinseca, substantialis & realis in substantia Christi conversio, satis immediate significat, cum addit; *Intelliguntur autem ea esse que facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut que illa sine que creduntur*: Quomodo enim adorari diceret, nisi sublata substantia, siue substantiali forma panis, veram ipsius Christi substantiam ibi crederet realiter præsentem esse, quæ adorari sola debet? Secundo, quia ut Perronio Cardinali magis placuit & placere apprime potest, non videtur legendum sicut passim quod *in priori substantia, forma & figura manent*; sed *in prioribus substantia & figura & forma*, id est & figuram & formam prioris substantiæ retinent: Nempe ut ex duobus genitivis græce politis *ἡν τὸν ὑποτύπον ὑσίας καὶ σχήματ' ἡ καὶ ἰδέας*, primus accipiatur in vi & significatione genitivi, quasi *prioris substantiæ*, secundus autem in vi & significatione ablativi, quo quia Græci carent sæpe pro illo genitivum usurpant: Et hoc modo planior quam antea sensus est quod eadem accidentia quæ in priori substantia panis & vini erant, post utriusque conversionem remaneant ut prius immutata; & a natura sua non recedant, id est a virtute quam habent naturali afficiendi sensum vel nutriendi &c. Sed nec obstat *ansityporum* nomen quo Patres Græci Eucharistiam significant, & nominatim Basilii; quicquid ex illo hæretici se colligere putent ad probandum quod substantia panis ibi semper sit realiter, & corpus Christi tantum in figura. Nam primo quidem sicut Epiphanius Diaconus explicat in 7. Synodo Act. 6. Basilij sensus est ut nonnisi ante consecrationem *ansitypa* intelligantur, non post: Et licet eam appellationem consecrationi subiungat, sensum tamen illius, ut ex græca loquutione manife-

stum est, in præteritum trahit; cum *ὑπότυπος* in auristo qui præterito æquivalet, non *ὑπότυπος* in præterito usurpat Quasi dicat: *Post ansitypa proposita uocamus (agens proprose) non ut ob inopiam participij Latini passim reddidit proponentes, quasi etiam ansitypa tunc intelligi possint ac debeant quando consecratio peracta est.* Secundo quamvis hoc nomen *ansitypum* (seu græce *ὑπότυπος*) interdum significet figura vel exemplar, ut ad Heb. 9. vers. 24. tabernacula manufacta seu mosaica dicuntur esse *ὑπότυπος τῶν ἀληθινῶν* idest *exemplaria verorum vel figuræ*; alibi tamen significat aliquid quod figuræ potius ex aduerso respondet: sicut 1. Petri 3. vers. 21. arcæ a diluuiio liberantis *ὑπότυπος* baptisma nuncupatur, quasi per arcam ut per figuram designatum, ait Catena græca ibi; pro quo tamen *ἁπλῆς* forma vulgatus textus reddit. Interdum quoque significat aliquid vice figuræ substitutum quasi *figuram vicariam*; sicut Epiphanius novi Paschatis mysteria veteris *ὑπότυπος* nuncupat, quasi vices illius implectia. Interdum significat solidum quiddam, verum, essentialiale, fictitiis, idealibus & imaginariis rebus oppositum; sicut Suidas *ansitypa corpora* notat a Philosophis dici quæ corporibus mathematicis imaginatione sola conceptis opponuntur. Interdum significat aliquid ex alio transumptum vel expressum; sicut quarundam scriptionum exemplaria Synecius appellat *ansitypa* (ut epist. 67. videre est) cuiusmodi exemplaria idem continent quod id ex quo transumpta vel expressa sunt: Interdum significat sigilli siue formæ impressionem in aliena materia inditam; quæ similiter totum continet quod ipsemet character ex quo efformata est, sicut filius Dei *character Patris* ab Apostolo appellatur, quasi substantialem Patris impressionem ac naturam continens: Præter alia quædam significata quæ Cardinalis Perronius iuxta variam notionem vel derivationem græcæ vocis adiungit. Cum Clementis testimonium id prædicto Eucharistiæ suæ opere versat, & huc minus proprie spectant. Sic ergo *ansitypa* dicuntur sacra Eucharistiæ signa vel mysteria & symbola, quasi figuris veteribus ex opposito respondentia, quasi per illas designata, quasi earum vices aptiori significato suppletia, quasi solidam veritatem continentia, cuius inane tantum umbam non verum corpus Mosaicæ figuræ continebant: Præsertim vero quasi eandem vim, naturam, formam, impressionem in seipsis exprimentia, quam habet in se corpus Christi; sicut Nicetas Choniates in Alexio lib. 3. insinuat, ubi pro *ὑπότυπος* vob *solidas* interpres ejus vertit. Quod longe abest a a figura quam hæretici fingunt.

Nec magis eos verba Tertulliani iuvant ex lib. 4. contra Marcionem cap. 40. ubi ait: *Acceptum panem & distributum discipulis corpus suum illam formam, dicendo, Hoc est corpus meum, id est figura corporis mei*: Non enim hæretica constructione sic intel-

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet, arte fieri aliquid cujus forma non est accidens, sed forma substantialis; sicut arte possunt produci ranæ, & serpentes: talem enim formam non producit ars virtute propria, sed virtute naturalium principiorum. Et hoc modo producit formam substantialem panis, virtute ignis decoquentis materiam ex farina, & aqua confectam.

Ad secundum dicendum, quod anima est forma corporis, dans ei totum ordinem esse perfecti, scilicet & esse corporeum, & esse animatum, & sic de aliis. Convertitur igitur forma panis in formam corporis Christi, secundum quod dat esse corporeum, non autem secundum quod dat esse animatum tali anima.

Ad tertium dicendum, quod operationum panis quedam consequuntur ipsum ratione accidentium, sicut immutare sensum: & tales operationes inveniuntur in speciebus panis post consecrationem, propter ipsa accidentia quæ remanent. Quedam autem operationes consequuntur panem vel ratione materię, sicut quod convertatur in aliquid, vel ratione formę substantialis, sicut est operatio consequens speciem ejus, puta quod confirmat cor hominis: & tales operationes inveniuntur in hoc sacramento non propter formam, vel materiam, quæ remaneat, sed quia miraculose conferuntur ipsis accidentibus, ut infra dicetur (quæst. lxxvii. art. 3. 5. & 6.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses prænaratas in art. 2. *append.* In substantia enim panis continetur non tantum materia panis, sed & forma substantialis ejus. Verum (ut alias pro locis multis annotavimus) ideo S. Doctor aliquos articulos, jam virtualiter in aliis tra-

ctatos, ac determinatos, noviter postea in speciali movere propter speciales de illis aliorum opiniones, vel difficultates, ut hic fit, & patet. *Secundo* habes, quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari a distis in præcitati articuli appen. Irem a Concilio Trident. *sess. 13. cap. 4. & can. 2.* per ly *totius substantia*. Si enim forma substantialis vel panis, vel vini, consecratione facta, remaneret; manifestissime utique constaret: quod per consecrationem non fuisset facta conversio totius substantię panis, & totius substantię vini. Quomodo enim vel intelligi posset esse facta, si de ratione totius est non solum materia, sed etiam substantialis forma? Idem ergo est dicere, tunc conversionem fieri totius substantię panis; & vini: quod est dicere, tunc neque materiam, neque substantialem formam panis, & vini remanere: & consequenter anathematizare contrarium illius primi dicti est anathematizare simul contrarium hujus secundi. Item ab eodem concilio *ibid. capit. 5. & can. 6.* Latrę siquidem cultum, qui vero Deo debetur, sanctissimo Eucharistię sacramento exhibendum esse, utrobique decernit. Tali autem venerationi hujus sacramenti contrariaretur (ut patet *art. 2. corp.*) si aliqua substantia esset ibi, quæ non posset adorari adoratione latrę. Quod utique tunc esset; si forma substantialis, quæ procul dubio aliqua substantia est, post consecrationem in sacramento ipso remaneret. Pro eodem igitur accipiendum est hoc, scilicet Eucharistię sacramento est cultu latrę adorandum, & illud scilicet neque materia, neque substantialis forma panis, & vini remanent in hoc sacramento. Anathematismi ergo contra negantes adorationem talem conintelliguntur de necessitate esse etiam contra ponentes, aut materiam, aut substantialem formam panis, seu vini remanere in sacramento illo. Quæ omnia clara sunt. *Tertio* vides: quomodo &c.

A R.

intelligi debet ut *figura corporis* tanquam prædicatum accipiatur sive tanquam explicatio prædicati, quasi corporis nomen transumptivè pro figura ponatur; sed pro subjecto tantum sive tanquam explicatio vel determinatio subjecti: Ut sit sensus: *Hoc* (nempe panis) *qui olim erat figura solum corporis mei, nunc est verisimiliter corpus meum*: Transpositio ergo constructionis est familiaris Tertulliano, sicut alia illa lib. contra Praxeam cap. 19. *Christus mortuus est, id est unctus*; ubi planum est vocem *unctus* non ad mortuum sed ad Christum (ex græco *ἀγιωσ* ab unctione dictum) referendam; Unde fi-

gura in priori loquutione non ad corpus referri debet quod supponatur figurativum in sacramento, sed ad panem qui ante ipsam novam legem figura extiterit corporis & sit in lege nova ipsum corpus, ut ex adjunctis ibi patet; *Figura autem non fuisset* (inquit immediate post prædicta) *nisi verisimiliter esset corpus*; Quod contra Marcionem expresse urget, ut ostendat veteris Testamenti figuris conformari ac respondere novi veritatem; & nominatim illam Hierem. 2. *Mittamus lignum in panem ejus, id est, crucem in corpus, &c.*

ARTICULUS VII. 449

Utrum ista conversio fiat in instanti.

Sup. art. 3. corp. & inf. quest. lxxvii. art. 2. & 5. cor. & IV. dist. xi. quest. 1. art. 2. cor. & art. 3. quest. 2. per tot. & IV. cont. cap. lxxiiii.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod ista conversio non fiat in instanti sed sit successiva. In hac enim conversione prius est substantia panis, & postea substantia corporis Christi. Non ergo utrumque est in eodem instanti, sed in duobus instantibus. Sed inter quolibet duo instantia est tempus medium. Ergo oportet quod hæc conversio fiat secundum successionem temporis, quod est inter ultimum instans quo ibi est panis, & primum instans quo ibi est corpus Christi.

2. Præterea. In omni conversione est fieri, & factum esse. Sed hæc duo non sunt simul: quia quod fit, non est; quod autem factum est, jam est. Ergo in hac conversione est prius, & posterius: & ita oportet quod non sit instantanea, sed successiva.

3. Præterea. Ambrosius dicit in Lib. IV. de sacram. (cap. iv. parum a princ.) quod istud sacramentum Christi sermone conficitur. Sed sermo Christi successive profertur. Ergo hæc conversio fit successive.

Sed contra est quod hæc conversio perficitur virtute infinita, cuius est subito operari.

Respondeo dicendum, quod aliqua mutatio est instantanea triplici ratione. Uno quidem modo ex parte forme, quæ est terminus mutationis. Si enim sit aliqua forma quæ recipiat magis, & minus, successive acquiritur subiecto; sicut sanitas: & ideo quia forma substantialis non recipit magis, & minus, inde est quod subito fit ejus introductio in materia. Alio modo ex parte subiecti, quod quandoque successive præparatur ad susceptionem forme; & ideo aqua successive calefit: quando vero ipsum subiectum est in ultima dispositione ad formam, subito recipit ipsam, sicut diaphanum, subito illuminatur. Tertio modo ex parte agentis, quod est infinitæ virtutis: unde statim potest materiam ad formam disponere; sicut dicitur Marci vii. 34. quod cum Christus dixisset, *Ephpheta, quod est adaperire, statim apertæ sunt aures hominis, & solutum est vinculum lingue ejus.*

Ex his tribus rationibus hæc conversio est

instantanea. Primo quidem quia substantia corporis Christi, ad quam terminatur ista conversio, non suscipit magis, neque minus. Secundo quia in hac conversione non est aliquod subiectum, quod successive præparatur. Tertio quia agitur Dei virtute infinita.

Ad primum ergo dicendum, quod quidam non simpliciter concedunt, quod inter quolibet duo instantia sit tempus medium. Dicunt enim, quod hoc habet locum in duobus instantibus quæ referuntur ad eundem motum, non autem in duobus instantibus quæ referuntur ad diversa: unde inter instans quod mensurat finem quietis, & aliud instans quod mensurat principium motus, non est tempus medium.

Sed in hoc decipiuntur: quia unitas temporis, & instantis, vel etiam pluralitas eorum non accipitur secundum quoscumque motus, sed secundum primum motum cæli, qui est mensura omnis morus, & quietis.

Et ideo alii hoc concedunt in tempore quod mensurat motum dependentem ex motu cæli. Sunt autem quidam motus ex motu cæli non dependentes, nec ab eo mensurati, sicut in prima parte dictum est de motibus Angelorum (quest. lxi. art. 3.) Unde inter duo instantia illis motibus respondentia non est tempus medium.

Sed hoc non habet locum in proposito: quia quamvis ista conversio secundum se non habeat ordinem ad motum cæli, consequitur tamen prolationem verborum, quam necesse est motu cæli mensurari. Et ideo necesse est inter quolibet duo instantia circa istam conversionem signata esse tempus medium.

Quidam ergo dicunt, quod instans in quo ultimo est panis, & instans in quo primo est corpus Christi, sunt quidem duo per comparisonem ad mensurata, sed sunt unum per comparisonem ad tempus mensurans; sicut cum duæ lineæ se contingunt, sunt duo puncta ex parte duarum linearum, unum autem punctum ex parte loci continentis.

Sed hoc non est simile: quia instans, & tempus particularibus motibus non est mensura intrinseca, sicut linea, & punctum corporis; sed solum extrinseca, sicut corporibus locus.

Unde alii dicunt, quod est idem instans re, sed aliud ratione.

Sed secundum hoc sequeretur quod realiter opposita essent simul: nam diversitas rationis non variat aliquid ex parte rei.

Et ideo dicendum est, quod hæc conversio, sicut dictum est (in corp. art.) perficitur per

per

per verba Christi, quæ a sacerdote proferuntur; ita quod ultimum instans prolationis verborum est primum instans in quo est in sacramento corpus Christi, in toto autem tempore præcedente est ibi substantia panis: cujus temporis non est accipere aliquid instans proxime præcedens ultimum, quia tempus non componitur ex instantibus consequenter se habentibus, ut probatur VI. Physic. (a princ. Lib.) Et ideo est quidem dare primum instans in quo est corpus Christi; non est autem dare ultimum instans in quo sit substantia panis, sed est dare ultimum tempus. Et idem est in mutationibus naturalibus, ut patet per Philosophum in VIII. Physic. (tex. 72.)

Ad secundum dicendum, quod in mutationibus instantaneis simul est fieri, & factum esse; sicut simul est illuminari, & illuminatum esse: dicitur enim in talibus factum esse, secundum quod jam est; fieri autem, secundum quod ante non fuit.

Ad tertium dicendum, quod ista conversio, sicut dictum est (in resp. ad 1.) fit in ultimo instanti prolationis verborum: tunc enim completur verborum significatio, quæ est efficax in sacramentorum formis. Et ideo non sequitur quod ista conversio sit successiva.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, & concilio; quod conversio, quæ fit in Eucharistia sacramento, fit in instanti. A Concilio quidem *Florentino*. Per hoc enim, quod dicit (supra artic. 1. 2. appen.) quod verborum Christi a sacerdote prolatorum virtute convertitur substantia panis in corpus, & substantia vini in sanguinem Christi, significat: quod ista conversio est instantanea. Nam virtus Christi est infinita; cujus est subito operari (ut dicitur in *arg. cont.* & monstratur in corp. ex *Mar. 7.*) A scripturis autem, tanquam per locum a simili, ut *Luc. 1.* *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.* Sicut enim in ultimo instanti prolationis horum verborum unigenitus Deus in utero B. Virginis carnem induit, & homo factus est; ita in ultimo instanti prolationis verborum sacramentalium unigeniti Dei corpus, & sanguis per conversionem toties

præmissam in hoc sacramento fiunt: & horum unum, scilicet incarnatio Christi, fuit quædam a simili insinuatio alterius, scilicet conversionis sacramentalis hujus. *Secundo* vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S VIII. 447

Utrum hæc sit falsa: Ex pane fit corpus Christi.

IV. dist. xi. quest. 1. art. 4.

AD octavam sic proceditur. Videtur quod hæc sit falsa: *Ex pane fit corpus Christi*. Omne enim id ex quo fit aliquid, (*) etiam dicitur quod fit illud, sed non convertitur: dicimus enim, quod ex albo fit nigrum & quod album fit nigrum; & licet dicamus, quod homo fiat niger, non tamen dicimus, quod ex homine fiat nigrum, ut patet in I. Physic. (tex. 44.) Si ergo verum est quod ex pane fiat corpus Christi, verum erit dicere, quod panis fiat corpus Christi: quod videtur esse falsum, quia panis non est subjectum factionis, sed magis est terminus. Ergo non vere dicitur, quod ex pane fiat corpus Christi.

2. Præterea. Fieri terminatur ad esse, vel ad factum esse. Sed hæc nunquam est vera: *Panis est corpus Christi*: vel *Panis est factum corpus Christi*: vel etiam, *Panis erit corpus Christi*. Ergo videtur quod nec etiam hæc sit vera: *Ex pane fit corpus Christi*.

3. Præterea. Omne id ex quo fit aliquid, convertitur in id quod fit ex eo. Sed hæc videtur esse falsa: *Panis convertitur in corpus Christi*: quia hæc conversio videtur esse miraculiosior quam creatio mundi; in qua tamen non dicitur, quod non ens convertitur in ens. Ergo videtur quod etiam hæc sit falsa. *Ex pane fit corpus Christi*.

4. Præterea. Illud ex quo fit aliquid, potest esse illud. Sed hæc est falsa: *Panis potest esse corpus Christi*. Ergo & hæc est falsa: *Ex pane fit corpus Christi*.

Sed contra est quod Ambrosius dicit in Lib. IV. de sacramentis (cap. iv. cir. princ.) *Ubi accedit consecratio, de pane fit corpus Christi*.

Respondeo dicendum, quod hæc conversio panis in corpus Christi quantum ad aliquod con-

(*) Ita Theologi, Nicolaius, & editi recentiores cum quibusdam n. s. Cod. Aleam. optime est illud quod

fit, veteres edidit est id quod fit illud.

convenit cum creatione, & cum transmutatione naturali, & quantum ad aliquid differt ab utroque. Est enim commune his tribus ordo terminorum; scilicet ut post hoc sit hoc (in creatione enim est esse post non esse; in hoc sacramento corpus Christi post substantiam panis: in transmutatione naturali album post nigrum, vel ignis post aerem) & quod prædicti termini non sint simul. Convenit autem conversio de qua nunc loquimur, cum creatione, quia in neutra eorum est aliquod commune subiectum utrique extremorum: cuius contrarium apparet in omni transmutatione naturali. Convenit vero hæc conversio cum transmutatione naturali in duobus, licet non similiter. Primo quidem quia in utraque unum extremorum transit in aliud; sicut panis in corpus Christi, & aer in ignem; non autem non ens convertitur in ens. Aliter tamen hoc accidit utrobique: nam in hoc sacramento tota substantia panis transit in totum corpus Christi; sed in transmutatione naturali materia unius suscipit formam alterius, priori forma deposita. Secundo conveniunt in hoc quod utrobique remanet aliquid idem, quod non accidit in creatione; differenter tamen: nam in transmutatione naturali remanet eadem materia, vel subiectum; in hoc autem sacramento remanent eadem accidentia.

Et ex his potest accipi, qualiter differenter in talibus loqui debeamus. Quia enim in nullo prædictorum trium extrema sunt simul, ideo in nullo eorum potest unum extremum de alio prædicari per verbum substantivum præsentis temporis: non enim dicimus, *Non ens est ens*, vel *Panis est corpus Christi*, vel *Aer est ignis*, vel *Album est nigrum*. Propter ordinem vero extremorum possumus uti in omnibus hac præpositione *ex*, quæ ordinem designat, possumus enim vere, & proprie dicere, quod *ex* non ente fit ens, & *ex* pane corpus Christi, & *ex* aere ignis, vel *ex* albo nigrum. Quia vero in creatione unum extremorum non transit in alterum, non possumus in creatione uti verbo conversionis; ut dicamus, quod non ens, convertitur in ens: quo tamen verbo uti possumus in hoc sacramento, sicut & in transmutatione naturali. Sed quia in hoc sacramento tota substantia in totam substantiam mutatur, propter hoc hæc conversio proprie transubstantiatio vocatur.

Rursus quia huius conversionis non est accipere aliquod subiectum, ea quæ verificantur in conversione naturali ratione subiecti, non

sunt concedenda in hac conversione. Et primo quidem manifestum est quod potentia ad oppositum consequitur subiectum, ratione cuius dicimus, quod album potest esse nigrum, & aer potest esse ignis; licet hæc non sit ita propria, sicut prima: nam subiectum albi, in quo est potentia ad nigredinem, est tota substantia albi: non enim albedo est pars ejus: subiectum autem formæ aeris est pars ejus: unde cum dicitur, Aer potest esse ignis, verificatur ratione partis per synecdochem. Sed in hac conversione, & similiter in creatione, quia nullam est subiectum, non dicitur, quod unum extremum possit esse aliud; sicut quod non ens possit esse ens, vel quod panis possit esse corpus Christi: & eadem ratione non potest proprie dici, quod de non ente fiat ens, vel quod de pane fiat corpus Christi: quia hæc propositio designat causam consubstantialitatis: quæ quidem consubstantialitas extremorum in transmutationibus naturalibus attenditur penes convenientiam in subiecto. Et simili ratione non conceditur, quod panis erit corpus Christi, vel quod fiat corpus Christi; sicut neque conceditur in creatione, quod non ens erit ens, vel quod non ens fiat ens: quia hic modus loquendi verificatur in transmutationibus naturalibus ratione subiecti; puta cum dicimus, quod album sit nigrum, vel album erit nigrum.

Quia tamen in hoc sacramento, facta conversione, aliquid idem manet scilicet accidentia panis, ut supra dictum est (art. 5. hu. quæst.) secundum quamdam similitudinem aliquæ harum locutionum possunt concedi; scilicet quod *panis sit corpus Christi*, vel *panis erit corpus Christi*, vel *de pane sit corpus Christi*; ut nomine panis non intelligatur substantia panis, sed in universali hoc quod sub speciebus panis continetur, sub quibus prius continetur substantia panis, & postea corpus Christi.

Ad primum ergo dicendum, quod illud ex quo aliquid fit, quandoque quidem importat simul subiectum cum uno extremorum transmutationis; sicut cum dicitur, Ex albo fit nigrum; & sic etiam dici potest, Hoc fit illud, idest album fit nigrum: quandoque vero importat solum oppositum, vel extremum; sicut cum dicitur, Ex mane fit dies: Et sic non conceditur, quod hoc fiat illud, idest, quod mane fiat dies. Et ita etiam in proposito, licet proprie dicatur, quod *ex pane fiat corpus Christi*; non tamen proprie dicitur, quod *panis fiat corpus Christi*, nisi se-

cun-

cundum quamdam similitudinem, ut dictum est (in corp.)

Ad secundum dicendum, quod illud ex quo fit aliquid, quandoque erit illud propter subjectum quod importatur. Et ideo cum hujus conversionis non sit aliquod subjectum non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod in hac conversione sunt plura difficiliora quam in creatione, in qua hoc solum difficile est quod aliquid fit ex nihilo, quod tamen pertinet ad proprium modum productionis primæ causæ, quæ nihil aliud præsupponit; sed in hac conversione non solum est difficile quod hoc totum convertitur in illud totum, ita quod nihil prioris remaneat (quod non pertinet ad communem modum productionis alicujus causæ) sed etiam habet hoc difficile quod accidentia remaneant, corrupta substantia, & multa alia, de quibus in sequentibus agetur. Tamen verbum conversionis recipitur in hoc sacramento, non autem in creatione, sicut dictum est (in corp. art.)

Ad quartum dicendum, quod, sicut dictum est (in corp.) potentia pertinet ad subjectum, quod non est accipere in hac conversione: & ideo non conceditur quod panis possit esse corpus Christi: non enim hæc conversio fit per potentiam passivam creaturæ, sed per solam potentiam activam creatoris.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses prærecitatas *ar. 2. 4. & 6. app.* Ex eo enim, quod vere, & proprie verificatur propositio hæc, sc. Ex pane fit corpus Christi, sequitur manifeste apud penetrantes terminos, & quod substantia panis post consecrationem non remanet, & quod transubstantiatio hic datur, & quod forma substantialis panis non manet: quæ tria erant pro hæresibus ibi supra narrata. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari a conciliis, &c. ibi relatis. Per hoc enim, quod hic, sc. ex pane fit corpus Christi, importatur ordo terminorum, & extremum sine subjecto (ut declaravit probat. concl. 2. 3.) constat quod reprobantur jure opposita istorum trium quod utique ab ipsis conciliis fit: dum in sensu proferunt propositionem hanc, sc. Ex pane fit corpus Christi. Nam, si sensus Concilii *Lateran.* in *ly transubstantiatis pane in corpus & vino in sanguinem*, penetratur (ut decet)

A R T. VIII.

videmus per hæc verba significari & ordinem terminorum, scil. quod post panem fit corpus, post vinum sanguis; & extrema mutationis, scil. panis, vinum (ut termini a quibus) corpus, sanguis (ut termini ad quos) & nullum subjectum commune mutationis, sc. sub utroque extremo existens: alioquin non diceretur *ly transubstantiatis*. Si enim hoc totum convertitur in illud totum (id, quod importat transubstantiatio *ar. 4.*) quomodo potest vel intelligi, quod aliquid prioris, tanquam subjectum posterioris, remaneat? Patet ergo, singulis verborum concilii præmissi consideratis, quod ipsum dicendo *ly transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem*, dixit sententialiter hoc, sc. Ex pane vere, & proprie fit corpus Christi, & ex vino vere, & proprie fit sanguis ejusdem. Tertio vides: quomodo &c.

Q U Æ S T I O LXXVI.

De modo quo Christus est in hoc Sacramento,

In octo articulos divisa.

DEinde considerandum est de modo quo Christus existit in hoc sacramento: & circa hoc queruntur octo.

Primo, utrum totus Christus sit sub hoc sacramento.

Secundo, utrum totus Christus sit sub utraque specie sacramenti.

Tertio, utrum totus Christus sit sub qualibet parte specierum.

Quarto, utrum dimensiones corporis Christi totæ sint in hoc sacramento.

Quinto, utrum corpus Christi sit in hoc sacramento localiter.

Sexto, utrum corpus Christi moveatur ad motum hostiæ, vel calicis post consecrationem.

Septimo, utrum corpus Christi, prout est in hoc sacramento, possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato.

Octavo, utrum verum corpus Christi remaneat in hoc sacramento, quando miraculose apparet sub specie pueri, vel carnis.

ARTICULUS I. 448

Utrum totus Christus contineatur sub hoc Sacramento.

Infr. quest. lxxix. art. 1. ad 3. & IV. dist. x. art. 2. & quol. vii. art. 8. & Joan. vi. lect. 6. fin.

AD primum sic proceditur: Videtur quod non totus Christus contineatur sub hoc sacramento: Christus enim incipit esse in hoc sacramento per conversionem panis & vini, sicut dictum est (quest. præc. art. 4.) Sed manifestum est quod panis, & vinum non possunt converti neque in Divinitatem Christi, neque in ejus animam. Cum ergo Christus existat ex tribus substantiis, scilicet Divinitate, anima, & corpore, ut supra habitum est (1) videtur quod totus Christus non sit sub hoc sacramento.

2. Præterea. Christus est in hoc sacramento, secundum quod competit refectioni fidelium, quæ in cibo, & potu consistit, sicut supra dictum est (quest. lxxiv. art. 1.) Sed Dominus dicit Joan. vi. 56. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus est vere potus.* Ergo solum caro, & sanguis Christi continentur in hoc sacramento. Sunt autem multæ aliæ partes corporis Christi, puta nervi ossa, & alia hujusmodi. Non ergo totus Christus continetur sub hoc sacramento.

3. Præterea. Corpus majoris quantitatis
Summ. S. Tb. Tom. XII.

non potest totum contineri sub minoris quantitatis mensura. Sed mensura panis, & vini consecrati est multo minor quam propria mensura corporis Christi. Non potest ergo esse quod totus Christus sub hoc sacramento contineatur.

Sed contra: est quod Ambrosius dicit in Lib. de offic. (2) *In illo sacramento Christus est.*

Respondeo dicendum, quod omnino necesse est confiteri secundum fidem catholicam, quod totus Christus sit in hoc sacramento.

Sciendum tamen, quod aliquid Christi est in hoc sacramento dupliciter: uno modo quasi ex vi sacramenti; (3) alio modo ex naturali concomitantia. Ex vi quidem sacramenti est sub speciebus hujus sacramenti id in quod directe convertitur substantia panis, & vini præexistens, prout significatur per verba formæ quæ sunt effectiva in hoc sacramento, sicut & in ceteris mutationibus; puta cum dicitur, *Hoc est corpus meum*, vel *Hic est sanguis meus*. Ex naturali autem concomitantia est in hoc sacramento illud quod realiter est conjunctum ei in quod prædicta conversio terminatur. Si enim aliqua duo sunt realiter conjuncta, ubicumque est unum realiter, oportet & aliud esse. Solæ enim operatione animæ discernuntur quæ realiter sunt conjuncta.

Ad primum ergo dicendum, quod quia conversio panis, & vini non terminatur ad Divinitatem, vel animam Christi, consequens est quod Divinitas, vel anima Christi non sit

X

fit

(1) Non sicut prius ad marginem indicabatur quæ 2. sed quæ 1. art. 2. ubi ex August. implicite insinuat, sed expressius apud illum habetur lib. 13. de Trinit. cap. 17. quamvis paulo aliter sub his verbis, *ut ex duabus substantiis fieret una persona, ac per hoc jam ex tribus (subintellige substantiis) scilicet Deo anima & carne.*

(2) Ut in veteri editione Decretorum distinct. 2. de consecrat. cap. *Ante benedictionem* jam superius indicato refertur, sed ex libro de iis qui mysteriis initiantur (seu de initiandis) cap. 9. desumptum est & in editione nova Decretorum correctum, ut supra.

(3) Sive, ut Concilium Tridentinum loquitur sess. 13. cap. 3. *ex vi verborum*, cum sic ait: *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque ejus sanguinem sub panis & vini specie una cum ipsius anima & divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis & sanguinem sub specie vini ex vi verborum, ipsam autem corpus sub specie vini & sanguinem sub specie panis; animamque sub utraque vi*

*naturalis connexionis & concomitantia qua partes Christi Domini qui resurrexerit non moriturus amplius copulantur, divinitati vero propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypostaticam unionem, Quod autem sub nomine Symboli Ephesini subjungit S. Thomas & sic etiam in Decretis refertur dist. 2. de consecrat. cap. *Necessario*. plenius tamen quam hic, desumptum est ex epistola Cyrilli & Synodi Alexandrinæ ad Nestorium, in qua solemnis quedam professio fidei continetur, & quæ in Concilio ephesino cui Cyrillus ipse nomine Cælestini Papæ præfuit, recitata & recepta est. Sic ergo in Decretis juxta veterem versionem Cyrilli sive Symboli Ephesini: *Annuntiantes enim secundum eamdem materem unigeniti filij Dei (id est Jesu Christi) ac resurrectionem ejus & in calos ascensionem pariter consecratos, incruentam celebramus in Ecclesiis sacrificij servitutem (vel simpliciter in moderna Editione, incruentum sacrificium avarumurum) Sic etiam ad mysticam benedictionem ac adinam. Et sanctificationem, participes sancti corporis & preciosi sanguinis Christi omnium nostrum Redemptoris, effecti, &c.**

fit in hoc sacramento ex vi sacramenti, sed ex reali concomitantia. Quia enim Divinitas corpus assumptum numquam deposuit, ubicumque est corpus Christi, necesse est & ejus Divinitatem esse: & ideo in hoc sacramento necesse est esse Divinitatem Christi, concomitantem ejus corpus. Unde, (*) in Symbolo Ephesino (in Conc. gen. III. part. 1. cap. xxvi. in epist. Cyril. cap. vii.) legitur: *Participes officimur corporis, & sanguinis Christi, non ut communem carnem percipiamus, nec ut viri sanctificati, & Verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem, sed vere vivificatricem, & ipsius Verbi propriam factam.* Anima vero realiter separata fuit a corpore, ut supra dictum est (quæst. l. art. 3. & 4.) Et ideo si in illo triduo mortis fuisset hoc sacramento celebratum, non fuisset ibi anima Christi nec ex vi sacramenti, nec ex reali concomitantia. Sed quia *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur* ut dicitur Rom. vi. 9. anima ejus semper est realiter corpori ejus unita. Et ideo in hoc sacramento corpus quidem Christi est ex vi sacramenti, anima autem Christi ex reali concomitantia.

Ad secundum dicendum, quod ex vi sacramenti sub hoc sacramento continetur, quantum ad species panis, non solum caro, sed totum corpus Christi, scilicet ossa, nervi, & alia hujusmodi. Et hoc apparet ex forma hujus sacramenti, in qua non dicitur, *Hæc est caro mea*; sed *Hoc est corpus meum*. Et ideo cum Dominus dixit Joan. vi. 56. *Caro mea vere est cibus* caro ponitur ibi pro toto corpore: quia secundum consuetudinem humanam videtur esse magis manducationi accommodata, prout scilicet homines carnibus animalium vescuntur communiter, non autem ossibus, vel aliis hujusmodi.

Ad tertium dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. lxxv. art. 5.) facta conversione panis in corpus Christi, vel vini in sanguinem, accidentia utriusque manent. Ex quo patet quod dimensiones panis, vel vini non convertuntur in dimensiones corporis Christi, sed substantia in substantiam: & sic substantia corporis Christi, vel sanguinis est sub hoc sacramento ex vi sacramenti, non autem dimensiones corporis, vel sanguinis Christi. Unde patet quod corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ, & non per modum quantitatis. Propria au-

tem totalitas substantiæ continetur indifferenter in parva vel magna quantitate; sicut tota natura aeris in magno, vel parvo aere, & tota natura hominis in magno, vel parvo homine. Unde & tota substantia corporis, & sanguinis Christi continetur in hoc sacramento post consecrationem, sicut ante consecrationem continebatur ibi tota substantia panis, & vini.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo, quomodo per rationem interimas hæreses *Metamorphistarum* dicentium, quod in eucharistiæ sacramento est divina essentia tantum non caro humana naturæ consubstantialis. Et *Lodovici Alemanni* dicentis: Christus, licet a suis fidelibus non sit absens, tamen illius substantiale corpus constanter affirmamus non esse præsens in hac cœna. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari a Concilio *Florentino*. *Totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini.* Hæc illud in constitutione super unionem Armenorum. Item a tota Ecclesia catholica inter Missarum solemniam festi corporis Christi canente, in sequentia. *Caro cibus, sanguis posus, manet tamen Christus totus sub utraque specie.* Hæc illa. Licet enim Divus Thomas noster ad mandatum Papæ *Urbani IV.* totum illum officium de festo corporis Christi composuerit, ut notissimum est, tamen, quia idem Papatum omnibus sequentibus id acceptando approbavit, ideo a tota ecclesia esse dictum vere reputatur illud, quod ibi solemniter recitatur. Item a Concilio *Tridenti*. sess. 13. ca. 3. „Semper hæc fides in Ecclesia Dei „ fuit, statim post consecrationem verum „ Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis, & vini specie, una cum „ ipsius anima, & divinitate existere. Sed „ corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi verborum: ipsam „ autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub „ utraque, vi naturalis illius connexionis, „ & concomitantæ, quæ partes Christi, qui „ jam a mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur, divinitas porro propter admirabilem illam ejus cum „ corpore, & anima hypostaticam unionem. „ Hæc ibi. Et can. 1. Si quis negaverit, in

(*) An in Synodo Ephesina?

sanctissimæ Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem una cum anima, & divinate domini nostri JESU Christi, ac proinde totum Christum; anathema sit, Hæc ubi. Tertio vides: quomodo &c.

rum fieri non potest. Sed corpus Christi jam incepit esse in hoc sacramento per consecrationem panis. Ergo non potest esse quod de novo incipiat esse per consecrationem vini: & ita sub specie vini non continebitur corpus Christi, & per consequens nec totus Christus. Non ergo sub utraque specie totus Christus continetur.

ARTICULUS II. 449

Utrum totus Christus contineatur sub utraque specie hujus Sacramenti.

Inf. quest. lxxviii. art. 6. ad 2. & quest. lxxix. art. 1. ad 3. & quest. lxxx. art. 12. ad 3. & IV. dist. xi. quest. ii. art. 1. quest. 1. ad 2. & Joan. vi. lect. 7. & I. Cor. xi. lect. 6.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod non sub utraque specie hujus sacramenti totus Christus contineatur: Hoc enim sacramentum ad salutem fidelium ordinatur, non virtute specierum, sed virtute ejus quod sub speciebus continetur: quia species erant etiam ante consecrationem, ex qua est virtus hujus sacramenti. Si ergo nihil continetur sub una specie quod non contineatur sub alia, sed totus Christus continetur sub utraque; videtur quod altera illarum superfluat in hoc sacramento.

2. Præterea, dictum est (art. præc. in corp. & ad 2.) quod sub nomine carnis omnes alie partes corporis continentur, sicut ossa, nervi, & alia hujusmodi. Sed sanguis est una partium humani corporis, sicut patet per Aristotelem in Lib. III. de animal. (1) sc. hist. animal. cap. 11. & Lib. II. de partib. animal. cap. 11.) Si ergo sanguis Christi continetur sub specie panis, sicut continentur ibi alie partes corporis, non deberet seorsum sanguis consecrari, sicut neque seorsum consecratur aliqua alia pars corporis.

3. Præterea. Quod jam factum est, ite-

Sed contra est quod I. Corinth. xi. super illud, *Et calicem* dicit Glossa (ordin. 2) quod sub utraque specie, scilicet panis, & vini, idem sumitur: & ita videtur sub utraque specie totus Christus esse.

Respondeo dicendum, certissime tenendum esse, quod sub utraque specie sacramenti totus est Christus; aliter tamen, & aliter.

Nam sub speciebus panis est quidem corpus Christi ex vi sacramenti, sanguis autem ex reali concomitantia, sicut supra dictum est (art. præc. ad 1.) de anima, & Divinitate Christi; sub speciebus vero vini est quidem sanguis Christi ex vi sacramenti, corpus autem Christi ex reali concomitantia, sicut anima, & Divinitas: eo quod nunc sanguis Christi non est ab ejus corpore separatus, sicut fuit tempore passionis, & mortis; unde si tunc fuisset hoc sacramentum celebratum, sub speciebus panis fuisset corpus Christi sine sanguine, & sub speciebus vini sanguis sine corpore, sicut erat in rei veritate.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis totus Christus sit sub utraque specie, non tamen frustra. Nam primo quidem hoc valet ad representandam passionem Christi, in qua seorsum fuit sanguis a corpore separatus: unde & in forma consecrationis sanguinis fit mentio de ejus effusione. Secundo hoc est conveniens usui hujus sacramenti, ut seorsum exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum, & sanguis in potum. Tertio quantum ad effectum, secundum quod supra dictum est (quest. lxxiv. art. 1.) quod corpus exhibetur pro salute corporis, & sanguis pro salute animæ.

X 2 Ad

(1) Non de anima; Nam ex lib. 3. de historia animalium (non de generatione animalium sicut indicabatur ad marginem) cap. 3. colligitur, ut & lib. 2. de partibus animalium capite 2. ubi utroque loco in numero partium simularium recensentur, quæ nempe dispositionem habent uniformem.

(2) Non moderna sed vetus manuscripta quæ sic plenius: *Cum autem totus Christus sub specie panis totus sub specie vini sumatur, cur non in una sed in duabus dedit (Eucharistiam) Ut ostenderetur*

Christus totam humanam naturam (id est animam & corpus) assumptis, ut utramque redimeret: Panis enim ad corpus, refertur, vinum ad animam, quia vinum operatur sanguinem in quo sedes anima a Physicis esse dicitur. Ideo ergo in duabus speciebus hoc sacramentum celebratur ut carnis & anime susceptio in Christo, & utriusque liberatio in nobis significetur. Sed hujus Glossæ magnam partem, iis præsertim quæ hic in textu referuntur, detractis, mutilavit moderna super illud Accipite & manducate.

Ad secundum dicendum, quod in passione Christi, cujus hoc sacramentum est memoriale, non fuerunt alie partes corporis ab invicem separatæ, sicut sanguis, sed corpus indissolutum permanet, secundum quod legitur Exodi xii. (1) *Nec os illius confringentis*. Et ideo in hoc sacramento seorsum consecratat sanguis a corpore, non autem aliqua alia pars ab alia.

Ad tertium dicendum, quod, sicut dictum est (in corp.) corpus Christi non est sub specie vini ex vi sacramenti, sed ex reali concomitantia: & ideo per consecrationem vini non fit ibi corpus Christi per se, sed concomitanter.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim *Nestorianorum*, seu *Bohemorum*, dicentium: sub utraque specie non contineri æque totum Christum. *Secundo* habes; quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari a conciliis, & ecclesia tota catholica, ut supra *art. 2. app.* Item a Concil. *Trid.* sess. 13. cano. 3. „ Si „ quis negaverit, in venerabili sacramento „ Eucharistiæ sub unaquaque specie totum „ Christum contineri, anathema sit. *Hæc ibi,* „ & *sess. 21. cap. 3.* Insuper declarat, quamvis Redemptor noster in suprema illa cœna hoc sacramentum in duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit, tamen fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi: ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solum accipiunt. „ *Hæc ibi.* Quod & *ibid.* diffusius probando prædixerat c. 1. Namque qui dixit: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, dixit etiam: Panis, quem ego dabo, caro

„ mea est pro mundi vita. Et denique qui „ dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo, dixit nihilominus; Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. „ *Hæc ibi.* Et adduc clarior, ad litteram in „ proposito, dixit *sess. 13. c. 3.* Verissimum „ est, tantumdem sub alterutra specie, atque „ sub utraque contineri. Totus enim, & integer Christus sub panis specie, & sub qualvis ipsius speciei parte, totus item sub „ vini specie, & sub ejus partibus existit. „ *Hæc ibi.* *Tertio* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 450

Utrum sic totus Christus sub qualibet parte specierum panis, vel vini.

IV. dist. x. art. 3. quest. 3. & dist. xii. quest. 1. art. 3. quest. 2. ad 3. & IV. con. cap. lxxvii. & quol. iv. art. 8. cor. fin.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod non sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis, vel vini. Species enim illæ dividi possunt in infinitum. Si ergo Christus totus est sub qualibet parte specierum prædictarum, sequeretur quod infinities esset in hoc sacramento; quod est inconveniens: nam infinitum repugnat non solum naturæ, sed etiam gratiæ.

2. Præterea. Corpus Christi, cum sit organicum, (2) habet partes determinate distantes: est enim de ratione organici corporis determinata distantia singularum partium ab invicem, sicut oculi ab oculo, & oculi ab aure. Sed hoc non posset esse, si sub qualibet parte specierum esset totus Christus: oporteret enim quod sub qualibet parte esset qualibet pars; & ita ubi esset una pars, esset & alia. Non ergo potest esse quod totus Christus sit sub qualibet parte hostiæ, vel vini contenti in calice.

3. Præterea. Corpus Christi semper veram retinet corporis naturam, nec umquam mutatur in spiritum. Sed de ratione corporis est ut

(1) De agno paschali vers. 46. Inter ceremonias in ejus usu observandas quæ Numerorum 9. vers. 12. repetuntur; sed in figuram Christi veri agni cui Joan. 19. vers. 36. applicatur, ubi dicitur factum quod præmittitur ibi, nempe quod ejus crura fracta non sint ut impleretur illud, quod non comminueris

in eo.

(2) Quasi organici, hoc est (juxta græcum ὀργανον) instrumentis variis constans quæ partes organicæ dicuntur, ad proprias unicuique functiones convenienter exercendas: Determinate autem distant, ne se invicem possint impedire.

ut sit quantitas positionem habens, ut patet in Prædicamentis (1) (*) Sed ad rationem hujus quantitatis pertinet quod diversæ partes in diversis partibus loci existant. Non ergo potest esse, ut videtur, quod totus Christus sit sub qualibet parte specierum.

Sed contra est quod Augustinus dicit in quodam sermone (id hab. Greg. in Sacramentar. Dominica v. post Epiph. (2) *Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulas minuitur, sed integram se præbet in singulis*.

Respondeo dicendum, quod, sicut ex supradictis patet (art. præc. & art. 1. hu. quæst.) quia in hoc sacramento substantia corporis Christi est ex vi sacramenti, quantitas autem dimensiva ex vi realis concomitantæ; ideo corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ, idest per modum, quo substantia est sub dimensionibus, non autem per modum dimensionum, idest non per modum illum quo quantitas dimensiva alicujus corporis est sub quantitate dimensiva loci.

Manifestum est autem quod natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur; sicut sub qualibet parte aeris est tota natura aeris, & sub qualibet parte panis est tota natura panis :

& hoc indifferenter, sive sint dimensiones actu divisæ (sicut cum aer dividitur, vel panis secatur) vel etiam sint actu indivisæ, divisibiles vero potentia. Et ideo manifestum est quod totus Christus est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integra manente, & non solum cum frangitur, sicut quidam dicunt, ponentes exemplum de imagine, quæ apparet in speculo, quæ apparet una in speculo integro, in speculo autem fracto apparent singulæ in singulis partibus: quod quidem non est omnino simile: quia multiplicatio hujusmodi imaginum accidit in speculo fracto propter diversas reflexiones ad diversas partes speculi; hic autem non est nisi una consecratio, propter quam corpus Christi est in hoc sacramento.

Ad primum ergo dicendum, quod numerus sequitur divisionem. Et ideo quamdiu quantitas manet indivisa actu, neque substantia alicujus rei est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis, & per consequens neque infinities, sed toties, in quot partes dividitur.

Ad secundum dicendum, quod illa determinata distantia partium in corpore organico fundatur super quantitate dimensiva ipsius, ipsa autem natura substantiæ præcedit etiam versio

(1) Ex cap. de quantitate colligitur, ubi non de corpore tantum sed & de linea idem indicatur.

(*) Ita communiter. Nicolajus. Ad rationem autem hujus quantitatis &c.

(2) Ut ex sermone Dominicæ quintæ post Epiphaniam in Decretis refertur dist. 2. de consecrat. cap. *Singuli*; sed in eo sermone qui est 33. in appendice de diversis nihil omnino tale reperitur: citat Magister Sententiarum lib. 4. distinct. 12. ex Hieronymo. Et in sermone quidem de corpore de sanguine Domini, qui sub Hieronymi nomine circumfertur, habetur tale quiddam, sed scilicet attribuitur Hieronymo & inter ejus adulterina scripta tomo ultimo recensetur: Sic autem ibi: *Corpus Domini Sacrosanctæ dispensante cœsum est in exiguo quantum esse constat in toto: Quod cum Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in universis, ita integrum esse probatur in singulis: De quo sensu apostolica sententia derivata est (2. ad Corinth. 8.) dicens: Qui multa habet, non abundabit; & qui modicum habet, non minorabit: Non enim de communi pane accipi dictum potest, quem si forte esurientibus apponeremus, non ex toto perveniret ad singulos, quia particulatim & minutatim pro proportionis suæ uniuscujusque præsumeret: De hoc vero pane, cum assumitur, nihil minus habent singuli quam universi, totum unus, totum duo, plures sine diminutione accipiunt, quia benedictio hujus Sacramenti scilicet distribui nec distributione consumi: Quod Algerus potius lib. de Sa-*

cramento Eucharistiæ c. 15. tom. 6. Bibliothecæ Patrum ex Eusebio Emphyæno recenset, sed verius ex Eucherio Lugdunensi restituendum ut jam supra: Æquivalenter porro idem hæc verba significant quod appendix quam refert S. Thomas, & quam Algerus rursus ibi velut ex Ambrosio explicite, ac implicite Ivo part. 2. cap. 7. citat, ut & supra, *Dominicæ 5. post Epiphaniam*: ubi non in sermone sed in præfatione sacri canonis quam Missale Ambrosianum notat, sic habetur, & in Sacramentario Gregorij eadem Dominica, iisdem verbis ac eodem tenore ut hic: *Quin ex Præfatione quæ per totum Iasinum orbem decantatur. Guitmundus lib. 1. de veritate Eucharistiæ tom. 6. Bibliothecæ Patrum jam indicato citat: Sed nunc in usu non est nec universus orbis illam cantat; quamvis per univèrsam orbem id credatur quod ait, velut in Concilio Tridentino Sess. 13. can. 5. sub his verbis expresse definitum: Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit. Et jam antea in Eugenij quarti Decreto pro Armenorum instructione post Concilium Florentinum, Verborum virtute substantia panis in corpus Christi & substantia vini in sanguinem convertuntur, ita tamen quod totus Christus continetur sub specie panis & totus sub specie vini, sub qualibet quoque parte hostiæ consecrati & vini consecrati, separatione facta totus est Christus.*

quantitatem dimensionem. Et ideo quia conversio substantiæ panis directe terminatur ad substantiam corporis Christi, secundum cuius modum proprie, & directe est in hoc sacramento corpus Christi; talis distantia partium est quidem in ipso corpore Christi vero, sed non secundum hanc distantiam comparatur ad hoc sacramentum, sed secundum modum suæ substantiæ, sicut dictum est (in corp. & art. 1. hu. quæst.)

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de natura corporis, quam habet secundum quantitatem dimensionem. Dictum est autem (in corp.) quod corpus Christi comparatur ad hoc sacramentum, non ratione quantitatis dimensionis, sed ratione suæ substantiæ, sicut dictum est (ibid.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem interimas hæresim cuiusdam (de quo Frater Jeseph. Angles Valentinus Ordinis Minorum, in lib. *Flores Theologicarum quæstionum*, De Eucharistia, q. 1. def. 7. concl. 1.) dicentis : Hostia consecrata fracta, totum Christum non manere sub qualibet particula quantumcumque minima, speciem scilicet panis habente. Secundo habes : quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari a Concilio Florent. quod post verba sua recitata supra ar. 1. append. continuo subjungit : *Sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ, & vini consecratæ (separatione facta) totus est Christus*. Hæc ibi. Ubi notabis illa, quæ diximus supra in declaratione ad primum, pro recta intelligentia dicti hujus, scilicet, *separatione facta*. Nam ex hoc dicto non intelligitur, quod totus Christus non maneat sub qualibet parte hostiæ, etiam actu indivisæ (ut Sanctus Doctor in conclusione dixit) sed *ly separatione facta* cadit super numerum, modo declarato ab eodem sancto Doctore in textu ad primum, & ibidem per nos exposito. Concilium itaque loquitur a manifestiori : tacens interim id, quod non est ita manifestum. Item a Concilio Tridentino sess. 13. capitulo tertio. *Verissimum est*, &c. ut supra, ar. 2. appen. circa finem. Et cano. 3. „ Si quis negaverit, in „ venerabili sacramento Eucharistiæ sub una, „ quaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum „ Christum contineri : anathema sit. „ Hæc ibi. Tertio vides quomodo &c.

A R T I C U L U S IV. 451

Utrum tota quantitas dimensionis corporis Christi sit in hoc Sacramento.

IV. dist. 2. art. 2. quæst. 3. & 4. & dist. XII. quæst. 1. art. 2. quæst. 1. co. & IV. cont. cap. LXIII. LXIV. & LXVII. & quod VII. art. 8. cor.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod non tota quantitas dimensionis corporis Christi sit in hoc sacramento. Dictum est enim (art. præc.) quod totum corpus Christi continetur sub qualibet parte hostiæ consecratæ. Sed nulla quantitas dimensionis tota continetur in aliquo toto, & in qualibet parte ejus. Ergo est impossibile quod tota quantitas dimensionis corporis Christi contineatur in hoc sacramento.

2. Præterea. Impossibile est duas quantitates dimensionis esse simul, etiam si una sit separata, & alia in corpore naturali, ut patet per Philosophum in III. Metaphysic. (tex. 9.) Sed in hoc sacramento remanet quantitas dimensionis panis, ut sensu apparet. Non ergo est ibi quantitas dimensionis corporis Christi.

3. Præterea, Si duæ quantitates dimensionis inæquales juxta se ponantur, major extenditur ultra minorem. Sed quantitas dimensionis corporis Christi est multo major quam quantitas dimensionis hostiæ consecratæ secundum omnem dimensionem. Si ergo in hoc sacramento sit quantitas dimensionis corporis Christi cum quantitate dimensionis hostiæ, quantitas dimensionis corporis Christi extendetur ultra quantitatem hostiæ; quæ tamen non est sine substantia corporis Christi. Ergo substantia corporis Christi erit in hoc sacramento, etiam præter species panis : quod est inconueniens, cum substantia corporis Christi non sit in hoc sacramento nisi per consecrationem panis, ut dictum est (art. 1. hu. quæst.) Impossibile ergo videtur quod tota quantitas dimensionis corporis Christi sit in hoc sacramento.

Sed contra est quod quantitas dimensionis corporis alicujus non separatur secundum esse a substantia ejus. Sed in hoc sacramento est tota substantia corporis Christi, ut supra habitum est (art. præc.) Ergo tota quantitas dimensionis corporis Christi est in hoc sacramento.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum

dictum est (art. 1. hu. quæst.) dupliciter aliquid Christi est in hoc sacramento: uno modo ex vi sacramenti; alio modo ex reali concomitantia. Ex vi quidem sacramenti quantitas dimensiva corporis Christi non est in hoc sacramento: ex vi enim sacramenti est in hoc sacramento illud in quod directe conversio terminatur. Conversio autem que fit in hoc sacramento, directe terminatur ad substantiam corporis Christi, non autem ad dimensiones ejus: quod patet ex hoc quod quantitas dimensiva panis remanet, facta consecratione, sola substantia panis transeunte. (1)

Quia tamen substantia corporis Christi realiter non dividitur a sua quantitate dimensiva, & ab aliis accidentibus; inde est quod ex vi realis concomitantie est in hoc sacramento tota quantitas dimensiva corporis Christi, & omnia accidentia ejus.

Ad primum ergo dicendum, quod modus essendi cujuslibet rei determinatur secundum id quod est ei per se, non autem secundum id quod est ei per accidens; sicut corpus est in visu, secundum quod est album, non autem secundum quod est dulce, licet idem corpus sit album, & dulce: unde & dulcendo est in visu secundum modum albedinis, non secundum modum dulcedinis. Quia igitur ex vi hujus sacramenti est in altari substantia corporis Christi, quantitas autem dimensiva ejus est ibi concomitanter, & quasi per accidens; ideo quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc sacramento, non secundum proprium modum (ut scilicet sit tota in toto, & singulæ partes in singulis partibus sed per modum substantie, cujus natura est tota in toto, & tota in qualibet parte.

Ad secundum dicendum, quod duæ quantitates dimensivæ non possunt naturaliter simul esse in eodem, ita quod utraque sit ibi secundum proprium modum quantitatis dimensivæ. In hoc autem sacramento quantitas dimensiva panis est secundum proprium modum, scilicet secundum commensurationem quamdam; non autem quantitas dimensiva corporis Christi, sed est ibi per modum substantie, ut dictum est (in corp. & art. præc. ad 2.)

Ad tertium dicendum, quod quantitas dimensiva corporis Christi non est in hoc sa-

cramento secundum modum commensurationis, qui est proprius quantitati, ad quem pertinet quod major quantitas extendatur ultra minorem; sed est ibi per modum jam dictum (in corp. & in solut. præc.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, & recte intelligas, merito esse infinuatum a Concilio: quod tota quantitas dimensiva corporis Christi est in sacramento Eucharistie. Ut a Concilio Flor. secundum quod in ar. 1. 3. app. recitatur. Nam ly *totus* demonstrat propositum. Christus enim esse totus, seu integer, tunc dicitur, quando nihil ei de requisitis deest, nec in corpore, nec in anima, nec in deitate. Patet autem, quod quantitas dimensiva est unum de requisitis ad staturam corporis; & proportionaliter tanta, quantum est corpus, seu quanta est corporis statura. Nec soluta dimensiva quantitas est de requisitis ad corporis totalem integritatem, sed etiam alia accidentia: non gloriosa quidem, si sint corporis non gloriosi, gloriosa vero, qualia ab Apostolo assignantur 1. Cor. 15. si sint corporis gloriosi. Totam ergo quantitatem dimensivam Christi, & omnia ejusdem accidentia gloriosa, esse in Eucharistie sacramento, definivit Concil. Florent. per hanc brevem sententiam dicens: quod *Christus est ibi totus*. Et quia dixit, non tantum ly *in hostia consecrata*, & *vino consecrato*, sed etiam ly *in qualibet parte hostie consecrate*, & *vini consecrati*, *totus est Christus*: ideo de necessitate fatendum est, simul ipsum dixisse, quod tota illa corporis quantitas, & accidentia ejus omnia sunt in qualibet ipsorum consecratorum parte. Item a Concil. Trident. sess. 13. c. 3. *Verissimum est*, &c. & *can. 3. Si quis*, &c. ut recitatur supra ar. 2. 3. appen. & ab eod. sess. 22. c. 2. „ In divino „ hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, „ idem ille Christus continetur; & incruente immolatur, qui in ara crucis semel „ seipsum cruenta obtulit. *Et infra*. Una, „ eademque est hostia, idem nunc offerens „ sacerdotum ministerio, qui seipsum per „ lei-

(1) Quia nimirum licet ad essentiam corporis de genere quantitatis, quod unam ejus constituit speciem, pertineat, non sic tamen ad essentiam corporis de genere substantie pertinet nisi radicaliter: Corpus

autem significatur de genere substantie, cum ex persona Christi pronuntiatur, *Hoc est corpus meum*: Unde non importatur illis verbis quantitas dimensiva velut actualiter ipse existens.

„ seipsum tunc in Cruce obtulit . „ Hæc ibi . Quid enim melius ad propositum præsentis articuli significandum dici posset , quam *ly una, eademque hostia, ly iam ipse Christus, qui seipsum in cruce obtulit?* Secundo vides : quomodo &c.

ARTICULUS V. 252

Utrum corpus Christi sit in hoc Sacramento sicut in loco.

Inf. art. 6. cor. & ad 1. & IV. dist. 1. art. 1. ad 5. 6. 7. & 8. & art. 3. quæst. 2. ad 2. & IV. cont. cap. lxiv. fin. & quol. 1. art. 12. ad 2.

AD quintum sic proceditur . Videtur quod corpus Christi sit in hoc sacramento sicut in loco . Esse enim in aliquo definitive, vel circumscriptive, est pars ejus quod est esse in loco . Sed corpus Christi videtur esse definitive in hoc sacramento, quia ita est ubi sunt species panis, vel vini, quod non est in alio loco altaris : videtur etiam ibi esse circumscriptive, quia ita continetur superficie hostiæ consecratæ, quod nec excedit, nec exceditur . Ergo corpus Christi est in hoc sacramento sicut in loco .

2. Præterea . Locus specierum panis non est vacuus : natura enim non patitur vacuum : (1) nec est ibi substantia panis, ut supra habitum est (quæst. præc. art. 2.) sed est ibi solum corpus Christi . Ergo corpus Christi replet locum illum . Sed omne quod replet locum aliquem, est in eo localiter . Ergo corpus Christi est in hoc sacramento localiter .

3. Præterea . Sicut dictum est (art. præc. & ar. 3. hu. quæst.) in hoc sacramento est

corpus Christi cum sua quantitate dimensiona, & cum omnibus suis accidentibus . Sed esse in loco est accidens corporis : unde & ibi connumeratur inter novem genera accidentium . Ergo corpus Christi est in hoc sacramento localiter .

Sed contra est quod oportet locum, & locatum esse æqualia, ut patet per Philosophum in IV. Physic. (tex. 30.) Sed locus, ubi est hoc sacramento, est multo minor quam corpus Christi . Ergo corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco .

Respondeo dicendum, quod ; sicut jam dictum est (art. 3. hu. quæst.) corpus Christi non est in hoc sacramento secundum proprium modum quantitatis dimensionis, sed magis secundum modum substantiæ . Omne autem corpus locatum est in loco secundum modum quantitatis dimensionis, in quantum scilicet commensuratur loco secundum suam quantitatem dimensionem . Unde relinquitur quod corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco, sed per modum substantiæ, eo scilicet modo quo substantia continetur a dimensionibus : succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramento substantiæ panis : unde sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiæ, ita nec substantia corporis Christi . (2) Non tamen substantia corporis Christi est subjectum illarum dimensionum . sicut erat substantia panis : & ideo substantia panis ratione suarum dimensionum localiter erat ibi, quia comparabatur ad locum illum mediantibus propriis dimensionibus ; substantia autem corporis Christi comparatur ad locum illum mediantibus dimensionibus alienis ; ita quod e converso dimensiones propriæ corporis Christi comparantur ad locum illum

(1) Colligitur ex libro Problematum a Philosopho explicatorum Sect. 8. num. 9. ubi passim redditur a Latinis interpretibus *natura rationem nihil vacuum pati vel inane* quod simpliciter sic enuntiat Philosophus, *ὅτι οὐδὲν ἀέρον δὲ τίνας nihil inane vel vacuum esse oportet, sed aeris vel alterius corporis plenum, sicut* ibidem addit, ut meatus corporis dum humore proprio vacuantur, probet aere mox repleti . Sed & vacuum nullum dari vel supra cælum vel sub cælo (seu separatum seu conjunctum) tradit ac probat ipse tum obiter 1. de cælo text. 99. tum expressius & prolixius 4. Physic. text. 60. ac deinceps .

(2) Proinde jam qu. 75. art. 1. ad 3 admonuimus impertinens & frustraneum esse ad veritatem Eucharistiæ astruendam imò magis periculosum & noxium

quam proficuum & securum ad eam defendendam ut unum corpus asseratur circumscribi pluribus locis posse vel in pluribus locis per suæ quantitatis extensionem esse ; quia cum illo modo existenti qualitercunque astruatur, nihil commune habet modus proprius quo Christus est singulariter in sacramento ; nec iidem ac ille incommodus est obnoxius ; puta ut corpus Christi dicatur simul esse supra se ac infra se ; simul ante se ac retro se ; simul dextrorsum sibi ac sinistrorsum ; sicut omnino necesse est in corporibus localiter extensis contingere, præter alias plures antilogias vel contradictiones inde necessario consequentes, ut quod simul sedere idem corpus ac stare possit, vel quiescere simul & moveri ; & similia, cum nihil tale modus corporis Christi patiatur .

illum mediante substantia; quod est contra *sine nimis*, Pl. 92. operantem; proculdubio pertinet. Jam siquidem in 2. 2. q. 1. art. 8. ad sextum, a sancto Doctore dictum est: quod miracula circa corporis Christi existentiam in sacramento Eucharistiæ continentur sub omnipotentia Dei. Porro inter hujusmodi miracula computatur, quod corpus Christi sit in hoc sacramento, non tanquam in loco; quoniam omnia fere tractata in qu. 75. 76. 77. pro veris miraculis circa Eucharistiæ sacramentum patris habenda sunt. secundo habes, quomodo per rationem ostendas, hæresim illam merito damnari a Concilio Florent. per hoc, quod dicit: quod totus Christus est in sacramento, ut recitatur supra ar. 1. app. & quod tota quantitas dimensiva Christi est ibi, ut declaratur ar. 4. app. Patet enim quod hoc ultimum non potest a Concilio ipse intelligi de esse ipsius quantitatis per modum quantitatis: quoniam patet, locum, ubi est hoc sacramentum, esse multo minorem, quam sit tota quantitas dimensiva Christi sumpta per modum ipsius quantitatis, idest sumpta secundum commensurationem suam explicitam, puta bicubiralem, aut tricubiralem. Necessario igitur intellexit ipsum Concilium ibi de esse quantitatis sumptæ per modum substantiæ, hoc est, non secundum modum extensæ commensurationis. In verbis ergo illis Concilii est de necessitate virtualiter iste sensus, scilicet quod totum corpus Christi est in hoc sacramento, non sicut in loco. Manifestum enim est, quod esse alicubi, tanquam in loco, dicit necessario commensurationem rei locatæ ad rem locantem: quoniam propter hoc testatur Philos. in 4. *Physic.* quod oportet, locum, & locatum esse æqualia. Quod non contingit hic: ut diximus. Alioquin, si Christi totum corpus esset in sacramento, tanquam in loco, tunc apertissime sequeretur, & quod corpus Christi totum, idest cum tota sua quantitate dimensiva, per modum extensæ commensurationis ad locum illum, esset ibi, & consequenter, quod nec excederet quantitatem hostiæ, nec ab ea excederetur, sed omnino ad invicem illæ quantitates essent æquales, & consequenter, quod Christus, si totus esset in sacramento; tanquam in loco, tunc non posset esse totus in sacramento, id, quod est expresse contra Concilium. Cum ergo hæc, quæ tunc (ur patet) sequerentur, sint inconvenientia, etiam ad sensum manifesta, oportet dicere, quod Concilii sensus verus in illis verbis, *Christus totus in sacramento est*, fuit iste, scilicet, quod Christus ibi, tanquam

Unde nullo modo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

Ad primum ergo dicendum, quod corpus Christi non est in sacramento definitive: quia sic non esset alibi quam in hoc altari, ubi conficitur hoc sacramentum cum tamen sit & in cælo in propria specie, & in multis aliis altaribus sub specie sacramenti. Similiter etiam patet quod non est in hoc sacramento circumscriptive: quia non est ibi secundum commensurationem propriæ quantitatis, ut dictum est (in corp.) Quod autem non est extra superficiem sacramenti, nec est in alia parte altaris, non pertinet ad hoc quod sit ibi definitive, vel circumscriptive; sed ad hoc quod incepit ibi esse per consecrationem, & conversionem panis, & vini, ut supra dictum est (quæst. præc. art. 3. & 4.)

Ad secundum dicendum, quod locus ille in quo est corpus Christi, non est vacuum; neque tamen proprie est repletus substantia corporis Christi, quæ non est ibi localiter, sicut dictum est (in corp. art.) sed repletus speciebus sacramentorum, quæ habent replere locum vel propter naturam dimensionum, vel saltem miraculose, sicut & miraculose subsistunt per modum substantiæ.

Ad tertium dicendum, quod accidentia corporis Christi sunt in hoc sacramento, sicut supra dictum est (art. præc.) secundum realem concomitantiam. Et ideo illa accidentia corporis Christi sunt in hoc sacramento, quæ sunt ei intrinseca. Esse autem in loco est accidens per comparisonem ad extrinsecum continens. Et ideo non oportet quod Christus sit in hoc sacramento sicut in loco.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim *Bezanitarum* contra omnipotentiam Dei insurgentium, per hoc, quod asserunt, quod Deus efficere nequit, ut corpus aliquod manente substantia sit absque loco. Vides enim articulum præsentem directe contraponi adversus illam, & abundanter quidem, dum efficacissime probat, corpus Christi; ut in Eucharistiæ sacramento, non solum non esse, sed & nullo modo esse, sed etiam nec posse esse, in loco. Id, quod ad omnipotentiam Dei sic mirabiliter, ut tamen testimonia sua hæc credibilia facta

Summ. S. Tb. Tom. XII.

Y

quam

quam in loco, non est. Per verba ergo illa sua Concilium damnavit hæresim in principio appendicis narratam. *Tertio* vides: quomodo &c.

ARTICULUS VI. 453

Utrum corpus Christi sit mobiliter in hoc Sacramento.

IV. dist. x. art. 4. quæst. 4. & opusc. xi. art. 34.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod corpus Christi sit mobiliter in hoc sacramento. Dicit enim Philosophus in II. Top. (1) quod *motus nobis, moventur ea que in nobis sunt*: quod quidem est verum etiam de spiritali substantia animæ. Sed Christus est in hoc sacramento, ut supra habitum est (art. 1. hu. quæst.) Ergo moveretur ad motum ipsius.

2. Præterea. Veritas debet respondere figuræ. Sed de agno paschali, qui erat figura hujus sacramenti, *non remanebas quicquam usque mane*, sicut præcipitur Exodi XII. Ergo neque etiam si hoc sacramentum reseruetur in crastinum, erit ibi corpus Christi: & ita non est immobiliter in hoc sacramento.

3. Præterea. Si corpus Christi remaneat sub hoc sacramento etiam in crastino, par ratione remanebit & per totum sequens tempus: non enim potest dici, quod desinat ibi

esse, cessantibus speciebus, quia esse corporis Christi non dependet a speciebus illis. Non autem remanet sub hoc sacramento Christus per totum tempus futurum. Videtur ergo quod statim in crastino, vel post modicum tempus desinat esse sub hoc sacramento: & ita videtur quod Christus mobiliter sit in hoc sacramento.

Sed contra. Impossibile est idem esse motum, & quietum, quia sic contradictoria verificarentur de eodem. Sed corpus Christi in cælo quietum residet. Non ergo est mobiliter in hoc sacramento.

Respondeo dicendum, quod cum aliquid est unum subiecto, & multiplex secundum esse, nihil prohibet secundum aliquid moveri, & secundum aliquid immobile permanere; (1) sicut corpori est aliud esse album, & aliud esse magnum: unde potest moveri secundum albedinem, & permanere immobile secundum magnitudinem.

Christo autem non est idem esse secundum se, & esse sub hoc sacramento: quia per hoc quod dicimus ipsum esse sub hoc sacramento, significatur quædam habitudo ejus ad hoc sacramentum. Secundum igitur hoc esse non movetur Christus per se secundum locum, sed solum per accidens: quia Christus non est in hoc sacramento sicut in loco, sicut prædictum est (art. præc.) quod autem non est in loco, non movetur per se in loco, sed solum ad motum ejus in quo est (2) Similiter autem neque per se movetur secundum esse

(1) Ut cap. 3. in declaratione loci 24. videre est, ubi hoc assert ad ideas inexistentes nobis per contradictoriam illationem refellendas; quia simul immotas eas esse ac immobiles oporteret secundum illos qui eas dari volunt; & simul tamen eas esse mobiles ac reipsa moveri, dato quod sint in nobis &c. Non quod ideas ibi ex professo refellat, sed in exemplum eas assert ad astruendam hanc topicam regulam quod expendi debeat, cum dicitur aliquid, an ex eo sequantur necne contraria que simul vera esse non possint: Et hoc analogice applicari ad præsens potest suo modo, ut patet argum. *Sed contra*: Ubi probatur corpus Christi mobile in hoc Sacramento esse non posse vel non reipsa esse, quia in cælo quietum est; cum alioqui contradictoria verificarentur de eodem; quod est impossibile. Nec opponere juvat diversitatem loci ad contradictionem excludendam, quasi contradictio non sit ut in diversis locis contraria enuntietur de eodem: Non enim loci differentia vel diversitas identitatem tollit vel prædicati vel subiecti. nec simultatem enuntiationis qua prædicatum de subiecto sic vel aliter affirmatur; cum idem corpus indivisum præsupponatur in quamlibet diversis locis inexistens, & per consequens non impedit quin quando contra-

ria de illo sic affecto dicuntur, simul verum & falsum de eodem intelligantur dici: Unde contradictio definitur *affirmatio & negatio ejusdem de eodem secundum idem & eodem tempore*: puta *ejusdem prædicati de eodem subiecto*; *secundum eandem partem*, nec ulla ibi mentio sit identitatis loci sicut identitatis temporis, quia diversitas temporis tantum simultatem enuntiationis tollit &c.

(2) Quia contradictio tunc tantum est, quando aliqua opposita simul eidem conveniunt secundum idem non secundum diversa, ut ex regula Logicorum & ex perviis passim ac apertis exemplis patet.

(3) Multo magis quam illa que sunt in loco nec moventur nisi ad motum alicujus in quo sunt, puta que sunt in navi vel in curru: Nam si tunc per accidens moveri & non per se dicuntur, quamvis per se moveri possint, vel sint ejus nature ut proprius & per se motus eis ex ipsa sui conditione conveniat, quanto verius per accidens moveri videbuntur, que per se ipsa motum proprium nullum habent, sicut anima in corpore; vel que sub tali modo præsupponuntur existere sub quo proprius motus illis convenire non possit, sicut in sacramento corpus Christi.

esse quod habet in hoc sacramento, quamque alia mutatione, puta quantum ad hoc quod desinat esse sub hoc sacramento: quia illud quod de se habet esse indeficiens, non potest esse deficiendi principium; sed alio deficiente, hoc definit esse in eo: sicut Deus, cujus esse est indeficiens, & immortale, definit esse in aliqua creatura corruptibili per hoc quod creatura corruptibilis definit esse. Et hoc modo cum Christus habeat de se esse indeficiens, & incorruptibile, non definit esse sub hoc sacramento neque per hoc quod ipsum desinat esse, neque etiam per motum localem sui, ut ex dictis patet (art. præc.) sed solum per hoc quod species hujus sacramenti desinat esse.

Unde patet quod Christus, per se loquendo, immobiliter est in hoc sacramento.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de motu per accidens, quo ad motum nostri moventur ea quæ in nobis sunt; aliter tamen ea quæ per se possunt esse in loco, sicut corpora; & aliter ea quæ per se non possunt esse in loco, sicut formæ, & spirituales substantiæ. Ad quem modum potest reduci quod dicimus Christum moveri per accidens, secundum esse quod habet in hoc sacramento, in quo non est sicut in

loco.

Ad secundum dicendum, quod hac ratione moti videntur fuisse quidam ponentes, quod corpus Christi non remaneat sub hoc sacramento, si in crastinum reservetur. Contra quos Cyrillus (1) dicit (hab. in Cat. D. Th. sup. illud Lucæ xxi. *Hoc est corpus meum*): *Insaniunt quidam dicentes mysticam benedictionem cessare a sanctificatione, si quæ ejus reliquæ remanserint in diem subsequente[m] non enim mutatur sacramentum corpus Christi, sed virtus benedictionis, & vivificativa gratia jugis in eo est: sicut etiam omnes aliæ consecrationes immobiliter manent, permanentibus rebus consecratis; propter quod non iterantur. Veritas autem licet figuræ respondeat, tamen figura non potest eam adæquare.*

Ad tertium dicendum, quod corpus Christi remanet in hoc sacramento non solum in crastino, sed etiam in futuro, quousque species sacramentales manent, quibus cessantibus, definit esse corpus Christi sub eis, non quia ab eis dependeat, sed quia tollitur habitudo corporis Christi ad illas species: per quem modum Deus definit esse Dominus creaturæ desinentis,

¶ 2

AP.

(1) Loco jam superius indicato, scilicet epistola quam ad Caloxyrum scribit, nec hic Editiones aliæ indicabant: Adde quod Clemens Epist. 2. quæ inscribitur ad Jacobum fratrem Domini dicit: *Reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debent ne qua putredo in sacrario inveniat; ne cum id negligenter agitur corpori Domini gravis injuria inferatur.* Et constitutionum apostolicarum lib. 8. c. 13. *Sumant Diaconi reliquias, & in tabernaculum inferant* &c. Tabernaculum autem intelligit armarium sive arculam ubi propter varios usus & nominationem propter communionem infirmorum sacræ hostiæ reconduntur & asservantur, sicut jam olim asservari solebant: Inde usus argenteorum vel aureorum columbarum, idest vasorum vel pixidum quæ sub illa figura in symbolum Spiritus-sancti formabantur ad sacram ibi Eucharistiam asservendam; tametsi supra fontes Baptismi ponerentur propter descensum Spiritus sancti super Christum in specie columbæ post Baptismum, ut in 7. Synodo act. 5. videre est: Inde *pastophorii* quoque nomen quod juxta græcum *παστοφώριον* sponis thalamum significat, & propterea ei *arcule* vel *pixidi* olim inditum nomen in qua includebatur asservandum deinceps corpus Christi: Sic enim Hieronymus in Ezech. 40. cap. nomen explicans thalamorum: *Thalam qui græce παστοφώριον dicitur, ostendunt sponis adventui cubicula preparata*: Et multo magis ei loco in quo jam acta ac recepta præiens est, conveniant. Hoc nimirum est quod

aidorium appellamus, ut appellari passim solet ac explicari a Latinis, quasi sic dictum quod verum cibum contineat quem indicavit Christus Joan. 6 sub his verbis *Caro mea vere est cibus* &c. Quamvis & Græci *κίβητος* interdum dicant ac usurpent pro sacrario vel delubro, ut Chrysostronus homil. 42. in acta paulo post initium, *delubra argentea* quæ Demetrius faciebat, interpretatur τὰ κίβητος μίτρα, seu *ciboria parva* in honorem Dianæ fabricata: Sed quidam *κίβητος* idest *arculas*, Utrovis tamen modo significatur asservari solere olim corpus Christi, sive hostiam sacræ quasi corpus hoc sanctum continentem: Præter aliud nomen quod Gregorius Turonensis usurpat lib. de gloria martyrum c. 86. cum sic ait: *Accepto surre in qua ministerium (seu mysterium) Dominici corporis habebatur, forte hanc ad osium capis Diaconus, ac templum ingressus est ut eam altari superponeret*: Ex quibus universis aperte constat semper in Ecclesia Dei credum esse quod non simul cum usu ibi esse desinat corpus Christi, sed permanenter conservetur. Hinc illa tandem Concilii Tridentini definitio Sess. 13. can. 4. *Si quis dixerit, postea consecratione, in admirabili Eucharistia sacramento non esse corpus Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante vel post; & in hostiis consecratis quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, anathematis* &c.

APPENDIX.

EX art. habes *primo* : quomodo per rationem ostendas, & recte intelligas, merito esse insinuatam a scripturis simul, & Conciliis; quod Christus immobiliter est in sacramento Eucharistiæ. A scripturis quidem, ut Mar. 16. *Dominus sedet a dextris Dei*. A Concilio autem *Floren.* *Christus est in hostia consecrata*. Vide supra *ar. 1. 3. appen.* Connekte modo Concilium hoc cum scriptura illa, & patefiet tibi propositum. *Dominus* (inquiunt) *sedet*; & *idem Dominus est in hostia*. Quid est *ly sedet*? *Quiescit*. Nam sedere (ut patet) dicit quietem corporalem. Ac si ergo Beatus Marcus dixerit: Dominus noster post multos labores viriliter a se in terris toleratos corporalem quietem apud Patrem assecutus est in cælis. Si ergo ille ipse Dominus in hostia consecrata est, prout vere de eo Concilium sentit, oportet fateri quod ipse est immobiliter in hoc sacramento: impossibile enim est, idem esse motum, & simul esse quietum, secundum idem: alioquin contradictoria de eodem verificarentur, quod nec dabile, nec intelligibile est. Stante igitur Evangelio præmissio, dicere, Christus est in pane, & vino consecratis, est idem quod dicere, Christus est immobiliter in hoc sacramento. Primum dicit Concilium: ergo & secundum. Hæc dicta sunt, sumendo *ly immobiliter* secundum locum. Quod si sumatur secundum mutationem, sic etiam a Conciliis insinuat, quod ibi est immobiliter. Ut a Concilio *Lateranensi* sub *Innocentio III.* per hoc, quod dicit: *Verum Christi corpus, & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis, & vini veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem*. Patet siquidem sapienter considerantibus, istud Concilium his verbis denotare, quod sacramentum altaris consistit in consecratione materis, qua scilicet materia ipsa idest panis, & vinum, transubstantiatur in corpus, & sanguinem Christi. Quia igitur re, quæ consecrata est, manente, semper, ut ex terminis manifestum est, consecratio ejus durat, ideo Concilium ibi sensum hunc de necessitate cointellexit, quod scilicet tamdiu Christus manet sub illis speciebus sacramentalibus, quamdiu illæ species durant, & consequenter, quod, deficientibus prædictis speciebus, Christus in se indeficiens, ut supponitur ex Rom. 6. *Christus resurgens*, &c. desinit esse sub ipsis. Species ergo sacra-

mentales mutari possunt de esse ad non esse, ut ad sensum patet, sed Christus sub ipsis existens non mutatur, secundum Concilium, de esse ad non esse, licet tunc sub illis desinat esse. Quod utique est, Christum in sacramento altaris esse immobiliter. Item a Concilio *Floren.* idipsum insinuat per hoc quod dicit, & substantiam panis, ac vini in corpus, & sanguinem converti: & sub speciebus panis, ac vini Christum contineri. Vide *q. 75. art. 1. 4. appen.* Patet siquidem sapienter considerantibus istud Concilium his verbis denotare, quod, &c. Perge per omnia, ut supra de *Lateranen.* dictum est: applicando prudenter singula ad Concilium *Florentin.* Item insinuat illud ab eodem *Lateranensi*, ut recitatur extra, de custodia Eucharistiæ, &c. *statuimus*, & a Papa *Honorio*, ut recitatur extra, de celebr. miss. *c. sane*, & a Concilio *Guarnaciensi*, ut recitatur De consecr. dist. 2. cap. *presbyter*. Per hoc enim, quod jubent ibi, ut sacramentum Eucharistiæ in sacrario aservetur pro necessitate vel infirmorum, vel, &c. subintelligendo, ut patet ibi legenti, & recte discurrenti, quod sæpe per iteratam mutationem sacramentum illud in sacrario renovetur, ne species putrescant, per hoc, inquam, totum innuunt manifeste: quod Christus sub illis sacramenti speciebus remanet, quamdiu illæ species durant, & consequenter, quod Christus sub illis est immobiliter modo prædicto. *Secundo* vides: quomodo &c.

ARTICULUS VII. 454

Utrum corpus Christi, prout est in hoc Sacramento, possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato.

Inf. art. 8. co. & IV. dist. x. art. 1. quest. 2. ad 3. & art. 4. quest. 1. per tot. & quest. 4. ad 2. & in expo. litt. ad 1. 2. & 4.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod corpus Christi, prout est in hoc sacramento, possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato. Oculus enim noster impeditur a visione corporis Christi in hoc sacramento existentis, propter species sacramentales ipsum circumvelantes. Sed oculus glorificatus non potest ab aliquo impediari quin corpora quælibet videat, prout sunt. Ergo oculus glorificatus potest videre corpus Christi, prout est in hoc sacramento.

2. Præ-

2. Præterea . Corpora gloriosa Sanctorum erunt configurata corpori claritatis Christi , ut dicitur Philip. 111. Sed oculus Christi vedet seipsum , prout est in hoc sacramento . Ergo pari ratione quilibet alicujus oculus glorificatus potest ipsum videre .

3. Præterea . Sancti in resurrectione erunt æquales Angelis , ut dicitur Lucæ 22. Sed Angeli vident corpus Christi , prout est in hoc sacramento : quia etiam dæmones inveniuntur huic sacramento reverentiam exhibere , & ipsum timere . Ergo pari ratione oculus glorificatus potest Christum videre , prout est in hoc sacramento .

Sed contra . Nihil idem existens potest simul ab eodem videri in diversis speciebus . Sed oculus glorificatus semper videt Christum prout est in sua specie , secundum illud Isa. xxxiii. 17. *Regem in decore suo videbunt* . Ergo videtur quod non videat Christum , prout est sub specie hujus sacramenti .

Respondeo dicendum , quod duplex est oculus ; scilicet corporalis proprie dictus , & intellectualis , qui per similitudinem dicitur . A nullo autem oculo corporali corpus Christi potest videri , prout est in hoc sacramento . Primo quidem quia corpus visibile per sua accidentia immutat medium . Accidentia autem corporis Christi sunt in hoc sacramento mediante substantia ; ita scilicet quod accidentia corporis Christi non habent immediatam habitudinem neque ad hoc sacramentum , neque ad corpora quæ ipsum circumstant : & ideo non possunt immutare medium , ut sic ab aliquo corporali oculo videri possint . Secundo quia , sicut supra dictum est (art. 1. hu. quæst. ad 3.) corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ . Substantia autem , in quantum hujusmodi , non est visibilis oculo corporali ; neque subjacet alicui sensui , sed nec etiam imaginationi , sed soli intellectui , cujus objectum est quod quid est , ut dicitur in III. de Anima (tex. 26.)

Et ideo , proprie loquendo , corpus Christi secundum modum essendi quem habet in hoc sacramento , neque sensu , neque imaginatione perceptibile est , sed solo intellectu , qui dicitur oculus spiritualis . Percipitur autem diversimode a diversis intellectibus . Quia enim modus essendi quo Christus est in hoc sacramento , est ponitur supernaturalis , a supernaturali intellectu , scilicet divino , secundum se visibilis est , & per consequens ab intellectu beato vel Angeli , vel hominis , qui secundum participatam claritatem divini

intellectus videt ea quæ supernaturalia sunt per visionem divinæ essentia . Ab intellectu autem hominis viatoris non potest conspici nisi per fidem ; sicut & cetera supernaturalia . Sed nec etiam intellectus angelicus secundum sua naturalia sufficit ad hoc intuendum : unde dæmones non possunt videre per intellectum Christum in hoc sacramento , nisi per fidem ; cui non voluntarie assentiunt , sed ad eam evidentia signorum convincuntur , prout dicitur Jacobi 11. 19. quod *dæmones credant , & contremiscant* .

Ad primum ergo dicendum , quod oculus noster corporeus per species sacramentales impeditur a visione corporis Christi sub eis existentis , non solum per modum tegumenti (sicut impeditur videre id quod est velatum quocumque corporali velamine) sed quia corpus Christi non habet habitudinem ad medium quod circumstat hoc sacramentum mediantibus propriis accidentibus , sed mediantibus speciebus sacramentalibus .

Ad secundum dicendum , quod oculus corporalis Christi videt seipsum sub sacramento existentem ; non tamen potest videre ipsum modum essendi quo est sub sacramento quod pertinet ad solum intellectum . Non tamen est simile de alio oculo glorioso : quia etiam ipse oculus Christi est sub hoc sacramento in quo non conformatur et alius oculus gloriosus .

Ad tertium dicendum , quod Angelus bonus , vel malus non potest aliquid videre oculo corporeo , sed solum oculo intellectuali . Unde non est similis ratio , ut ex dictis patet (in corp. art.)

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas , merito esse insinuatam a scripturis , quod Christus , prout est in sacramento altaris , non potest videri a quolibet oculo , etiam glorificato . Ut per hoc , quod dicitur Isa. 33. *Regem* , &c. secundum quod cum applicatione discursiva ponitur in arg. contr. Item per hoc quod dicitur Isa. 45. *Vere tu es Deus absconditus ; Deus Israel salvator* . Item Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditum* . Item Ps. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tue , Domine , quam abscondisti simonibus tuis* Item Isa. 45. *Oculus non vidit , Deus , absque te , que preparasti diligensibus te* : Ex his enim , & hujusmodi scripturarum dictis inquitur propositum : si ad sacramentum altaris , ut decet applicentur .

Ecce .

Ecce Deus Israel salvator est Christus videntium Deum per fidem, idest fidelium maxime salvator, 1. *Tim.* 4. est vere absconditus in sacramento, quod inter omnia sacramenta Ecclesiæ dicitur specialissime sacramentum fidei, ut habet sanctus Doctor *in opus.* 99. a. 1. Unde & in canone Missæ vocatur *mysterium fidei*, idest secretum sacratissimum soli fidei manifestum, ut ibid. ab eod. exponitur. Christus ergo est vere in sacramento fidei pro salute fidelium absconditus: quia ipse, secundum modum essendi ibi, est soli fidei manifestum. Excipitur tamen Deus ab *Isa.* 64. ut supra adducebatur: & consequenter exhibentur etiam charitatem visionis Dei a Deo: actualiter in patria participantibus: Vide tamen Christum esse manna figuratum, sed absconditum, ut dicit Apocal. modo prædictæ, vincens principaliter dandum, Christum quoque esse illam maximam dulcedinem, quam Christus ipse in tali sacramento præparavit: cujus dulcedinis quantitatem significat esse immensam admiratio Palmistæ dicentis: *Quam magna?* Hanc dulcedinem, idest seipsum Christum, Christus abscondit ita, ut oculus, etiam glorificatus, non videat, absque &c. Excipe tu fidei oculum, Dei, &c. ut supra. *Secundo* vides: quomodo &c.

ARTICULUS VIII. 455

Utrum quando in hoc Sacramento apparet miraculose caro, vel puer, sit ibi vere corpus Christi.

IV. dist. x. art. 2. quæst. 2. ad 3. & art. 4. quæst. 2. & 3. & opus. lvi. cap. xi.

AD octavum sic proceditur. Videtur quod quando in hoc sacramento miraculose apparet caro, vel puer, non sit ibi vere corpus Christi. Corpus enim Christi definit esse sub hoc sacramento, quando desinunt esse species sacramentales, ut dictum est (art. 6. hu. quæst.) Sed quando apparet caro, vel puer, desinunt esse species sacramentales. Ergo non est ibi vere corpus Christi.

2. Præterea. Ubi cumque est corpus Christi, vel est ibi sub specie propria, (*) vel

sub specie sacramenti. Sed quando tales apparitiones fiunt, manifestum est quod non est ibi Christus sub specie propria: quia in hoc sacramento totus Christus continetur qui permanet integer in forma qua ascendit in cælum; cum tamen id quod miraculose apparet in hoc sacramento, quandoque videatur ut quedam parva caro, quandoque autem ut parvus puer. Manifestum est etiam quod non est ibi sub specie sacramenti, quæ est species panis, vel vini. Ergo videtur quod corpus Christi nullo modo sit ibi.

3. Præterea. Corpus Christi incipit esse in hoc sacramento per consecrationem, & conversionem, ut supra dictum est (quæst. lxxv. art. 2. 3. & 4.) Sed caro, & sanguis miraculose apparens non sunt consecrata, nec convertita in verum corpus, & sanguinem Christi. Non ergo sub his speciebus est corpus, vel sanguis Christi.

Sed contra est quod tali apparitione facta, eadem reverentia exhibetur ei quod apparet quæ etiam primo exhibebatur: quod quidem non fieret, si vere non esset ibi Christus, cui reverentiam laicis exhibemus. Ergo etiam tali apparitione facta, Christus est sub hoc sacramento.

Respondeo dicendum, quod dupliciter contingit talis apparitio, quia quandoque in hoc sacramento miraculose videtur caro, aut sanguis aut etiam aliquis puer. Quandoque enim hoc contingit ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione, ac si expresse viderent exterius carnem, vel sanguinem, vel puerum, nulla tamen immutatione facta ex parte sacramenti. Et hoc quidem videtur contingere, quando uni videtur sub specie carnis, vel pueri, aliis tamen videtur, sicut & prius, sub specie panis; vel quando eidem ad horam videtur sub specie carnis, vel pueri, & postmodum sub specie panis. Nec hoc tamen pertinet ad aliquam deceptionem, sicut accidit in magorum prestigiis: quia talis species divinitus formatur in oculo ad aliquam veritatem figurandam, ad hoc scilicet quod manifestetur vere corpus Christi esse sub hoc sacramento; sicut etiam Christus absque deceptione apparuit discipulis euntibus in Emmaus (1) Dicit enim Augustinus

(*) Ita cum miss. editi communiter. Al. vel specie.

(1) Quando scilicet illis in alia effigie ostensus est. Marc. 16. vers. 12. & oculi eorum tenebantur ne illum agnoscerent. Luc. 24. vers. 16. Ubi proinde regorius homil. 23. in Evangelia: Nihil simplex

veritas per duplicem formam; sed solum se eis exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente; quia nimirum de se loquentibus præsentiam exhibuit, sed de se dubitantibus, speciem suæ cognitionis abscondit &c.

stinus in Lib. II. de quest. Evang. (quæst. ult. in princip.) quod cum fictio nostra referatur ad aliquam significationem ; non est mendacium , sed aliqua figura veritatis . Et quia per hunc modum nulla immutatio fit ex parte sacramenti , manifestum est quod non definit Christus esse sub hoc sacramento , tali apparitione facta .

Quandoque vero contingit talis apparitio non per solam immutationem videntium , sed specie quæ videtur realiter exterius existente : & hoc quidem videtur esse , quando sub tali specie ab omnibus videtur , & non ad horam , sed per longum tempus ita permanet : & in hoc casu quidam dicunt , quod est propria species corporis Christi . Nec obstat quod quandoque non videtur ibi totus Christus , sed aliqua pars carnis , vel etiam videtur non in specie juvenili , sed in effigie puerili : quia in potestate corporis gloriosi est quod videatur ab oculo non glorificato vel secundum totum , vel secundum partem , & in effigie vel propria , vel aliena , ut infra dicitur (in Supplem. quæst. lxxv. art. 2. & 3.)

Sed hoc videtur esse inconueniens . Primo quidem quia corpus Christi non potest in propria specie videri nisi in uno loco , in quo definitiue continetur . Unde cum videatur in propria specie , & adoretur in cælis , sub propria specie non videtur in hoc sacramento . Secundo quia corpus gloriosum , quod apparet ut vult , post apparitionem , cum voluerit , disparet ; sicut dicitur Lucæ ult. quod Dominus ex oculis discipulorum evanuit . Hoc autem quod sub specie carnis in hoc sacramento apparet , diu permanet ; quinimmo legitur quandoque esse inclusum , & mutorum Episcoporum consilio in pixide reservatum : (1) quod nefas esset de Christo sentire , secundum propriam speciem . Et ideo dicendum est , quod manentibus dimensionibus , quæ prius fuerant , fit miraculose quædam immutatio circa alia accidentia , puta figuram , & colorem , & alia hujusmodi ,

ut videatur caro , vel sanguis , aut etiam puer . Et , sicut prius dictum est (hic sup.) hoc non est deceptio : quia fit in figuram eusdem veritatis , scilicet ad offendendum per hanc miraculosam apparitionem , quod in sacramento est vere corpus , & sanguis Christi . Et sic patet quod remanentibus dimensionibus , quæ sunt fundamenta aliorum accidentium , ut infra dicitur (quæst. seq. art. 2.) remanet vere corpus Christi in hoc sacramento .

Ad primum ergo dicendum , quod facta tali apparitione , species sacramentales quædamque quidem totaliter remanent in seipsis , quandoque autem secundum id quod est principale in eis , ut dictum est (in corp. art.)

Ad secundum dicendum , quod in hujusmodi apparitionibus , sicut dictum est (ibid.) non videtur propria species Christi , sed species miraculose formata vel in oculis intuentium ; vel etiam in ipsis sacramentalibus dimensionibus , ut dictum est (ibid.)

Ad tertium dicendum , quod dimensiones panis , & vini consecrati manent , immutatione circa eas miraculose facta , quantum ad alia accidentia , ut dictum est (quæst. lxxv. art. 5.)

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas , merito esse insinuatam ab Ecclesiastica consuetudine , quod , quando miraculose fiunt apparitiones modo prædicto in sacramento eucharistiæ , adhuc remanet ibi sub speciebus verus Christus integer , qui prius erat . Insinuatam autem ab ea est per hoc , quod Ecclesia , datis hujuscemodi apparitionibus , & perseverat adorare lætria , ut prius faciebat , illam hostiam , secundum quod habetur in arg. contr. & finitis istis apparitionibus non amplius consecrat hostiam ipsam ad communicandum aliquem . Verbi gratia . Fiat in hostia , jam consecrata , præmissa in

prima

(1) Ut Guitmundus de veritate Eucharistiæ lib. 2. aliquanto post principium ex Lanfranco Magistro suo refert : Satis mihi placeret (inquit) ut quando miraculum novum de tantis mysteriis accidit , id inde fieret quod mihi Magister meus vtr eximius sine dubitatione credendum D. Lanfranco se puero in Italia factum esse narravit . Nam cum Præbyter quidam Missam celebrans inventam super altare veram carnem & verum in calice sanguinem secundum præ-

dictam carnem & sanguinis speciem summo tepidare rem protinus Episcopo suo consilium querens aperuit : Episcopus autem cum multis coepiscopis ad hoc convocatis , calicem illum cum eadem carne & sanguine Domini diligenter operum ac sigillatum in medio altaris inclusit pro summis reliquiis perperuo reservandum ; ut homo 6. Bibliothecæ Patrum videre est : Et si Lanfrancus ipse in Tractu de Sacramento nihil tale recitata .

prima conclusione apparitio. Tunc, transacto illius miraculose apparitionis tempore, & consequenter revertente hostia ad figuram, & colorem panis, sacerdos absque nova consecratione prædictæ hostiæ communicat seipsum, vel alium illam hostiam. Quod si fiat in hostia consecrata apparitio narrata in *secunda* conclusione: tunc, postquam longiori tempore manserit reservata in pixide, si ad figuram, coloremque panis revertatur idem fieri solet, idest non amplius consecratur, immo hæc consecrationis reiteratio pro sacrilegio magno reputaretur, & ad communicandum aliquem assumitur, nisi forte ad protestationem, seu memoriam miraculi videatur expediens reservare illam ad tempus. Interim tamen semper veneratione patriæ adoratur. Ex hoc itaque quod absque nova consecratione post circa illam hostiam sic, ut diximus, se habet Ecclesia: declaratum reliquit factis suis, quod in tali hostia erat vere corpus Christi etiam tempore apparitionum illarum, ita quod nunquam esse desit sub dimensionibus sacramenti. Quemadmodum ex eo, quod non baptizat hæreticos redeuntes ad Ecclesiam, ostendit, quod character baptismi nunquam in eis esse desit, *quest. 66. ar. 9.* De mirabili autem valore consuetudinis Ecclesiæ, vide *secundam secundam, questione decima, articulo duodecimo, corp. prim.* Quod vero de pane consecrato audisti, intellige etiam dictum esse de vino consecrato: quoniam in hoc sunt paræ conditionis. Ideo & Divus Thomas, pluribus de uno loquitur in articulo huius tractatu: intelligens tamen de ambobus verificari, quæ de uno dicit propter rationem allatam. *Secundo* vides: quomodo &c.

QUÆSTIO LXXVII.

De accidentibus remanentibus in hoc Sacramento.

In octo articulos divisa.

DEinde considerandum est de accidentibus remanentibus in hoc sacramento: & circa hoc queruntur octo.

Primo, utrum accidentia quæ remanent,

sint sine subiecto.

Secundo, utrum quantitas dimensiva sit subiectum aliorum accidentium.

Tertio, utrum huiusmodi accidentia possint immutari, aliquod corpus extrinsecum.

Quarto, utrum possint corrumpi.

Quinto, utrum ex eis possit aliquid generari.

Sexto, utrum possint nutrire.

Septimo de fractione panis consecrati.

Octavo, utrum vino consecrato possit aliquid permisceri.

ARTICULUS I. 356

Utrum accidentia remaneant sine subiecto in hoc Sacramento.

Sup. quest. lxxv. art. 5. & I. dist. xvii. art. 4. co. & IV. dist. xii. quest. 1. art. 1. & IV. cont. cap. lxxxiii. & lxxv. & quod. lxxxiii. art. 1. & quod. iv. art. 5. & opus. lxxxiii. cap. viii. & I. Corintha. II. lect. 5.

AD primum sic proceditur. Videtur quod accidentia non remaneant in hoc sacramento sine subiecto. Nihil enim inordinatum, aut fallax debet esse in hoc sacramento veritatis. Sed accidentia esse sine subiecto est contra rerum, ordinem quem Deus naturæ indidit: videtur etiam ad quamdam fallaciam pertinere, cum accidentia naturaliter sint signa naturæ subiecti. Ergo in hoc sacramento non sunt accidentia sine subiecto.

2. Præterea. Fieri non potest etiam miraculose quod definitio rei ab ea separetur, vel quod uni rei conveniat definitio alterius rei: puta quod homo manens homo sit animal irrationale: ad hoc enim sequeretur, contradictoria esse simul: hoc enim quod significat nomen, rei est definitio, ut dicitur in IV. Metaph. (tex. 28. (1) Sed ad definitionem accidentis pertinet quod sit in subiecto, ad definitionem vero substantiæ quod per se subsistat, non in subiecto. Non ergo potest miraculose fieri quod in hoc sacramento sint accidentia sine subiecto.

3. Præterea. Accidentis individuatur ex subiecto. Si ergo accidentia remanent in hoc sacra-

(1) Sive cap. 5. versus finem in Editionibus antiquis & cap. 7. in modernis, unde restituiimus emendata dispositione quod significat nomen, rei est definitio, vel planius est rei definitio (juxta grecum

διονόμει τὸ πρῶτον) non sicut prius, quod significat nomen rei, est definitio. Sequentes autem accidentis & substantiæ definitiones ex Aristotelis categoriis colliguntur.

sacramento sine subjecto, non erunt individua; sed universalia: quod patet esse falsum; quia sic non essent sensibilia, sed intelligibilia tantum.

4. Præterea. Accidentia per consecrationem hujus sacramenti non accipiunt aliquam compositionem. Sed ante consecrationem non erant composita neque ex materia, & forma, neque ex quo est, & quod est. Ergo etiam post consecrationem non sunt composita altero horum modorum: quod est inconueniens, quia sic essent simpliciora quam Angeli; cum tamen hæc accidentia sint sensibilia. Non ergo accidentia remanent in hoc sacramento sine subjecto.

Sed contra est quod Gregorius dicit in homil. Pasch. (1) quod *species sacramentalis sunt illarum rerum vocabula quæ ante fuerunt*, scilicet panis, & vini: & ita cum non remaneat substantia panis, & vini, videtur quod hujusmodi species remaneant sine subjecto.

Respondeo dicendum, quod accidentia panis, & vini, quæ sensu deprehenduntur in hoc sacramento remanere post consecrationem non sunt sicut in subjecto in substantia panis & vini, quæ non manet, ut supra habitum est (quæst. lxxv. art. 2. & 6.) neque etiam in forma substantiali, quæ non manet, & si remaneret, subjectum esse non posset, ut patet per Boetium in Lib. I. de Trinit.

Summ. S. Th. Tom. XII.

(parum a princ.) Manifestum est etiam quod hujusmodi accidentia non sunt in substantia corporis, & sanguinis Christi sicut in subjecto, quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici: neque etiam est possibile quod corpus Christi gloriosum, & impassibile existens alteretur ad suscipiendas hujusmodi qualitates.

Dicunt autem quidam, quod sunt sicut in subjecto in aere circumstante. Sed nec hoc esse potest. Primo quidem quia aer non est hujusmodi accidentium susceptivus. Secundo quia hujusmodi accidentia non sunt ubi est aer, quinimmo ad motum harum specierum aer depellitur. Tertio quia accidentia non transeunt de subjecto in subjectum, ut scilicet idem accidens numero, quod primo fuit in uno subjecto, postmodum fiat in alio: accidens enim numero accipit a subjecto: unde (*) non potest esse quod idem numero manens sit quandoque in hoc, quandoque in illo subjecto. Quarto quia cum aer non spoliatur accidentibus propriis, simul haberet accidentia propria & aliena. Nec potest dici, quod hoc fiat miraculose virtute consecrationis, quia verba consecrationis hoc non significant; quæ tamen non efficiunt nisi suum significatum.

Et ideo relinquitur quod accidentia in hoc sacramento manent sine subjecto: (2) quod quidem virtute divina fieri potest. Cum enim

Z

nim

(1) Ut cap. Species in Decretis distinct. 2. de consecratione inscriptio præ se fert: Sed ex Lanfranco sumptum esse appendix ibi notat; uti reuera Lanfrancus est, qui Gregorij verbis ex homilia illa paschali (hoc est homil. 22 super Evangelium Paschæ) recitatis de suo id subnectit. Similiter etiam citat Ivo 2. parte sui Decreti quæ de corpore & sanguine Domini inscribitur c. 9. Ubi nimirum ait quod *ipsa divinitas quia forma est, subjectum esse non potest, cum nec forma subjecta possint esse*: Præter id quod paulo post subjungit in hunc modum: *Forma quæ est sine materia non poterit esse subjectum*: Ex hypothese porro quod sola forma substantialis panis in Sacramento remaneret, esset aliquo modo talis forma qualis dicitur sine materia: Unde inferri posset ex Boetij dictis quod non esset subjectum, &c.

(2) Ita cum vsq. editi fore omnes Al. desit non.

(3) Cur autem remaneant sic rationem reddit S. Thomas opusc. 57. in Officio Sacramenti: *Accidentia sine subjecto in eodem existunt, ut fides locum habeat dum visibiliter sumitur sub aliena specie occultatum, & sensus a deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus judicant sibi notis*. Dicitur porro *visibile invisibiliter sumi*, quia cum corpus Christi sit secundum se visibile, invisibili tamen modo sub sacramento continetur, ut adjuncta explicant: Nec utique ut in Breviario præposere immutatum est, legi debet, *invisibile visibiliter sumitur*: cum visibilibus quidem specierum sumptio sed ipsius corporis

Christi tantum invisibilis dici possit. Alioqui quomodo visibiliter sumitur, si aliena specie occultatum? ac propterea manent accidentia ut sub illis tanquam sub velamine occultetur? Et quidem quod maneat sine subjecto, per quod intelligitur substantia (cum alioqui quedam in quantitate subjectentur, ut sequens articulus ostendit) ad eandem pertinet fidem qua credi debet substantia panis non remanere: Unde in Concilio Constantiensi Sess. 8. ex 45. Joannis Wiclef articulis ibi damnatis, hic primus est, *Substantia panis materialis & vini materialis manens in Sacramento, &c.* Secundus autem *Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento*: Quasi unus illorum ex alio sequatur, ac proinde par esse utriusque condemnatio putanda sit: Nulli porro dubium quin damnatus intelligatur primus tanquam re ipsa hæreticus, cum Concilium Tridentinum (Sess. 13. ubi supra) eundem sic damnarit: Unde nec dubium videri debet quin similiter de secundo sit judicandum, quod etiam ut hæreticus intelligatur condemnatus: Licet prædicti 4. articuli non speciatim ac sigillatim, sed in communi tantum & confuse damnati sint: *Prefatos articulos 45. sancta Synodus examinari fecit & sapius recenseri: Quibus examinatis fuit repertum aliquos & plures ex ipsis fuisse & esse notorie hæreticos & a Sanctis Patribus reprobatos; alios non catholicos sed erroneos; alios scandalosos & blasphemos; quosdam piarum aurium offensivos; nonnullos eorum temerarios & seditiosos.*

nim effectus magis dependeat a causa prima quam a causa secunda; Deus, qui est prima causa substantiæ, & accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in esse accedens, subtracta substantia, per quam conservabatur in esse, sicut per propriam causam: sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis: sicut humanum corpus formavit in utero Virginis sine virili semine.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet aliquid esse ordinatum secundum communem legem naturæ, cujus tamen contrarium est ordinatum secundum speciale privilegium gratiæ; ut patet in resuscitatione mortuorum, & in illuminatione cæcorum; prout etiam in rebus humanis quedam aliquibus conceduntur ex speciali privilegio præter legem communem. Et ita etiam licet sit secundum communem naturæ ordinem quod accedens sit in subiecto; ex speciali tamen ratione secundum ordinem gratiæ accidentia sunt in hoc sacramento sine subiecto, propter rationes supra inductas (in corp. art.)

Ad secundum dicendum, quod cum ens non sit genus, hoc ipsum quod est esse, non potest esse essentia substantiæ, vel accidentis. Non est ergo definitio substantiæ, ens per se sine subiecto, nec definitio accidentis, ens in subiecto; sed quidditati, seu essentia substantiæ competit habere esse non in subiecto; quidditati autem, sive essentia accidentis competit habere esse in subiecto. In hoc autem sacramento non datur accidentibus quod ex vi suæ essentia non sint in subiecto, sed ex divina virtute sustentante: & ideo non desinunt esse accidentia, quia nec separatur ab eis definitio accidentis, quæ est aptitudo ad subiectum, quæ semper manet in iis, non actualis inhærentia, nec competit eis definitio substantiæ.

Ad tertium dicendum, quod huiusmodi accidentia acquirerunt esse individuum in substantia panis, & vini; qua conversâ in corpus, & sanguinem Christi, remanent virtute divina accidentia in illo esse individuato quod prius habebant: unde sunt singularia, & sensibilia.

Ad quartum dicendum, quod accidentia huiusmodi, manente substantia panis, & vini, non habebant ipsa esse, sicut nec alia accidentia, sed subiecta eorum habebant huiusmodi esse per ea, sicut nix est alba per albedinem; sed post consecrationem ipsa accidentia, quæ remanent, habent esse, unde sunt composita ex esse, & quod est, sicut in prima parte de

Angelis dictum est (quest. l. art. 2. ad 3.) & cum hoc habent compositionem partium quantitativarum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem intencimas hæresim Joannis Uvicleff dicentis: quod accidentia panis, & vini non manent sine subiecto in sacramento Eucharisticæ, nec Deus potest id. facere. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas merito illam damnari Concilio *Constantiensi sess. 8.* Ubi & damnat ipsum Uvicleff, tamquam hæreticum, & ossa ejus jubet exhumari, atque cremari: Item a Conciliis *Lateranen. & Florent.* per hoc, quod substantiam panis, & vini converti dicunt in corpus, & sanguinem Christi, atque ideo non manere sub accidentibus suis post consecrationem. Restat ergo juxta Conciliorum prædictorum sententiam de necessitate dicendum: quod mens ipsorum ibi est accidentia panis, & vini, facta consecratione esse in sacramento sine subiecto. Et nota, quod hæc determinatio Conciliorum tangit maxime *Uvicleffum*, ipsum condemnando: quoniam *Uvicleff*, ut accidentia remanerent in subiecto, ponebat substantiam panis, & vini consecratorum remanere. De qua re, & contra illum etiam in hoc vide *questio. 75. articul. 1. 2. 4. append.* Ex quibus dic. Si accidentia ipsa ibi non remanerent sine subiecto, sequeretur necessario concludendum esse adversus Concilia (quod est hæreticum) videlicet, quod prædicta panis, & vini transubstantiatio vere non datur. *Tertio* vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 457

Utrum in hoc Sacramento quantitas dimensiva panis, vel vini sit aliorum accidentium subiectum.

IV. dist. XII. quest. 1. art. 1. quest. 3. & IV. cont. cap. LXII. & LXIV. & I. Cor. 10. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod in hoc sacramento quantitas dimensiva panis, vel vini non sit aliorum accidentium subiectum. Subiectum enim accidentis non est accedens: nulla enim forma potest esse subiectum, cum subiecti pertineat ad proprietatem materiæ. Sed quantitas dimensiva est quod-

dam accidens. Ergo quantitas dimensiva non potest esse subjectam aliorum accidentium.

2. Præterea. Sicut quantitas individuatur ex substantia, ita etiam illa accidentia. Si ergo quantitas dimensiva panis, aut vini remanet individuata secundum esse prius habitum, in quo conservatur, pari ratione & alia accidentia remanent individuata secundum esse quod prius habebant in substantia; Non ergo sunt in quantitate dimensiva sicut in subjecto, cum omne accidens individuatur per suam subjectum.

3. Præterea. Inter alia accidentia panis & vini, quæ remanent, deprehenduntur etiam sensu rarum, & densum: quæ non possunt esse in quantitate dimensiva, præter materiam existentem: quia rarum est quod habet partem de materia sub magnis dimensionibus, densum autem quod habet multum de materia sub parvis dimensionibus, ut dicitur IV. Physic. (tex. 84.) Non ergo videtur quod quantitas dimensiva possit esse subjectum accidentium, quæ remanent in hoc sacramento.

4. Præterea. Quantitas a subjecto separata videtur esse quantitas mathematica, quæ non est subjectum qualitatum sensibilium. Cum ergo accidentia quæ remanent in hoc sacramento, sint sensibilia, videtur quod non possint esse in hoc sacramento, sicut in subjecto, in quantitate dimensiva panis, & vini remanente post consecrationem.

Sed contra est quod qualitates non sunt divisibiles nisi per accidens, scilicet ratione subjecti. Dividuntur autem qualitates remanentes in hoc sacramento per divisionem quantitatis dimensivæ, sicut patet ad sensum. Ergo quantitas dimensiva est subjectum accidentium, quæ remanent in hoc sacramento.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, accidentia alia quæ remanent in hoc sacramento, esse sicut in subjecto in quantitate dimensiva panis, vel vini remanente.

Primo quidem per hoc quod ad sensum apparet aliquid quantum esse ibi coloratum, & aliis accidentibus affectum: nec in talibus sensus decipitur. Secundo quia primæ dispositio materiæ est quantitas dimensiva: unde & Plato posuit primas differentias materiæ *magnum*, & *parvum* (ex Arist. Lib. I.

Metaph. tex. 8.) Et quia primum subjectum est materia, consequens est quod omnia alia accidentia referantur ad subjectum, mediante quantitate dimensiva, sicut & primum subjectum coloris dicitur esse superficies; ratione cujus quidam posuerunt, dimensiones esse substantias corporum, ut dicitur in I. Metaph. (tex. 19. & seq. (1) Et quia subtracto subjecto, remanent accidentia secundum esse quod prius habebant, consequens est quod omnia accidentia remaneant fundata super quantitatem dimensionem. Tertio quia cum subjectum sit principium individuationis accidentium, oportet id quod ponitur aliquorum accidentium subjectum, esse aliquo modo individuationis principium. Est autem de ratione individui quod non possit in pluribus esse: quod quidem contingit dupliciter: uno modo quia non est natum esse in aliquo; & hoc modo formæ immateriales separatae per se subsistentes sunt etiam per se ipsas individuae: alio modo ex eo quod forma substantialis, vel accidentalis est quidem nata in aliquo esse, non tamen in pluribus, sicut hæc albedo, quæ est in hoc corpore. Quantum igitur ad primum, materia est individuationis principium omnibus formis inherentes: quia cum hujusmodi formæ, quantum est de se, sint natae in aliquo esse sicut in subjecto, ex quo aliqua earum recipitur in materia, quæ non est in alio, jam nec forma ipsa sic existens potest in alio esse. Quantum autem ad secundum, dicendum est, quod individuationis principium est quantitas dimensiva. Ex hoc enim aliquid est natum esse in uno solo, quod illud est in se indivisum, & divisum ab omnibus aliis. Divisio autem accidit substantiæ ratione quantitatis, ut dicitur in I. Physicor. (tex. 15. & 19.) Et ideo ipsa quantitas dimensiva est quoddam individuationis principium hujusmodi formis, in quantum scilicet diversarum formarum numero sunt in diversis partibus materiæ: unde & ipsa quantitas dimensiva secundum se habet quamdam individuationem; ita quod possumus imaginari plures lineas ejusdem speciei, differentes positione, quæ cadit in ratione hujus quantitatis, convenit enim dimensionem quod sit quantitas positionem habens:

Z 2 dens:

(1) Ubi Pythagorici vel qui Pythagorici appellantur dicuntur uti principia alio modo quam utantur Physiologi, quia nimirum ea non ex sensibilibus acceperunt, nec de sensibilibus magis dicunt quam de mathematicis; quasi sensibilibus substantiis non sint aliud quam

ipsam mathematicam dimensionem, &c. Quod autem de Platone hic præmittitur, quasi *magnum* & *parvum* primas ipsius materiæ differentias constituentes, habent in eodem etiam libro text. 6. & sequentibus.

bens : & ideo potius quantitas dimensiva potest esse subjectum aliorum accidentium quam e converso.

Ad primum ergo dicendum, quod accidens per se non potest esse subjectum alterius accidentis, quia per se non est; secundum vero quod est in alio, unum accidens dicitur esse subjectum alterius, in quantum unum accidens recipitur in subjecto, alio mediante; sicut superficies dicitur esse subjectum coloris. Unde quando accidenti datur divinitus ut per se sit, potest etiam per se alterius accidentis subjectum esse.

Ad secundum dicendum, quod alia accidentia, etiam secundum quod erant in substantia panis, individuabantur mediante quantitate dimensiva, sicut dictum est (in corp. art.) Et ideo potius quantitas dimensiva est subjectum aliorum accidentium remanentium in hoc sacramento quam e converso.

Ad tertium dicendum, quod *rarum*, & *densum* sunt quaedam qualitates consequentes corpora, ex hoc quod habent multum, vel parum de materia sub dimensionibus, sicut etiam omnia alia accidentia consequuntur ex principiis substantiæ: & ideo sicut subtracta substantia, divina virtute conservantur alia accidentia; ita subtracta materia, divina virtute conservantur qualitates materiam consequentes, sicut *rarum*, & *densum*.

Ad quartum dicendum, quod quantitas mathematica non abstrahit a materia intelligibili, sed a materia sensibili, ut dicitur VII. Metaph. (tex. 35.) Dicitur autem materia sensibilis ex hoc quod subicitur sensibilibus qualitatibus. Et ideo manifestum est quod quantitas dimensiva, quæ remanet in hoc sacramento sine subjecto, non est quantitas mathematica.

A P P E N D I X.

EX articulo habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a Concilio, & Ecclesia: quod quantitas in Eucharistiæ sacramento est subjectum aliorum accidentium. A Concilio quidem *Flaventino* per hoc, quod dicendo *ly separatione facta*, ut supra *quest. 79. art. 3. app.* admittit manifeste, divisionem in speciebus sacramentalibus posse fieri. id quod etiam sensui conflatur, dum actu videmus, albedinem, &c. dividi in partes, quando hostia frangitur. Patet autem apud recte ratiocinantes, quod qualitates non sunt divisibiles; nisi per accidens, id est ratione subjecti. Cum ergo qua-

litates in hoc sacramento remanentes dividantur per divisionem quantitatis dimensivæ, ut patet ad sensum, relinquatur ex hoc, quod quantitas dimensiva est subjectum aliorum accidentium hic remanentium. Necesse est igitur dicere, quod admittere divisionem in qualitatibus sacramentalibus, idem est, quod fateri, quantitatem dimensivam esse subjectum qualitatum, seu aliorum accidentium, in sacramento Eucharistiæ. at Concilium *Flaventinum* admittit *primum*, ut supra. ergo per hoc fateretur & *secundum*. Ab Ecclesia quoque id ipsum insinuat per hoc, quod in *Sequentia de festo corporis Christi* inter *Miszarum solemniam* cantat. *Fractio demum sacramento, no vacilles: sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto legitur. Nulla rei fit scissura, sola signi fit fractura, qua nec status, nec status signati minuitur.* Hæc ibi. Quibus divisionem accidentium sacramentalium denotat. Patet autem apud recte ratiocinantes, &c. ut supra, applicando ad Ecclesiam, usque ad *ly fateretur & secundum*. *Secundo* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 458

Utrum species quæ remanent in hoc Sacramento, possint immutare aliquid extrinsecum.

IV. dist. XII. quest. 1. art. 2. quest. 1. & 2.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod species quæ remanent in hoc sacramento, non possint immutare aliquid extrinsecum. Probatur enim VII. *Physic.* quod formæ quæ sunt in materia, fiunt a formis quæ sunt in materia, non autem a formis quæ sunt sine materia: eo quod simile agit in sibi simile. Sed species sacramentales sunt species sine materia, quia remanent sine subjecto, ut ex dictis patet (art. 1. hu. quest.) Non ergo possunt immutare materiam exteriorem, inducendo aliquam formam.

2. Præterea. Cessante actione principalis agentis, necesse est quod cesset actio instrumenti; sicut quiescente fabro, non movetur martellus. Sed omnes formæ accidentales agunt instrumentaliter in virtute formæ substantialis, tamquam principalis agentis. Cum ergo in hoc sacramento non remaneat forma substantialis panis, & vini, sicut supra habitum est (quest. lxxv. art. 2. & 6.) videtur quod formæ accidentales remanentes age-

re non possint ad immutationem exterioris materiz.

3. Præterea. Nihil agit ultra suam speciem, quia effectus non potest esse potior causa. Sed species sacramentalis omnes sunt accidentia. Non ergo possunt exteriorem materiam immutare, ad minus ad formam substantialem.

Sed contra est quod si non possent immutare exteriora corpora, non possent sentiri: sentitur enim aliquid per hoc quod immutatur sensus a sensibili, ut dicitur II. de Anima (1).

Respondeo dicendum, quod quia unumquodque agit, in quantum est ens actu, consequens est quod unumquodque sicut se habet ad esse, ita se habeat ad agere.

Quia igitur secundum prædicta (art. 1. hujus quæst.) speciebus sacramentalibus datum est divina virtute ut remaneant in suo esse (2) quod habebant, substantia panis, & vini existente, consequens est quod etiam remaneant in suo agere: & ideo omnem actionem quam poterant agere, substantia panis, & vini existente, possunt etiam agere, substantia panis & vini transeunte in corpus, & sanguinem Christi. Unde non est dubium quod possunt immutare exteriora corpora.

Ad primum ergo dicendum, quod species sacramentalis, licet sint formæ sine materia existentes, retinent tamen idem esse quod habebant prius in materia: ideo secundum suum esse assimilantur formis quæ sunt in materia.

Ad secundum dicendum, quod ita actio formæ accidentalis dependet ab actione formæ substantialis, sicut esse accidentis dependet ab esse substantiæ: & ideo sicut divina virtute datur speciebus sacramentalibus ut possint esse sine substantia; ita datur eis ut possint agere sine forma substantiali, virtute Dei, a quo sicut a primo agente dependet omnis actio formæ & substantialis, & accidentalis.

Ad tertium dicendum, quod immutatio quæ est ad formam substantialem, non fit a

forma substantiali immediate, sed mediantibus qualitatibus activis, & passivis, quæ agunt in virtute formæ substantialis. Hæc autem virtus instrumentalis conservatur in speciebus sacramentalibus divina virtute, sicut & prius erat: & ideo possunt agere ad formam substantialem instrumentaliter: per quem modum aliquid potest agere ultra suam speciem, non quasi virtute propria, sed virtute principalis agentis.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam ab Ecclesia, quod species remanentes in sacramento Eucharistiæ possunt immutare aliquod extrinsecum. Ut per hoc, quod in sequentia solemnitatis corporis Christi, dicit: *sub diversis speciebus, signis tantum, & non rebus latent res eximie*. Ex eo enim, quod has species sacramenti vocat signa, notificat intentum. Nam (ut inquit Beatus Augustinus, & recitatur, *De consecrat. dist. 2.*) signum est res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid faciens ex se in cognitionem venire. Ne mireris, quod Ecclesia dicente *ly signis tantum, & non rebus, D.* Augustinus dicat *ly signum est res*: quoniam sunt simul hæc duo, scilicet, quod signum sit res transcendenter accepta, sicuti est ens, & non sit res particulariter accepta, idest (ut in proposito loquamur) non sit panis, cujus signum est: secundum quod etiam B. Gregor. in homil. Palch. ait: *Species, & similitudo illarum rerum vocabula sunt, quæ ante fuerunt, scilicet panis, & vini*. Nam signum illud, seu species illa panis, erat prius etiam res particularis, in quantum scilicet erat saltem illative substantia panis; nunc vero est solummodo signum, quia non est amplius illative substantia, quam præfert. Nunc enim signum illud in esse conservatur a Deo immediate, quod prius in esse ipso conservabatur a Deo mediante substantia panis.

(1) Colligitur ex textu 51. ubi dicitur *sensus in eo accidere quod est aliquid pati*: Et ex textu 74. ubi dicitur quod *videre fit patiente aliquid sensitivo*; indeque refellitur propositio Democriti quod si vacuum in medio fieret, formica videretur in cælo; Et ex textu 121. ubi dicitur *sensus uniuscujusque ab habente odorem aut saporam aut sonum pati, &c.*

(2) Cum eodem etiam modo naturali proportionato ad agendum; ut præsupponi debet ad probandum efficaciter quod eadem agere possint quæ poterant cum

substantiæ inhærent: Nam licet Christus idem esse in Sacramento retineat quod habet realiter & substantialiter in cælo, non tamen idem in sacramento potest agere ac in cælo, quia eundem modum naturalem non habet nec eandem proportionem ad agendum, ut patet supra: Vel quamvis idem esse naturale semper habeat, simul cum illo tamen habet esse sacramentale per quod modificatur esse illius naturale, prout in sacramento inexistens; Non fit autem species quæ non nisi proprium esse naturale retinet, &c.

nis . Cum ergo (secundum Beatam Augustinum) signum ingerat speciem sensibus & (secundum Ecclesiam sanctam) species sacramentales sint signa , relinquitur : quod Ecclesia , dicendo , quod tales species sunt signa , dixerit simul , quod possunt sentiri , ideoque quod possunt immutare corpora exteriora . Sentitur enim aliquid per hoc quod immutatur sensus a sensibili , *secundo de anima* . Secundo vides : quomodo &c.

ARTICULUS IV. 459

Utrum species sacramentales possint corrumpi .

Inf. art. 5. cor. & IV. dist. XII. quest. 1. art. 2. quest. 3. & IV. cont. cap. LXVI.

AD quartum sic proceditur . Videtur quod species sacramentales corrumpi non possint . Corruptio enim accidit per separationem formæ a materia . Sed materia panis non remanet in hoc sacramento , sicut ex

supradictis patet (*quest. lxxv. art. 2.*) Ergo hujusmodi species non possunt corrumpi .

2. Præterea . Nulla forma corrumpitur nisi per accidens , corrupto subiecto : unde formæ per se subsistentes incorruptibiles sunt , sicut patet in substantiis spiritualibus . Sed species sacramentales sunt formæ sine subiecto . Ergo corrumpi non possunt .

3. Præterea . Si corrumpuntur , aut hoc erit naturaliter , aut miraculose . Sed non naturaliter , quia non est ibi assignare aliquod corruptionis subiectum , quod maneat & corruptione terminata : similiter etiam hoc miraculose , quia miracula quæ sunt in hoc sacramento , fiunt virtute consecrationis per quam species sacramentales conservantur : non est autem idem causa conservationis , & corruptionis . Ergo nullo modo species sacramentales corrumpi possunt .

Sed contra est quod sensu deprehenditur , hostias consecratas putrefieri , & corrumpi . (1) Respondeo dicendum , quod corruptio est motus esse in non esse . Dicitur est autem supra (*art. præc.*) quod species sacramentales

(1) Non quod hostiæ ipsæ deprehendantur sensu prout consecratæ sunt , quia consecratio , vel fide tantum præsupponitur secundum thesim generalem qua verbis Christi adhæremus dicentis *Hoc est corpus meum* , vel præsumitur opinione certa moraliter secundum hypothësim particularëm qua confidimus intentioni Sacerdotis Christo seipsum conformantis ut verbis ejus vere consecret : Sed hoc totum quod ibi sensu deprehendimus , est corruptio ipsa sive putrefactio quæ in hostiam cadit ut sic . Possit autem hostiam consecratam putrefieri vel corrumpi nihil in decens infert quod veritati consecrationis advesetur ut hæretici objiciunt ; quia in corpus Christi putrefactio illa seu corruptio non redundat ; sicut nec in ipsius divinitatem propter intimam unionem injuriæ humanitatis vel corporis infirmitates ac passiones redundabant : Sic Sol in cæno sine sordibus volutatur nullam contrahens inde foeditatem , ut Basilii occasione Incarnationis exaggerat , & huc accommodari potest : Sic in medio rubi flammæ & ardentis Angelus qui personam Dei repræsentabat , nullam sentiens læsionem ; ut Exod. 3. videre est : Quid ergo metuendum ne quid ex illa hostiarum corruptione vel putrefactione Christus indignum patiat ? Unde Guimundus ubi supra de veritate Eucharistiæ lib. 2. statim post initium , objicienti Berengario quod *caro Christi est incorruptibilis , potest autem corrumpi sacramentum si diutius asseruetur* , ita respondet : *O lingua blasphemis assueta ! promptior ad extorquendam superbe de Scripturis Dei suam perditionem , quam ad percipiendam cum fidelibus salubrem resurrectionem !* Et paulo post : *Nobis panis ille celestis , il-*

la Eucharistia , divinum illud manna , quod immaculati agni carnem impassibilem factam de sacris altaribus sumimus , per quod & vivimus & a corruptione sanamur ; nunquam corrumpitur , nunquam putreficit , &c. Si ergo forse cuipiam vetustate corruptum & putridum aliquando videatur , aut is non credit hoc quod videt esse corpus Domini , & sic juxta cor suum cum eo credimus ut tale illi foris appareat , quale intus , (*in corde videlicet*) creditur : Si autem erudit hoc quod videt , esse corpus Domini , id cum eo fieri credimus ut aliqua ejus negligentia corrigenda vel puniendâ declaretur , pro eo quod corpus Domini sui quantum in se est indigne tractaverit ; aut certe ut fidei ejus soliditas copiosius remuneranda comprobetur qui contra id etiam quod oculus cernit , de verbis ac potentia Domini sui & communi Ecclesie fide non dubitat : Et paulo infra Quomodo autem ad comprobandos remunerandosque fideles incorruptibiles Christus quasi corruptibilis videri dedignatus sit B. Gregorius declarat de quodam Martyrio Monacho narrans (*homil. 39. in Evangelia*) qui Dominum Jesum in specie leprosi sibi apparentem propriis meris humeris bajulare : Cumque is quasi leprosus videbatur , de collo ejus evanisset , ab ipso mox sententiam remunerationis accepit : Quoniam (*inquit*) non erubui me in terra , o Martyri , nec ego te erubescam in cælo : Sicis igitur ad comprobandam & remunerandam Martyrij humilitatem sive dilectionem , desormi horrendaque specie in terra Dominus noster Jesus Christus apparuit , sic ad comprobandam & remunerandam servorum suorum fidem (*si nulla incredulitas vel negligentia*

les retinent idem esse quod prius habebant, substantia panis, & vini existente. Et ideo sicut esse horum accidentium poterat corrumpi, substantia panis, & vini existente; ita etiam potest corrumpi, illa substantia abeunte.

Poterant autem huiusmodi accidentia primo corrumpi dupliciter, uno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem, sicut per alterationem qualitatum, & augmentum, vel diminutionem quantitatis: non quidem per modum augmenti, vel diminutionis, qui invenitur in solis corporibus animalis, qualia non sunt substantia panis, & vini, sed per additionem, vel divisionem. Nam, sicut dicitur III. Metaph. (tex. 17.) per divisionem una dimensio corrumpitur, & fiunt duæ; per additionem autem e converso ex duabus fit una. Et per hunc modum manifeste possunt corrumpi huiusmodi accidentia post consecrationem: quia & ipsa quantitas remanens potest divisionem, & additionem suscipere; & cum sit subiectum qualitatum sensibilem, sicut dictum est (art. 2. hu. quæst.) potest etiam esse subiectum alterationis earum; puta si alteretur color, aut sapor panis, aut vini.

Alio modo poterant corrumpi per accidens corruptionem subiecti; & hoc modo possunt corrumpi etiam post consecrationem: quamvis enim subiectum non remaneat, remanet tamen esse quod habebant huiusmodi accidentia in subiecto, quod quidem est proprium, & conforme subiecto: & ideo huiusmodi esse potest corrumpi a contrario agente, sicut corrumpebatur substantia panis, vel vini, quæ etiam non corrumpebatur nisi præcedente alteratione circa accidentia.

Distinguendum tamen est inter utramque modum prædictarum corruptionum: quia cum corpus Christi, & sanguis succedat in hoc sacramento substantiæ panis, & vini, si fiat talis immutatio ex parte accidentium, quæ non sufficeret ad corruptionem panis & vini, propter talem immutationem non definit corpus, & sanguis Christi esse sub hoc

sacramento: sive fiat immutatio ex parte qualitatis, puta cum modicum immutatur color, aut sapor panis, vel vini; sive ex parte quantitatis, sicut dividitur panis, aut vinum in tales partes, quod adhuc in eis possit salvari natura panis, aut vini. Si vero fiat tanta immutatio, quod fuisset corrupta substantia panis, aut vini, non remanent corpus, & sanguis Christi sub hoc sacramento: & hoc sive ex parte qualitatum, sicut cum ita immutatur color, & sapor, & aliæ qualitates panis, & vini, quod nullo modo possint compati naturam panis, aut vini; sive etiam ex parte quantitatis, si pulverizetur panis, vel vinum in tam minutas partes dividatur, ut jam non remaneant species panis, vel vini.

Ad primum ergo dicendum, quod ad corruptionem per se pertinet quod auferat esse rei. Unde in quantum esse alicujus formæ est in materia, consequens est quod per corruptionem separetur forma a materia. Si vero huiusmodi esse non esset in materia, posset per corruptionem auferri, etiam materia non existente; sicut accidit in hoc sacramento, ut ex dictis patet (in cor. art.)

Ad secundum dicendum, quod species sacramentales, licet sint formæ non in materia, habent tamen esse quod prius in materia habebant.

Ad tertium dicendum, quod corruptio illarum specierum non est miraculosa, sed naturalis; præsupponit tamen miraculum, quod est factum in consecratione, scilicet quod illæ species sacramentales retineant esse sine subiecto, quod prius habebant in subiecto; sicut & cæcus miraculose illuminatus naturaliter videt.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum a Papa Honorio, & Innocentio, quod species sacramentales corrupti possunt. Insinuarunt autem hoc ex eo, quod mandaverunt, Eucha-

gentia puniunda sit vel corrigenda) in specie corrupti panis, si quando id contingat, credendus est videri: Et sicut non alium leprosum illum deformissimum fuisse nisi seipsum de collo Martyrij evanescentis Christus ostendit, sic non aliud quam Christi corpus & sanguinem in divinis Sacramentis, etiam si sub specie quasi putrefacti panis & vini aliquando viderentur, Orthodoxorum prudentia credere novis Subintellige tamen in progressu corruptionis pondum com-

pletæ; quia si completa sit; definit ibi esse corpus Christi, sicut explicat S. Thomas in textu. Idem dicendum quoque cum in cineres resolvitur, ut Cyprianus in sermone de lapsis contigisse cuidam refert qui maculatus panem sanctum latenter cum cæteris accipere ausus est, us unius ostenderetur documento Dominum recedere cum negatur, nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, cum gratia salutaris in cinerem sapientissime fugiente mutetur.

charitiam in loco mundo devote conservari, atque diligenter custodiri: ne per incuriam oppositam aliquid infaustum, aut indignationem divinam provocans inde contingeret. Hoc est, in proposito, aliis tacitis, quæ per incuriam inde provenire possunt, ne contingat, quod species sacramentales putrescant, seu corrumpantur. Nisi enim in loco mundo, & diligenter custodiretur, tum ex humiditate, vel alia indecentia loci, tum ex negligentia custodiæ, quia, scilicet, non frequenter renovaretur, seu permutaretur, ipsæ sacramenti species, ut compertum est, facile corrumpentur. Ideo mandaverunt Summi Pontifices, ut supra: & quidem Innocentius sic. *Statuitur, ut in cunctis Ecclesiis Eucharistia sub fidei custodia clavibus adhibitis conservetur. Si vero is, ad quem spectas, incause reliqueris, tribus mensibus ab officio suspendatur: & si per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori subjaceat ultioni.* Hæc ille: ut recitatur extra, de custodia Eucharistiæ, & aliorum sacramentorum. Honorius vero sic. *Ne propter incuriam sacerdotum divina indignatio gravius exardescat districte precipiendo mandamus: quantum a sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo & signato, semper honorifice collocata devote ac fideliter conservetur.* Hæc ille; ut recitatur extra, de celebratione missarum, cap. Sane. Ex quibus datur intelligi: quod per hujusmodi mandata voluerunt Pontifices illi, & impedire, ne specierum sacramentalium corruptio sequeretur: & figuræ veteri novum reddere figuratum. Vetus figura de hoc sic habet Levit. 24. *Panes super mensam purissimam coram Domino statuas. Per singula sabbata mutabuntur, fœdere sempiterno.* Figuratum autem hujus novum est illud quod & verbis, & sensu jusserunt prænominati Pontifices. Cæterum, si de tali correspondentiâ testamentorum in hujusmodi melius vis instrui, vide Veritates aureas super legem veterem, *Levit. 24. conclus. 1. Secundo vides: quomodo &c.*

ARTICULUS V. 360

Utrum ex speciebus sacramentalibus aliquid possit generari.

Inf. art. 8. ad 2. & IV. dist. XII. quæst. 1. art. 2. quæst. 4. & IV. cont. cap. LXVI. & quol. IX. art. 5. ad 2. & I. Cor. XI. lect. 4. fin.

AD quantum sic proceditur. Videtur quod ex speciebus sacramentalibus nihil possit generari. Quod enim generatur, ex aliqua materia generatur: ex nihilo enim nihil generatur, quamvis ex nihilo fiat aliquid per creationem. Sed speciebus sacramentalibus non subest aliqua materia, nisi corporis Christi, quod est incorruptibile. Ergo videtur quod ex speciebus sacramentalibus nihil possit generari.

2. Præterea. Ea quæ non sunt unius generis, non possunt ex se invicem fieri: non enim ex albedine fit linea. Sed accidens, & substantia differunt genere. Cum ergo species sacramentales sint accidentia, videtur quod ex eis non possit aliqua substantia generari.

3. Præterea. Si ex eis generetur aliqua substantia corporea, illa substantia non erit sine accidente. Si ergo ex speciebus sacramentalibus generetur aliqua substantia corporea, oportet quod ex accidente generetur substantia, & accidens, duo scilicet ex uno; quod est impossibile. Ergo impossibile est quod ex speciebus sacramentalibus aliqua substantia corporea generetur.

Sed contra est quod ad sensum videri potest, ex speciebus sacramentalibus aliquid generari, vel cineres, si comburantur, vel vermes, si putrescant, vel Pulveres, si conterantur.

Respondeo dicendum, quod cum corruptio unus sit generatio alterius, ut dicitur in I. de generatione (tex. 17.) necesse est quod ex speciebus sacramentalibus aliquid generetur, cum corrumpantur, ut dictum est (art. præc.) non enim sic corrumpuntur ut omnino dispereant, quasi in nihilum redigantur; sed manifeste aliquid sensibile eis succedit.

Quomodo autem ex eis aliquid generari possit, difficile est videre. Manifestum est enim quod ex corpore, & sanguine Christi, quæ ibi veraciter sunt, non generatur aliquid, cum sint incorruptibilia. Si autem substantia panis, aut vini remaneret in hoc sacra-

eramento, vel eorum materia, facile esset assignare, quod ex eis generatur illud sensibile, quod succedit, ut quidam posuerunt. Sed hoc est falsum, ut supra habitum est (quæst. lxxv. art. 2. & 6.)

Et ideo quidam dixerunt, quod ea quæ generantur, non sunt ex speciebus sacramentalibus, sed ex aere circumstante. Quod quidem multipliciter apparet esse impossibile. Primo quia ex eo generatur aliquid, quod prius alteratum, & corruptum apparet: nulla autem alteratio, vel corruptio prius apparuit in aere circumstante: unde ex eo vermes, vel cineres non generantur. Secundo quia natura aeris non est talis, quod ex eo per tales alterationes talia generentur. Tertio quia potest contingere, in magna quantitate hostias consecratas comburi, vel putrefieri, nec esset possibile tantum de corpore terreno ex aere generari, nisi magna, & valde sensibili inspissatione aeris facta. Quarto quia idem potest accidere corporibus solidis circumstantibus, puta ferro, aut lapidibus, quæ integra remanent post prædictorum generationem. Unde hæc positio stare non potest, quia contrariatur ei quod ad sensum apparet.

Et ideo alii dixerunt, quod redit substantia panis, & vini in ipsa corruptione specierum, & sic ex substantia panis, & vini redeunte generantur cineres, aut vermes, aut aliquid huiusmodi. Sed hæc positio videtur esse impossibilis. Primo quidem quia si substantia panis, & vini conversa est in corpus, & sanguinem Christi, ut supra habitum est (quæst. lxxv. art. 2. & 4.) non potest substantia panis, aut vini redire, nisi corpore, aut sanguine Christi iterum converso in substantiam panis, vel vini: quod est impossibile; sicut si aer sit conversus in ignem, non potest aer redire, nisi iterum ignis convertatur in aerem. Si vero substantia panis, aut vini sit annihilata, non potest iterum redire: quia quod in nihilum decidit, non redit idem numero. Nisi forte dicatur redire prædicta substantia, quia Deus de novo creat aliam novam substantiam loco primæ. Secundo videtur hoc esse impossibile, quia non est dare quando substantia panis redeat. Manifestum est enim ex supradictis (art. præc. & quæst. præc. art. 6. ad 3.) quod manentibus speciebus panis, & vini, manet corpus, & sanguis Christi, quæ non sunt simul cum substantia panis, & vini in hoc sacramento, secundum præhabita (quæst. lxxv. art. 2. & 6.) Unde substantia panis, & vini non potest redire, speciebus sacramentalibus manen-

Summ. S. Th. Tom. XII.

tibus; similiter etiam nec eis cessantibus, quia jam substantia panis, & vini esset sine propriis accidentibus: quod est impossibile.

Nisi forte dicatur, quod in ipso ultimo instanti corruptionis specierum redit non quidem substantia panis, & vini, quia illud idem intrans est in quo primo habent esse substantiæ generatæ ex speciebus; sed materia panis, & vini: quæ magis de novo creata diceretur quam rediens, proprie loquendo. Et secundum hoc posset sustineri prædicta positio. Verum quia non rationabiliter videtur dici, quod miraculose aliquid accidat in hoc sacramento, nisi ex ipsa consecratione, ex qua non est quod materia creetur, vel redeat; melius videtur dicendum, quod in ipsa consecratione miraculose datur quantitati dimensionis panis, & vini, quod sit primum subiectum subsequentium formarum. Hoc autem est proprium materiæ. Et ideo ex consequenti datur prædictæ quantitati dimensionis omne illud quod ad materiam pertinet. Et ideo quicquid posset generari ex materia panis, vel vini, si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensionis panis, vel vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis non sit ibi materia, ex qua aliquid generetur, quantitas tamen dimensionis supplet vicem materiæ, ut dictum est (in cor. art.)

Ad secundum dicendum, quod illæ species sacramentales sunt quidem accidentia, habent tamen actum, & vim substantiæ, ut dictum est (ibid. & art. 1. hu. quæst. ad 4.)

Ad tertium dicendum, quod quantitas dimensionis panis, & vini retinet naturam propriam, & accipit miraculose vim, & proprietatem substantiæ: & ideo potest transire in utrumque, idest in substantiam, & dimensionem.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito a Papa, & Conciliis esse insinuatam, quod ex speciebus sacramentalibus potest aliquid generari. A Papa quidem & Innoc. & Honorio per hoc quod singillatim uterque illorum dixit ea, quæ referuntur, a. 4. app. Diligenti enim custodia asservari Eucharistiam mandatur, & in loco mundo, & per omne Sabbatum, ut erat in illa figura, idest frequenter permutari, ne ex negligentia circa hæc inde contingat aliquod infandum, quod inter cætera est illud gene-

A a rari

rari ex speciebus sacramentalibus annotatum in arg. contr. A Conciliiis autem Later. sub Inoc. III. dicente. *Verum Christi corpus, & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continetur: transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate divina.* Item a Florent. dicente *Verborum Christi virtute substantia panis in corpus Christi & substantia vini in sanguinem convertuntur.* Ex eo enim, quod potestati divinæ, seu virtuti verborum Christi, idest miraculo divinitus facto, tribuantur conversionem substantiarum panis, & vini, remanentibus earum speciebus, constat de mente conciliorum ipsorum, quod scilicet docent, species ipsas, idest unam ipsarum, quæ est quantitas dimensiva, ex miraculo eodem sortiri vim, & actum substantiæ ita ut dimensiva panis quantitas sustentet reliqua accidentia, ceu illarum primum subjectum, & ex eadem quantitate, tanquam ex primo subjecto, idest materia, possit generari aliquid. Alioquin illa quantitas non fortiretur hoc, scilicet esse primum subjectum, & sic post consecrationem remaneret primum subjectum, quod erat ante consecrationem, idest materia panis: id, quod est manifeste hæreticum. Relinquitur ergo secundum concilia præmissa dicendum, quod quantitas illa post illam miraculosam conversionem sit præ materia, idest habens officium materiæ præ-existentis in pane; & consequenter quod in officio suo postea sequitur naturam principalis, idest materiæ, cujus vicem gerit: sicut & Prorex sequitur conditiones, seu proprietates regis, in officio administrando. Hæc vero etiam regulæ juris consentanea sunt, idemque ex ipsa confirmationem, quoad hoc, trahunt, quæ dicit. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Hæc in lib. 6. de reg. jur. reg. 42. *Secundo* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S VI. 461

Utum species Sacramentales possint nutrire.

IV. dist. XII. quest. 1. art. 2. quest. 5. &
IV. cont. cap. lxxvi. & I. Cor. xi.
lec. 4. fin.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod species sacramentales non possint nutrire. Dicit enim Ambrosius in Lib. V. de sacramentis (cap. iv. in med.) *Non iste panis est qui vadit in corpus, sed panis vite eterne, qui anime nostræ substantiam fulcit.* Sed omne quod nutrit, vadit in corpus. Ergo panis

iste non nutrit: & eadem ratio est de vino.

2. Præterea. Sicut dicitur II. de generatione (tex. 50.) *ex eisdem nutrimur ex quibus fumus.* Species autem sacramentales sunt accidentia, ex quibus homo non constat: non enim accidens est pars substantiæ. Ergo videtur quod species sacramentales nutrire non possint.

3. Præterea. Philosophus II. de Anima (tex. 47.) dicit, quod *alimentum nutrit, prout est substantia quadam; auget autem, prout est aliquid quantum.* Sed species sacramentales non sunt substantia. Ergo non possunt nutrire.

Sed contra est quod Apostolus I. Cor. xi. 21. loquens de hoc sacramento dicit: *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est:* ubi dicit Glossa (ordin.) quod „notat illos qui „post celebrationem sacri mysterii; & consecrationem panis, & vini, suas oblationes vendicabant, & aliis non communicantes soli sumebant, ita ut inde etiam „inebriarentur: “quod quidem non posset contingere, si sacramentales species non nutrent. Ergo species sacramentales nutriunt.

Respondeo dicendum, quod hæc quæstio difficultatem non habet, præcedenti quæstione soluta. Ex hoc enim, ut dicitur II. de Anima (tex. 45. & 46.) *cibus nutrit quod convertitur in substantiam nutriti.* Dicitur est autem (art. præc.) quod species sacramentales possunt converti in substantiam aliquam, quæ ex eis generatur: per eandem autem rationem possunt converti in corpus humanum per quam possunt converti in cineres, vel in vermes. Et ideo manifestum est quod nutriunt.

Quod autem quidam dicunt, quod non vere nutriunt, quasi in corpus humanum convertantur, sed reficiunt, & confortant quædam sensuum immutatione (sicut homo confortatur ex odore cibi, & inebriatur ex odore vini) ad sensum patet esse falsum: talis enim refectio non diu sufficit homini, cujus corpus propter continuam deperditionem restauratione indiget; & tamen homo diu sustentari posset, si hostias, & vinum consecratum sumeret in magna quantitate.

Similiter etiam non potest stare quod quidam dicunt, quod species sacramentales nutriunt propter formam substantialem panis, & vini, quæ remanet: tum quia non remanet, ut supra dictum est (quæst. lxxv. art. 6.) tum quia non est actus formæ nutrire, sed magis materiæ, quæ accipit formam nutriti, recedente forma nutrimenti: unde dicitur in II. de Anima (tex. 45.) *quod nutrimentum in principio est dissimile, in fine*

autem simile.

Ad primum ergo dicendum, quod, facta consecratione, dupliciter potest dici panis in hoc sacramento esse: uno modo ipse species panis; quæ retinent nomen prioris substantiæ, ut Gregorius dicit in hom. paschali (loc. cit. art. 1. hujus quæst.) alio modo potest dici panis ipsam corpus Christi, quod est panis mysticus de celo descendens. Ambrosius ergo, cum dicit, quod *iste panis non transiit in corpus*, accipit panem secundo modo, quia scilicet corpus Christi non convertitur in corpus hominis, sed reficit mentem eius; non autem loquitur de pane primo modo dicto.

Ad secundum dicendum, quod species sacramentales, et si non sint ea ex quibus corpus hominis constat, tamen in ea convertuntur, sicut dictum est (in cor. art.)

Ad tertium dicendum, quod species sacramentales, quamvis non sint substantia, habent tamen virtutem substantiæ, sicut dictum est (ibid.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse infinatum a scripturis, Cypriano, & Conciliis; quod sacramentales species nutrire possunt. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur 1. Cor. 11. secundum quod cum expositione glossæ etiam ponitur *arg. cons.* A sancto Cypriano per hoc: quod in serm. de cœna Domini dicit. *Hoc est, inquit: corpus meum. Manducaverant, biberant de eodem pane secundam formam visibilem, sed ante verba illa cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat, sed, ex quo a Domino dictum est, &c. quotiescumque his verbis actum est, &c. ad totius hominis vitam, salutemque proficit.* Hæc ibi. Ubi nota ly *sanctum* & ly *ad totius*. A conciliis vero per hoc; quod tam *Lactian.* tam *Florem.* dixerunt ea, quæ posita sunt supra, art. 5. *append.* Quibus lectis, cum ibi annotatis, & ad istud propositum decenter, ut facile est, accommodatis, subito tibi inde in promptu apparebit, quod quæritur. jacto namque fundamento communi, quod scilicet species sacramentales recipiant per conversionis miraculum, vim substantiæ: ex familiaris consuetudine fit mox perspicuum, quod eodem mi-

raculo virtutem, quæ substantiæ convenit, puta, ut sistamus in proposito, nutriendi, a Deo simul recipiunt. Tunc ultra. Fundamentum illud concilia ipsa indubitanter, ut patet legenti, & intelligenti, verum esse definiunt: ergo & hæc, quam nunc diximus, necessariam consequentiam virtualiter doceant. *Secundo vides: quomodo &c.*

A R T I C U L U S VII. 397

Utrum species Sacramentales frangantur in hoc Sacramento.

IV. dist. x. art. 1. ad 1. & dist. XII. quest. 1. art. 3. quest. 1. & 2. & IV. cens. cap. LXVII. & op. II. cap. VIII. & I. Cor. XI. lcc. 5.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod species sacramentales non frangantur in hoc sacramento. Dicit enim Philosophus IV. Meteor. (summa III. cap. 11. ante med.) quod corporea dicuntur frangibilia: propter determinatam dispositionem partium: quod non potest attribui sacramentalibus speciebus. Ergo sacramentales species non possunt frangi.

2. Præterea. Fractionem sequitur sonus. Sed species sacramentales non sunt sonabiles: dicit enim Philosophus II. de Anima (text. 77.) quod *sonabile est corpus durum, habens superficiem lenem.* (1) Ergo species sacramentales non franguntur.

3. Præterea. Eiusdem videtur esse manducari, frangi, & masticari: Sed verum corpus Christi est quod manducatur, secundum illud Joan. VI. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem.* Ergo corpus Christi est quod frangitur, & masticatur: unde & in confessione Berengarii (2) dicitur: *Consecratio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & corde, & ore profiteor, panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem verum corpus, & sanguinem Christi esse; & in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium donibus asseri.* Non ergo fractio debet attribui sacramentalibus speciebus.

Sed contra est quod fractio fit per divisionem quanti. Sed nullum quantum ibi dividitur, nisi species sacramentales: quia neque corpus Christi, quod est incorruptibile, neque substantia panis, quæ nobis manet (*). Ergo

A x 2

spe

(1) Sive *lavem* (scribendo cum diptongo) idest politam, plenam æquabilem, ex græco *λενω* quamvis idem per *lenem* quodammodo significari potest.

(2) Ut cap. *Ego Berengarius* in decretis distinct. 2. de consecrat. videre est; ubi & expressius quam

hic, *sensualiter non solum Sacramento sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, &c.*

(*) Ita cum *miss. Alcan. Tarrac. Camer. Paris. edisi. passim, Al. additur* neque substantia vini.

species sacramentales franguntur.

Respondeo dicendum, quod apud antiquos circa hoc multiplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt, quod non erat in hoc sacramento fractio secundum rei veritatem, sed solum secundum aspectum intuentium. Sed hoc non potest stare: quia in hoc sacramento veritatis, sensus non decipitur circa ea quorum iudicium ad sensum pertinet; inter quæ est fractio, per quam ex uno fiunt multa: quæ quidem sunt sensibilia communia, ut patet in Lib. II. de Anima (tex. 64.)

Unde alii dixerunt, quod erat quidem ibi vera fractio sine subiecto existente. Sed hoc etiam sensui contradicit: apparet enim in hoc sacramento aliquid quantum, prius unum existens, postea in multa partitum, quod quidem oportet esse subiectum fractionis. Non autem potest dici, quod ipsum corpus Christi verum frangatur: (1) primo quidem quia est incorruptibile, & impassibile; secundo quia est totum sub qualibet parte, ut supra habitum est (quæst. lxxvi. art. 3.) quod quidem est contra rationem ejus quod frangitur.

Unde relinquuntur quod fractio sit, sicut in subiecto, in quantitate dimensiva panis, sicut & alia accidentia: & sicut species sacramentales sunt sacramentum corporis Christi veri; ita fractio huiusmodi specierum est sacramentum dominicæ passionis, quæ fuit in corpore Christi vero.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut in speciebus sacramentalibus remanet rarum, & densum, ut supra dictum est (art. 2. hu. quæst. ad 3.) ita etiam remanet ibi porositas, & per consequens frangibilitas.

Ad secundum dicendum, quod densitatem sequitur duritia: & ideo ex quo in speciebus

sacramentalibus remanet densitas, consequens est quod remaneat ibi dubitia, & per consequens sonabilitas.

Ad tertium dicendum, quod illud quod manducatur in propria specie, ipsum & frangitur, & masticatur in sua specie. Corpus autem Christi non manducatur in sua specie, sed in specie sacramentali. Unde & super illud Joan. vi. *Caro non prodest quicquam*, dicit Augustinus (tract. xxvii. in Joan. inter princ. & med.) „ Hoc est in „ telligendum secundum illos qui carnaliter „ intelligebant: carnem quippe sic intel- „ xerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, „ aut in macello venditur. “ Et ideo ipsum corpus Christi non frangitur, nisi secundum speciem sacramentalem. Et hoc modo intelligenda est confessio Berengarii, ut fractio, & attritio dentium referatur ad speciem sacramentalem, sub qua vere est corpus Christi. (2)

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem & ostendas, & recte intelligas, merito esse insinuatam ab ecclesia, & a sententis Properi: quod species sacramentales franguntur. Ab ecclesia quidem, dum in sequentia de festo corporis Christi cantat. *Fractio demum sacramento, &c. nulla rei fit scissura, sola signi fit fractura; qua nec status, nec natura signati minuitur.* Nota ly signi, idest speciei sacramentalis. Vide argument. contr. A libro autem sententiarum Properi per hoc, quod ibi flegitur. *Dum frangitur hostia, dum sanguis in ora fidelium funditur: quid aliud, quam Dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio, designatur?* Hæc ibi, ut recitatur in *De consecration. distin. secunda.* Prædictis addere

(1) Hoc passim in Decretis non-diffinisi occasione inculcatur, ut de consecrat. distinct. 2. cap. *Semel Christus ex Augustino in P. sol. 22.* ubi dicitur: *Semel Christus & certum habemus & spe. (seu fide) immobilis retinemus quia Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur:* Tamen ad annum Paschatis tantum celebritatem refert: *Quoties Pascha celebratur, nunquid toties Christus moritur? Sed tamen anniversaria recordatio quasi representat quod olim factum est, &c.* Ut & cap. *Iteratur ex Paschalis lib. de corpore & sanguine Domini cap. 9.* *Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Christus in carne semel passus ultra non moriatur, &c.* Item cap. *Qui manducans* ut serm. 2. de verbis Apostol.; & cap. *invitas* ut ex quodam sermone de verbis Evangelij, & iterum cap. *Qui manducatur*, ut ex sermone de verbis Domini: *Vivis manducatur, quis surrexit occisus: Nec quando manducamus, partes de*

illo facimus: Et quidem in Sacramento scis: Unusquisque accipit partem suam: Unde & ipsa gratis partes vocantur: Per partes manducatur, & manes integer totus, &c. Sed apud Bedam ut ex serm. de corpore & sanguine Domini prenotatur, in illud 1. ad Cor. 10. *Panis quem frangimus, &c.*

(2) Sic etiam intelligendum quod Lanfrancus Tractatu de Eucharistia Sacramento confessioni Berengarii supradictæ subnectit: *Caro carnis & sanguis sacramentum est sanguinis: Quorum alterum quidem dum frangitur & in salutem populi dividitur, alterum vero effusum de calice ab ore fidelium suavitatis, mors ejus in cruce & sanguinis ejus de latere emanatio figuratur.* Et aliquanto infra: *In seipso semel immolatus est Christus; offerens seipsum Patri hostiam vivam, &c.* In sacramento tamen quod in istius memoriam frequenter Ecclesia, caro Domini quoties immolatur, & dividitur, vera, &c.

derè etiam potes Concilia *Lateran.* & *Florent.* ut supra *artic. 5. 6.* ad ostendendum, quod fractionis ipsius subiectum est quantitas dimensiva panis : cum aperte ex conciliis illis constet, quantitatem ipsam habere vim substantiæ, post consecrationem. *Secundo* vides : quomodo, &c.

A R T I C U L U S VIII. 463

Utrum aliquis liquor possit vino consecrato commisceri.

IV. dist. XII. quest. 1. art. 2. quest. 6. & quol. x. art. 3.

AD octavum sic proceditur. Videtur quod vino consecrato non possit aliquis liquor misceri. Omne enim quod permiscetur alicui, recipit qualitatem ipsius. Sed nullus liquor potest recipere qualitatem sacramentalium specierum : quia accidentia illa sunt sine subiecto, ut dictum est (*art. 1. hu. quest.*). Ergo videtur quod nullus liquor possit permisceri speciebus sacramentalibus vini.

2. Præterea. Si aliquis liquor permisceatur illis speciebus, oportet quod ex his fiat aliquid unum. Sed non potest fieri aliquid unum neque ex liquore, qui est substantia, & speciebus sacramentalibus, quæ sunt accidentia, neque ex liquore, & sanguine Christi, qui ratione suæ incorruptibilitatis neque additionem recipit, neque diminutionem. Ergo nullus liquor potest admisceri vino consecrato.

3. Præterea. Si aliquis liquor admisceatur vino consecrato, videtur quod etiam ipsum efficiatur consecratum ; sicut aqua quæ admisceatur aquæ benedictæ, efficitur benedicta. Sed vinum consecratum est vere sanguis Christi. Ergo etiam liquor permixtus esset sanguis Christi : & ita aliquid fieret sanguis Christi aliter quam per consecrationem : quod est inconveniens. Non ergo vino consecrato potest aliquis liquor permisceri.

4. Præterea. Si duorum unum totaliter

corrumpatur, non erit mixtio, ut dicitur in 1. de generatione (1) Sed ad permixtionem cuiuscumque liquoris videtur corrumpi totalis species sacramentalis vini, ita quod sub ea desinat esse sanguis Christi : tum quia magnum, & parvum sunt differentiarum quantitatis, & diversificant ipsam, sicut album, & nigrum colorem : tum etiam quia liquor permixtus, cum non habeat obstaculum, videtur undique diffundi per totum ; & ita desinit ibi esse sanguis Christi, qui non est ibi simul cum alia substantia. Non ergo aliquis liquor potest permisceri vino consecrato.

Sed contra est quod ad sensum patet alium liquorem vino permisceri post consecrationem, sicut & ante. (2)

Respondeo dicendum, quod istius questionis veritas manifesta est ex præmissis. Dictum est enim supra (*art. 1. quest. ad 4. & art. 5. ad 2.*) quod species in hoc sacramento remanentes, sicut adipiscuntur virtute consecrationis modum essendi substantiæ, ita etiam consequuntur modum agendi, & patiendi ; ut scilicet agere, & pati possint quicquid ageret, vel pateretur substantia, si ibi præsens existeret. Manifestum est autem quod si esset ibi substantia vini, liquor aliquis posset ei permisceri.

Huius tamen permixtionis diversus esset effectus & secundum formam liquoris, & secundum quantitatem. Si enim permisceretur aliquis liquor in tanta quantitate, quod posset diffundi per totum vinum, totum fieret permixtum : quod autem est commixtum ex duobus, neutrum miscibile est, sed utrumque transit in quoddam tertium ex his compositum : unde sequeretur quod vinum prius existens non remaneret. Sed si liquor permixtus esset alterius speciei, puta si permisceretur aqua, solveretur species vini, & esset liquor alterius speciei. Si autem esset eiusdem speciei liquor adjunctus, puta si vinum permisceretur vino, remaneret quidem eadem species, sed non remaneret idem numero vinum : quod declarat diversitas accidentium : puta si unum vinum esset album, & aliud

(1) Non ex proprio sensu & sententia Philosophi, sed aliorum rationatione qui mixtionem nullam dari vel esse posse sic probabant ; quia *existensibus mixtis nec alteratis, non magis erunt mixta quam prius, cum similiter se habeant : altero autem horum corrupto, mixta quoque non erunt, sed alterum existat quidem, alterum non existet ut videre est ex text. 82.*

(2) Quomodo id ad sensum pateat, iam notatum est supra ; nimirum illi vino super quod verba consecrationis prolata sunt, alium permisceri liquorem ; non quod ipsa consecratio sensu deprehendatur, sed vel divina fide qua credimus quod verba Christi rite prolata effectum illum operantur, & ex morali præsumptione qua putamus quod rite profertur.

& aliud rubeum. Si vero liquor adjunctus esset tam parvæ quantitatis, quod non posset perfundi per totum, non fieret totum vinum permixtum, sed aliqua pars ejus: quæ quidem non remaneret eadem numero propter permixtionem extraneæ materiæ, remaneret tamen eadem specie, non solum si parvus liquor permixtus esset ejusdem speciei, sed etiam si esset alterius speciei: quia gutta aquæ multo vino permixta transit in speciem vini, ut dicitur in I. de generatione (1).

Manifestum est autem ex prædictis (art. 4. hu. quæst. & quæst. lxxvi. art. 6. ad 3.) quod corpus, & sanguis Christi remanent in hoc sacramento, quamdiu illæ species manent eadem numero: consecratur enim hic panis, & hoc vinum. Unde si fiat tanta permixtio liquoris cujuscumque quod pertingat ad totum vinum consecratum, & fiat permixtum, erit aliud numero, & non remanebit ibi sanguis Christi; si vero fiat tam parva alicujus liquoris adjunctio quod non possit diffundi per totum, sed usque ad aliquam partem specierum, desinet esse sanguis Christi sub illa parte vini consecrati, remanebit tamen sub alia.

Ad primum ergo dicendum, quod Innocentius III. dicit in quadam Decretali (2) quod ipsa accidentia vinum appositum videntur efficere: quia si aqua fuerit apposita, vini saporem assumit. Contingit igitur accidentia mutare subiectum, sicut & subiectum contingit accidentia permutare: cedit quippe natura miraculo, & virtus supra consuetudinem operatur. Hoc tamen non est sic intelligendum, quasi idem numero accidens quod prius fuit

in vino ante consecrationem, postmodum fiat in vino apposito; sed talis permutatio fit per actionem: nam accidentia vini remanentia retinent actionem substantiæ, secundum prædicta (in corp. art.) & ita immutando efficiunt liquorem appositum.

Ad secundum dicendum, quod liquor appositus vino consecrato nullo modo miscetur substantiæ sanguinis Christi; miscetur tamen speciebus sacramentalibus; ita tamen quod permixtione facta, corrumpuntur prædictæ species vel in toto, vel in parte, secundum modum quo supra dictum est (art. 3. hu. quæst. (3) quod ex speciebus illis potest aliquid generari: & si quidem corrumpantur in toto, nulla jam remanet quæstio, quia jam totum erit uniforme; si autem corrumpantur in parte, erit quidem una dimensio secundum continuitatem quantitatis, non tamen una secundum modum essendi, quia una pars ejus erit sine subiecto, alia erit in subiecto; sicut si aliquod corpus constituatur ex duobus metallis, erit unum corpus secundum rationem quantitatis, non tamen unum secundum speciem materiæ.

Ad tertium dicendum, quod, sicut Innocentius III. dicit in Decretali prædicta, si post consecrationem calicis aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, neque sanguini commiscetur, sed accidentibus prioris vini commixtum, corpori quod sub eis latet undique circumfunditur, non madidans circumfusum. Quod quidem intelligendum est, quando non fit tanta permixtio liquoris extranei, quod sanguis Christi definat esse sub toto: tunc enim dicitur undique circumfundi, non quia tangat sanguinem

(2) Velut ex textu 34. & 39. prius indicabatur ad marginem, sed implicite tantum, ibi, cum dicitur quod majus a minori permixto non augetur, quia definit esse quod minus est, ac dominantis cedit: Expresse autem text. 88. ubi dicuntur multa paucis & parva magnis composita non efficere mixtionem sed augmentationem dominantis quia mutatur in dominans, &c.

(3) Ut cap. Cum Martha videre est Extra de celebratione Missarum §. Quæsiisti; ubi etiam addit: Sed nec inconveniens creditur aut absurdum si aqua in corpore Christi esse credatur, cum legatur de ipsius latere processisse (Joan. 19.) An id porro de suo dicat, mox notabitur.

(3) Non ex proprio sensu, sed ex opinione quam alii a se relati is addi posse subjungit: Sic enim ibi plane: Utrum aqua cum vino in sanguinem convertatur opiniones apud Scholasticos variantur: Aliquibus videtur quod cum de latere Christi dua præcipua

fluxerint Sacramenta (redemptionis in sanguine ac regenerationis in aqua) in illis duo vinum & aqua que commiscetur in calice divina virtute mutantur, ut in hoc sacramento plene sit veritas & figura: Alij vero tenent quod aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem, cum in vinum transeat mixta vino; licet Physici contrarium asseverent, qui aquam a vino per artificium posse asserunt separari. Præterea potest dici quod aqua non transit in sanguinem sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa, ita quod vini saporum assumit: Quod inde convincitur, quia si post calicis consecrationem, &c. Unde concludit infra: Verum inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur que asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari ut expressius elucet proprietas Sacramenti: Nam cum aqua multa sint populi multi (Apocah. 17. vers. 15.) ideo vino aqua unetur, ut Christo populus adjuvetur.

nem Christi secundum ejus proprias dimensiones, sed secundum dimensiones sacramentales, sub quibus continetur. Nec est simile de aqua benedicta: quia illa benedictio nullam immutationem facit circa substantiam aquæ, sicut facit consecratio vini.

Ad quartum dicendum, quod quidam posuerunt, quod quantumcumque parva fiat extranei liquoris permixtio, substantia sanguinis Christi definit esse sub toto; & hoc ratione inducta; quæ tamen non cogit: quia magnum, & parvum diversificat quantitatem dimensionum, non quantum ad ejus essentiam sed quantum ad determinationem mensuræ. Similiter etiam liquor appositus adeo potest esse parvus quod sua parvitate impeditur ne diffundatur per totum, (*), & non solum dimensionibus; quæ licet sint sine subjecto, tamen obstant alteri liquori, sicut & substantia, si ibi adesset, secundum ea quæ præmissa sunt.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a Papa, & conciliis: quod liquor potest admisceri vino consecrato, & quod tunc sub specie remanente eadem numero remaneat sanguis Christi, alias non. A Papa quidem Innocent. III. Si post calicis consecrationem aliud vinum mistatur in calicem, &c. Si aqua fuerit apposita, &c. Hæc ille: ut recitatur, extra de celebr. missar. capit. cum Marthe. Ex quibus utique patet, quod secundum Patrum judicium diversi liquores possunt admisceri vino consecrato. Possunt, inquam; de facto: non autem licite. Sacrilegium enim grande est, aliquid etiam parvi liquoris commiscere, seu infundere vino consecrato: & adeo patentissimum est hoc, ut nulla indigeat probatione. A Conciliis autem Lateranensibus, & Florent. per hoc, quod (ut patet sup. q. 76. ar. 6. appen.) affirmant, Christum tamdiu sub hoc sacramento remanere, quamdiu species sacramentales (scilicet eadem numero) durant. Ex tali siquidem conciliorum placito, si ad materiam præsentem applicetur, constat, mentem ipsorum fuisse, quod liquoris extranei admixtione data, sanguis Christi tantum sub specie vini remanente eadem numero remanet; non autem aliter. Si ergo per admixtionem totaliter cor-

rumpantur priores species, ita, quod non sint eadem numero, quæ prius erant; tunc ibi sub nulla parte vini remanet sanguis Christi: si autem partim solum corrumpantur; ita, quod alia tantummodo pars speciei remaneat eadem numero, quæ prius erat: tunc sub illa specie perseverabit sanguis Christi. Hæc omnia ex conciliis tam de necessitate implicita dependent, ut, si tu revideras illa superius, & ad hunc locum (ut decet) inflectas, mireris, & quod quæsitum hoc, & quod alia multa (de quibus supra in articulo appendicibus vidimus) tam brevi sermone suo, vel formaliter, vel virtualiter, determinaverint. Secundo vides: quomodo &c.

QUÆSTIO LXXVIII.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

In sex articulos divisa.

DEinde considerandum est de forma hujus sacramenti: & circa hoc quærentur sex.

Primo, quæ sit forma hujus sacramenti.

Secundo, utrum sit conveniens forma consecrationis panis.

Tertio, utrum sit conveniens forma consecrationis sanguinis.

Quarto de virtute utriusque formæ.

Quinto de veritate locutionis.

Sexto de comparatione unius formæ ad aliam.

A R T I C U L U S I. 464

Utrum hæc sit forma hujus Sacramenti:

Hoc est corpus meum, & Hic est calix sanguinis mei.

IV. dist. VIII. quæst. II. art. 2. & 3.

AD primum sic proceditur. Videtur quod hæc non sit forma hujus Sacramenti. Hoc est corpus meum, & Hic est calix sanguinis mei. Illa enim verba videntur pertinere ad formam hujus sacramenti, quibus Christus corpus suum, & sanguinem consecravit. Sed Christus ante benedixit panem acceptum, & postea dixit Accipite, & comedite, hoc est corpus meum, ut habetur Matth. xxvi. 26. & simi-

(*) Al. & non solum dimensionibus.

similiter fecit de calice . Ergo prædicta verba non sunt forma hujus sacramenti .

2. Præterea . Eusebius Emiffenus dicit (hom. v. de Paicha , quæ incipit , *Magnitudo celestis* . a princ. (1) quod *invisibilis sacerdos visibiles creaturas in suum corpus convertit , dicens : Accipite , & comedite : hoc est corpus meum* . Ergo totum hoc videtur pertinere ad formam hujus sacramenti : & eadem ratio est de verbis pertinentibus ad sanguinem .

3. Præterea . In forma baptismi exprimitur persona ministri , & actus ejus , cum dicitur : *Ego te baptizo* . Sed in præmissis verbis nulla fit mentio de persona ministri neque de actu ejus . Ergo non est conveniens forma sacramenti .

4. Præterea . Forma sacramenti sufficit ad perfectionem sacramenti : unde sacramentum baptismi quandoque perfici potest solis verbis formæ prolatis , omnibus aliis prætermisissis . Si ergo prædicta verba sunt forma hujus sacramenti , videtur quod aliquando possit hoc sacramentum perfici his solis verbis prolatis , & omnibus aliis prætermisissis , quæ in Missa dicuntur ; quod tamen videtur esse falsum : quia ubi verba alia præmitterentur , prædicta verba acciperentur ex persona sacerdotis proferentis , in cujus corpus , & sanguinem panis , & vinum non convertuntur . Non ergo prædicta verba sunt forma hujus sacramenti .

Sed contra est quod Ambrosius dicit in Lib. de sacramentis (cap. iv. a princ.) *Consecratio fit verbis , & sermonibus Domini Jesu : nam per reliqua omnia que dicuntur , laus Deo deferretur , oratio præmittitur* (2) *pro populo , pro Regibus , pro ceteris ; ubi autem venit ut consecratur venerabile sacramentum , jam non suis sermonibus sacerdos utitur , sed utitur sermonibus Christi . Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum .*

Respondeo dicendum , quod hoc sacramen-

tum ab aliis sacramentis differt in duobus . Primo quidem quantum ad hoc quod hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ , alia vera sacramenta perficiuntur in usu materiæ consecratæ . Secundo quia in aliis sacramentis consecratio materiæ consistit solum in quadam benedictione , ex qua materia consecrata accipit instrumentaliter quamdam spiritualem virtutem , quæ per ministrum , qui est instrumentum animatum , potest ad instrumenta inanimata procedere ; sed in hoc sacramento consecratio materiæ consistit in quadam miraculosa conversione substantiæ , quæ a solo Deo perfici potest : unde minime in hoc sacramento perficiendo non habet alium actum nisi prolationem verborum .

Et quia forma debet esse conveniens rei , ideo forma hujus sacramenti differt a formis aliorum sacramentorum in duobus . Primo quidem quia formæ aliorum sacramentorum important usum materiæ , puta baptismationem , vel consecrationem : sed forma hujus sacramenti importat solam consecrationem materiæ , quæ in transubstantiatione consistit : puta cum dicitur : *Hoc est corpus meum , vel Hic est calix sanguinis mei* . Secundo quia formæ aliorum sacramentorum proferuntur ex persona ministri , sive per modum exercentis actum ; sicut cum dicitur , *Ego te baptizo , vel Ego te confirmo* &c. sive per modum imperantis , sicut cum in sacramento ordinis dicitur : *Accipe potestatem* &c. sive per modum deprecantis , sicut cum in sacramento extremæ unctionis dicitur : *Per istam unctionem , & nostram intercessionem* &c. Sed forma hujus sacramenti profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis ; ut deus intelligi quod minister in perfectione hujus sacramenti nihil agit , nisi quod profert verba Christi .

Ad primum ergo dicendum , quod circa hoc est multiplex opinio . Quidam enim dixerunt , quod Christus , qui habebat potestatem

(1) Sicut ejus nomine in Decretis refertur distincte . 2. de consecrat. cap. *Quia corpus assumptum* , ubi etiam de calice subiungit : *Et sanctificatione repetita dicens : Accipite & bibite , Hic est sanguis meus* : At Eucherij esse jam notatum est supra .

(2) Non sicut prius in manuscriptis ipsis & impressis passim Summæ , oratione petitur , &c. Intelligitur autem oratio quæ præmittitur initio Canonis Missæ , cum sic Sacerdos dicit : *Supplices rogamus ac petimus uti accepta habeas hæc sancta sacrificia illibata , que tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica , una cum famulo tuo Papa nostro & Antistite nostro & Rege nostro , & omnibus orthodoxis*

atque Catholica fidei cultoribus : Tum deinde , *Memento Domine famulorum famularumque tuarum* . &c. Ad eandem orationem Augustinus alludit ep. 57. quest. 5. cum Apostoli locum ex 1. ad Timoth. 2. ex professo explicans ubi obsecrationes , orationes , postulationes pro omnibus hominibus fieri monet , *præcaciones pro obsecrationibus legit & eas accipi vult quas facimus in celebratione sacramentorum , antequam illud quod est in Domini mensa , incipias benedici* . Ex quibus patet quam sit antiquus Canon Missæ ac Ambrosio antiquior quem parum caute quidam posterius editum putant , ut & infra recurres annotandum .

tem excellentiæ in sacramentis, absque omni forma verborum hoc sacramentum perfecit, & postea verba protulit, sub quibus alii postmodum consecrarent. Quod videntur sonare verba Innocentii III. dicentis (1) *Sane dici potest quod Christus virtute divina confecit, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent.*

Sed contra hoc expresse sunt verba Evangelii, in quibus dicitur, quod Christus benedixit: quæ quidem benedictio aliquibus verbis facta est. Unde prædicta verba Innocentii sunt opinative magis dicta quam determinative.

Quidam autem dixerunt, quod benedictio illa facta est quibusdam aliis verbis nobis ignotis.

Sed nec hoc stare potest: quia benedictio consecrationis nunc perficitur per recitationem eorum quæ tunc acta sunt: unde si tunc per hæc verba non est facta consecratio, nec modo fieret.

Et ideo alii dixerunt, quod illa benedictio eisdem etiam verbis facta est quibus modo fit; sed Christus ea bis protulit, primo quidem secreta ad consecrandum, secundo manifeste ad instruendum.

Sed nec hoc stare potest: quia sacerdos consecrat, proferens hæc verba, non ut a Christo in occulta benedictione dicta, sed ut publice prolata. Unde cum non habeant vim hujusmodi verba, nisi ex Christi prolatione, videtur quod etiam Christus manifeste ea proferens consecraverit.

Et ideo alii dixerunt, quod Evangelistæ non semper eundem ordinem in recitando servaverunt, quo res sunt gestæ, ut patet per Augustinum in Lib. II. de consensu Evang. (cap. xxx. xxxi. & xlv.) Unde intelligendum est, ordinem rei gestæ sic exprimi posse: *Accipiens panem benedixit, dicens: Hoc est Summ. S. Th. Tom. XII.*

corpus meum: & deinde fregit, & dedit discipulis suis.

Sed idem sensus haberi potest etiam verbis Evangelii non mutatis. Nam hoc participium *dicens* concomitantiam quamdam importat verborum prolatorum ad ea quæ præcedunt. Non autem oportet quod hæc concomitantia intelligatur solum respectu ultimi verbi prolati, quasi Christus tunc ista verba protulerit, quando dedit discipulis suis; sed potest intelligi concomitantia respectu totius præcedentis; ut sit sensus. Dum benediceret, frangeret, & daret discipulis suis, hæc verba dixit. *Accipite &c.*

Ad secundum dicendum, quod in his verbis, *Accipite, & comedite*, intelligitur usus materiæ consecratæ, qui non est de necessitate hujus sacramenti, ut supra habitum est (quæst. lxxiv. art. 7.) Et ideo nec hæc verba sunt de substantia formæ. (2) Quia tamen ad quamdam perfectionem sacramenti pertinet materiæ consecratæ usus, sicut operatio non est prima, sed secunda perfectio rei; ideo per omnia ista verba exprimitur tota perfectio hujus sacramenti, & hoc modo Eusebius intellexit, his verbis confici sacramentum quantum ad primam, & secundum perfectionem ipsius.

Ad tertium dicendum, quod in sacramento baptismi minister aliquem actum exercet circa usum materiæ, qui est de essentia sacramenti; quod non est in hoc sacramento: & ideo non est similis ratio.

Ad quartum dicendum, quod quidam dixerunt, hoc sacramentum perfici non posse prædictis verbis prolatis, & aliis prætermisissis: præcipue quæ sunt in canone Missæ.

Sed hoc patet esse falsum, tum ex verbis Ambrosii supra inductis (in arg. *Sed cont.*) tum etiam quia canon Missæ non est idem

B b apud

(1) Ut videre est lib. 4. de mysterijs Missæ cap. 6. prope finem, ubi dixisse quosdam ait quod Christus confecit cum benedixit, hoc ordine litterarum confuentes: *Accipit panem, benedixit, subaudiendum est, dicens: Hoc est corpus meum: Et tunc fregit & dedit & ait, accipite & comedite, & iteravit, Hoc est corpus meum: Prius ergo protulit illa verba ut eis vim conficiendi tribueret; deinde protulit eadem ut Apostolos formam conficiendi doceret: Ac postremo ex aliorum sensu quod & sacramentum confecit & formam instituit post benedictionem, cum dicit, Hoc est corpus meum. intelligens illam benedictionem fuisse vel aliquod signum quod super panem impressit, vel aliquod verbum quod super panem expressit: Quibus illud videtur obfistere quod*

prius frerit quam dixerit. Hoc est corpus meum: Nec etiam est credibile quod prius dederit quam confecerit. Et subnectit immediate: Sane dici potest quod, &c.

(2) Et quidem illa verba: *Qui pridie quam pateretur*, Micrologus (lib. de ecclesiasticis observationibus cap. 12. tomo 10. Bibliothecæ Patrum) ab Alexandro I. adjecta putat: *Multa Canonica a sanctis Patribus inserta legimus (inquit) sicut a S. Alexandro Papa ipsius Dominice Passionis commemoratio, &c.* Quamvis e contrario Alcuinus lib. de divinis officiis cap. de celebratione Missæ ab Apostolis post ascensionem Christi usurpata fuisse illa scribit: Sed non proinde consequitur, quod essentialia sint, &c.

apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diversa sunt a diversis apposita.

Unde dicendum est, quod si sacerdos sola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeretur hoc sacramentum; quia intentio faceret ut hæc verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata, etiam si verbis præcedentibus hoc non recitaretur; graviter tamen peccaret sacerdos sic conficiens hoc sacramentum, utpote ritum Ecclesiæ non servans. Nec est simile de baptismo, quod est sacramentum necessitatis: defectum autem hujus sacramenti potest supplere spiritualis manducatio, sicut Augustinus dicit (tract. xxvi. in Ioan.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses *Lutheri* dicentis; Nullam esse præcisam formam consecrationis Eucharistiæ. Et aliorum quorundam dicentium: quod Christus in cœna illa suprema non conficit sacramentum hac forma, scilicet: *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei.* Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hæreses has merito damnari a Conc. *Flor.* Forma hujus sacramenti sunt verba salvatoris; quibus hoc conficit sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur. Hæc illud in decreto Armenis dato, seu in constitutione Concil. *Flor.* super union. Armen. Nota ly sunt verba Salvatoris, contra *Lutherum*; item ly quibus hoc conficit sacramentum, contra alios prædictos; item ly sacerdos enim in persona Christi, &c. ut ostendas (si quis contenderet) quod non aliis, quam ipsissimis verbis a Christo prolatis, sacerdos nunc conficit Eucharistiæ sacramentum. Hanc siquidem intelligentiam apporstat ly enim, quod tanquam rationem dictorum reddens, connectit illas duas sententias. Nota idem quoque ly ipsorum virtute verborum, &c. Ut hinc pateat (contra *Valdenses*, ut ait *Guido Carmelita cap. 9. de her.* dicentes, conficiendum esse Eucharistiæ sacramentum sub hac forma, scilicet dicendo septies Pater noster, & benedicendo panem, & vinum) quod ex vi istorum verborum, non autem aliorum, conficitur vere hoc sacramentum. Ex ly ipsorum verborum virtute, patet etiam, quod non virtute benedictionis conficitur: sed nec virtute illorum, scilicet *accipite, & comedite*, aut

illorum, scilicet: *Hoc facite in meam commemorationem*, vel, si qua sunt similia. Item confirmantur hæc omnia, & consequenter prædictarum hæresum damnatio, a Concil. *Trid.* sess. 13. c. 3. „ Nondum Eucharistiæ de „ manu Domini Apostoli susceperant; cum „ vere tamen ipse affirmaret, corpus suum „ esse, quod præbebat. Semper hæc fides in „ Ecclesiâ Dei fuit, statim post consecratio- „ nem verum Christi corpus sub specie pa- „ nis, verumque ejus sanguinem sub specie „ vini, existere ex vi verborum. „ Hæc ibi. Quæquidem secundum texturam planam litteræ patefaciunt. & quod Christus his verbis: *Hoc est corpus meum*, usus est ante, quam discipulis Eucharistiæ præberet; & quod illa verba sunt verba consecrationis, ex quorum vi corpus Christi sub specie panis, sanguisque sub specie vini existit. Cum igitur nulla alia verba, nisi: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus* (quod idem est cum *ly hic est calix sanguinis mei*) significant, sub specie panis existere corpus Christi, & sub specie vini sanguinem; sequitur manifeste, quod nulla alia verba, nisi prædicta, habent ex vi suæ significationis, quod efficiant illud, scilicet, quod sub speciebus panis, ac vini existat corpus, & sanguis Christi: ex quo ulterius manifeste relucet intentum, scilicet, quod secundum concilium ipsum ex omnibus verbis præmissis sola illa, *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei*; sunt consecrationis. Tam clara sunt ista ex litterarum ipsius concilii textu, ut nihil omnino in horum claritatis majoris gratiam dicere nos oporteat. Item a Papa *Innocent. III.* Extra de celebrat. missar. cap. *Cum Marthe.* „ Quæsiisti: quis formæ, quam Christus „ ipse expressit, cum in corpus, & sanguinem suum panem transsubstantiavit, & vinum, illud in canone Missæ adjecerit. „ Cum enim in Evangelio sic legatur: *Accipiens calicem, gratias agens benedixit, & dedit discipulis suis dicens: Bibite ex hoc omnes; Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum: in canone missæ fermo iste, videlicet, mysterium fidei, interpositum invenitur.* „ Hæc ibi. Ubi patet: quod forma, quam Christus in consecratione vini expresse protulit, est: *Hic est sanguis meus: & panis* (ut a simili subintelligamus) *Hoc est corpus meum.* Ubi & vigilantissime nota: quod Summus iste Pontifex altissimum hujus decreti sui de sacramenti formis posuit fundamentum, scilicet

licet, Evangelium expressum : quod nullus , nisi infidelis negare potest. Cæterum lylus *novi testamenti*, &c. videbitur suo loco scilicet *art. 3.* Reliquitur ergo ex præmissis omnibus indubie secundum doctrinam Ecclesiæ catholicæ tenendum esse de fide, quod Christus hac forma verborum *Hoc est corpus meum Hic est sanguis meus, Vel calix sanguinis mei*, confecit Eucharistiæ sacramentum : & quod contrarium est hæresis aperte damnata tum ex Evangelio, tum ex decretis & papæ *Innocentii*, & concilio- rum . Nec obstat (ut quibusdam videri forsitan posset) quod ecclesia de his formis determinans, ut supra, non posuit contrarium sub anathemate, exprimendo (ut sæpe in hujusmodi solet) *ly si quis negaveris hoc, vel ly si quis dixerit hujus contrarium, anathema sit*; hoc, inquam, non obstat : tum, quia non semper hoc de anathemate expressum servat ecclesia, quamvis doceat ea, quæ sunt fidei (ut patet multoties, speciatim vero in literis sanctæ unionis, quæ ponuntur in fine Concilii *Florentini* ubi plurima de fide determinantur : & tamén numquam exprimitur anathema de contrario) tum, quia sufficit sic, vel sic, decreta in ad fidem pertinentibus proponere, definire; & multo magis, quando pro majori declaratione, etiam apud minus eruditos, inhibitor expresse contrarium etiam sine explicatione anathematis, licet semper intelligatur. Porro hoc ipsum in proposito nostro contingit. Nam Concilium *Trid.* sess. 13. in decreto ante capitulum primum dixerat. „ Sacrosancta synodus sanam, & „ synceram illam de venerabili hoc, & di- „ vino Eucharistiæ sacramento doctrinam tra- „ dens, quam semper catholica Ecclesia ab „ ipso Christo, & ejus Apostolis erudita, at- „ que a spiritu sancto illi omnem veritatem „ in dies suggerente edocta, retinuit, & ad „ finem usque sæculi conservabit, omnibus „ Christi fidelibus interdicit : ne posthac de „ sanctissima Eucharistia aliter credere, do- „ cere, aut prædicare audeant; quam, ut „ est præsentis decreto explicatum, atque de- „ finitum. *Hæc ibi. Sed & Eugenius IV. in „ concilio Florentino, super unione Armeno- „ rum sic præmiserat. Multis itaque adhibi- „ tis disputationibus, collationibus, & tracta- „ tibus, postquam non mediocrem testimo- „ niorum inspectionem, quæ ex sanctis Ec- „ clesiæ patribus, & doctoribus deducta sunt, „ & earum, de quibus agebatur, rerum dis- „ cussionem; tandem expedire judicavimus, „ ne ulla in futurum de fidei veritate apud „ ipsos Armenos hæsitatio esse valeat, atque*

„ idem per omnia sapiant cum sede Aposto- „ lica, unioque ipsa stabilis, ac perpetua si- „ ne ullo scrupulo, perseveret : ut sub quo- „ dam brevi compendio orthodoxæ fidei ve- „ ritatem, quam super præmissis Romana „ profiretur Ecclesia, per hoc decretum (sa- „ cro hoc approbante Florentin. Concilio) „ ipsis oratoribus ad hoc etiam consentienti- „ bus, traderemus. (*Et post multa.*) Quin- „ to ecclesiasticorum sacramentorum verita- „ tem, pro ipsorum Armenorum tam præ- „ sentium, quam futurorum, faciliiori doctri- „ na, sub hac brevissima redigimus formula. „ Novæ legis septem sunt sacramenta, „ &c. *Hæc ibi. Sed & quod Innoc. III. in illa de- „ cretali, de fide esse, quæ tunc determinat ; „ nullus ambigit : qui eum in fine illius primi „ quæsitum loquentem audierit, & dicentem. Cre- „ dimus igitur : quod formam verborum, sicut in „ canone reperitur, & a Christo Apostoli, & ab „ ipsis eorum acceperunt successores. Hæc ibi. Ex „ quibus, & singulis conciliorum præmissis „ patet intentum : scilicet, quod & ibi desi- „ niunt de fide, quæ dicere intendunt, & quod „ subintelligunt consequenter de necessitate „ anathema in eos omnes, qui contrarium dixe- „ rint. Tertio vides quomodo &c.*

A R T I C U L U S II. 465

Utrum hæc sit conveniens forma consecra- tionis panis : Hoc est corpus meum .

Sup. quest. lx. art. 8. cor. & quest. lxxv. art. 2. cor. & inf. quest. lxxxiii. art. 4. ad 1. & quest. lxxxiv. art. 3. cor. & IV. dist. viii. quest. 2. art. 1. quest. 1. & 2. & art. 4. quest. 3. & I. Corinth. xi. lect. 5.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod hæc non sit conveniens forma consecrationis panis : *Hoc est corpus meum*. Per formam enim sacramenti debet exprimi sacramenti effectus. Sed effectus qui sit in consecratione panis, est conversio substantiæ panis in corpus Christi, quæ magis exprimitur per hoc verbum *hic*, quam per hoc verbum *est*. Ergo in forma consecrationis deberet dici : *Hoc sit corpus meum*.

2. Præterea. Ambrosius dicit in Lib. IV. de sacramentis (cap. iv. a princ.) *Sermo Christi hoc conficit sacramentum : quis sermo Christi? hic, quo facta sunt omnia : Iussit Dominus, & facta sunt celi, & terra. Ergo*

& forma hujus sacramenti convenientior esset per verbum imperativum, ut diceretur: *Hoc sit corpus meum*.

3. Præterea. Per subjectum hujus locutionis importatur illud quod convertitur, sicut per prædicatum importatur conversionis terminus. Sed sicut est determinatum id in quod fit conversio, non enim fit conversio nisi in corpus Christi; ita est determinatum id quod convertitur, non enim convertitur in corpus Christi nisi panis. Ergo sicut ex parte prædicati ponitur nomen, ita ex parte subjecti debet poni nomen, ut dicatur: *Hic panis est corpus meum*.

4. Præterea. Sicut id in quod terminatur conversio, est determinatæ naturæ (quia est corpus,) ita etiam est determinatæ personæ. Ergo sicut ad determinandum naturam dicitur *corpus*, ita ad determinandam personam deberet dici *Hoc est corpus Christi*.

5. Præterea. In verbis formæ non debet poni aliquod quod non sit de substantia ejus. Inconvenienter etgo additur in quibusdam libris hæc conjunctio *enim*, quæ non est de substantia formæ.

Sed contra est quod Dominus hac forma in consecrando est usus, ut patet Matth. xxvi. (1)

Respondeo dicendum, quod hæc est convenientis forma consecrationis panis.

Dictum est enim (art. præc.) quod hæc consecratio consistit in conversione substantiæ panis in corpus Christi. Oportet autem formam sacramenti significare id quod in sacramento efficitur. Unde & forma consecrationis panis debet significare ipsam conversionem panis in corpus Christi; in qua tria considerantur, scilicet ipsa conversio, & terminus *a quo*, & terminus *ad quem*. Conversio autem potest considerari dupliciter, uno modo ut in

fieri, alio modo ut in facto esse. Non autem debuit significari conversio in hac forma ut in fieri, sed ut in facto esse. Primo quidem quia hæc conversio non est successiva, ut supra dictum est (quæst. lxxv. art. 5.) sed instantanea: in hujusmodi autem mutationibus fieri non est nisi factum esse. Secundo quia ita se habent formæ sacramentales ad significandum effectum sacramenti, sicut se habent formæ artificiales ad representandum effectum artis. Forma autem artificialis est similitudo ultimi effectus, in quem fertur intentio artificis; sicut forma artis in mente ædificatoris est forma domus ædificatæ principaliter, ædificationis autem per consequens. Unde & in hac forma debet exprimi conversio ut in facto esse, ad quod fertur intentio. Et quia ipsa conversio exprimitur in hac forma ut in facto esse, necesse est quod extrema conversionis significetur, ut se habent in facto esse conversionis. Tunc autem terminus *ad quem* habet propriam naturam suæ substantiæ; sed terminus *a quo* non manet secundum suam substantiam, sed solum secundum accidentia, quibus sensui subjacet, & ad sensum determinari potest. Unde convenienter terminus conversionis *a quo* exprimitur per pronomen demonstrativum relatum ad accidentia sensibilia, quæ manent; terminus autem *ad quem* exprimitur per nomen significans naturam ejus in quod fit conversio; quod quidem est torum corpus Christi, & non sola caro ejus, ut dictum est (quæst. lxxvi. art. 1. ad 2. & art. 2.) Unde hæc forma est convenientissima: *Hoc est corpus meum*.

Ad primum ergo dicendum, quod fieri non est ultimus effectus hujus consecrationis, sed factum esse, ut dictum est (in corp. art.) & ideo hoc potius exprimi debet in forma.

Ad

(1) De illis tantum verbis, *Hoc est corpus meum*, vers. 16 quæ similiter Marc. 14. vers. 22. exprimitur; tamen Luc. 22. vers. 19. subjungitur etiam, *quod pro vobis datur*: sicut & 1. ad Corinth. 11. vers. 24. *quod pro vobis traditur*, Græce autem *κλάσσω*, id est, *quod pro vobis frangitur*: Nisi forte *δίδωμι* sibi legere visus est qui reddidit latine apud Apostolum *traditur*: quod Lucas in præsentem posuit *δίδωμι*, seu *datur*. In Liturgia porro S. Jacobi, *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur & datur* (*κλάσσω & δίδωμι*) in remissionem peccatorum: In Liturgia S. Marci, *quod pro vobis frangitur & distribuitur* (*διδώμι*) &c. In Liturgia S. Basilii & Chrysoctomi *quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum*: In Liturgia S.

Petri, *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur*, nec amplius; In Liturgia quoque S. Gregorii sic tantum, *Hic est corpus meum*: Sed in Sacramento, *Hoc est enim*; Et vero non dubium quin verba illa, *Hoc est corpus meum*, de quibus omnes uniformiter conveniunt, ad essentiam consecrationis pertineant, sicut hic explicatur. Hinc de proditione judæ Chrysoctomus non multum ante finem: *Stat Sacerdos figuram implens* (inquit) *& hæc verba præferens, Hoc est corpus meum, sed virtus Dei est & gratia qua operatur: Hoc verbum proposita transformat* (*μεταρρῶσται*) Ut & Gregorius Nyssenus orat. catechetica magna cap. 37. versus finem, *Statim per verbum panis transmutatur in corpus Verbi sicut dictum est a Verbo, Hoc est corpus meum, &c.*

Ad secundum dicendum, quod sermo Dei operatus est in creatione rerum, qui etiam operatur in hac consecratione; aliter tamen, & aliter. Nam hic operatur effective, & sacramentaliter, idest secundum vim significationis: & ideo oportet in hoc sermone significari ultimum effectum consecrationis per verbum substantivum indicativi modi, & presentis temporis. Sed in creatione rerum operatus est solum effective; quæ quidem efficientia est per imperium suæ sapientię: & ideo in creatione rerum exprimitur sermo divinus per verbum imperativi modi, secundum illud Gen. 1. 3. *Fiat lux, & facta est lux.*

Ad tertium dicendum, quod terminus a quo in ipso facto esse conversionis non retinet naturam suæ substantię, sicut terminus ad quem. Et ideo non est simile.

Ad quartum dicendum, quod per hoc nomen *meum*, quod includit demonstrationem primæ personæ, quæ est persona loquentis, insufficienter exprimitur persona Christi, ex cuius persona hæc proferuntur, ut dictum est (art. præc.)

Ad quintum dicendum, quod hæc conjunctio enim apponitur in hac forma secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, a B. Petro Apostolo derivatam (1) & hoc propter continuationem verba præcedentia: & ideo non est de forma, sicut nec verba præcedentia formam.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim *Erasmii Roterodami* (in primam ad Corinth. cap. 11. ut refert Joseph Angles ord. minor.) dicentis: quod: *Hoc est corpus meum*, significat solum presentiam corporis Christi, non panis conversionem. Et suspectam propositionem ejusdem (in primam ad Corinthios, in principio paraph. ut refert idem Joseph) dicentis; *Utinam Paulus explicuisset, quibus verbis esset consecrandum*. Ac si dixerit aperte *Erasmus*: quod Apostolus non explicavit, quibus verbis sit consecrandum. Volens forsan, hoc gladio mellito suæ fictæ querimonię asserere,

quod nos ex litteris sacris nescimus adhuc, quibus verbis sit consecrandum. Quod est hæresis manifesta. Et hæreticas expositiones *Joannis a Lasco*, a quo *Alascani*, dicentis: *Hoc est corpus meum*, idest hoc, non quod fuit panis, sed tota hæc actio cœnæ, est corpus meum. Item alias undecim ejusdem extorsiones, quibus detorquet verba cœnæ Domini; quas (ut plenius de hoc instruaris) vide in *Erasmii Alberi* libro secundo contra *Carolostadium*. Et hæreticalem imposturam, quam confingit *Gaspar Suencfeldius* (ut refert *Gabriel Prateolus*, titul. *Suencfeldiani*) dicens: *Hoc est corpus meum*, idest ex prædicato fit subiectum, ut fit sensus, corpus meum est hoc, sc. panis, vel cibus. Et hæreticam stropham *Carolostadii* (ut refert idem *Prateolus*, in *Antilusberani*) dicentis: *Hoc est corpus meum*, idest, hoc, quod hic affidet mensæ, est corpus meum; Vel hoc est, idest significat. Secundo vides: quomodo per rationem ostendas, illas omnes merito damnari a *Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. & 1. Corinth. 11. Hoc est corpus meum*. Item a Concilio *Triden. sess. 13. capit. 1.* sic exponente, ideoque prædicta hæreticalia damnan- te, in hæc verba. „ Majores nostri om- „ nes, quotquot in vera Christi Ecclesia fue- „ runt, qui de sanctissimo sacramento disse- „ ruerunt, apertissime professi sunt: hoc tam „ admirabile sacramentum in ultima cœna „ Redemptorem nostrum instituisse, cum post „ panis, vinique benedictionem se suum ip- „ sius corpus illis præbere, ac suum sangui- „ nem disertis, ac perspicuis verbis testatus „ est. Quæ verba a sanctis Evangelistis com- „ memorata, a Divo Paulo postea repetita „ cum propriam illam, & apertissimam si- „ gnificationem præferant, secundum quam „ a Patribus intellecta sunt: indignissimum „ sane flagitium est, ea a quibusdam con- „ tentiosis, & pravis hominibus ad fictios, „ & imaginarios tropos, quibus veritas carnis „ & sanguinis Christi negatur, contra uni- „ versum Ecclesiæ sensum detorqueri: quæ „ tanquam columna, & firmamentum veritatis „ hæc ab impiis hominibus excogitata com- „ menta, velut satanica, detestata est, gra- „ to semper, & memore animo præstantissi- „ mum

(1) Nec tamen apponitur in Liturgia S. Petri, ut nec S. Jacobi, Basilii & Gregorii ut sup. tom 13. Bibliothecæ Patrum: Nisi quod ad calicis consecrationem in hac ultima exprimitur, ut & *Matth. 26. ver. 26.* In Liturgia vero S. Marci utrinque adhi-

betur tum in consecratione corporis tum sanguinis: Tameñ neutrobique a Christo dictum referatur *Marc. 14. vers. 22. & 24.* ut nec *1. ad Corinth. 11. vers. 24. & 25.*

„mum hoc Christi beneficium agnoscens . „
 Hæc ibi . Item a Concilio *Florentino* quod tanquam exponens scripturas , & specialiter Apostolum Paulum , ait . „ Verum , quia in „supra scripto decreto Armenorum non est „explicata forma verborum , quibus in consecratione corporis , & sanguinis Domini sacrosancta Romana Ecclesia , Apostolorum Petri , & Pauli doctrina , & auctoritate firmata semper uti consueverat , illam præsentibus ediximus inferendam . In consecratione Corporis Domini hac utitur forma verborum . Hoc est enim corpus meum . Sanguinis vero . Hic est enim calix sanguinis mei , novi , & æterni testamenti , mysterium fidei , qui pro vobis , & pro multis effundetur in remissionem peccatorum . (*Et infra*) Datum Florentinæ in publica sessione synodali solemniter in Ecclesia domus S. Mariæ Novellæ celebrata „ 1441. prid. nonas Februarii . „ Hæc ibi . Quæ ideo in ultimis annotata sunt hic , ut scias quærendo hanc additionem factam decreto Armenorum invenire authentice , inter constitutiones multas Concilii *Florentini* super diversorum uniones . Verba præmissa hujus Concilii *Florent.* conferas cum ejusdem verbis de forma sacramenti supra recitatis , *art. 1. appen.* Ex ex utrorumque insimul constructione conjicies in particulari , quid sit dicendum de Christo , an sc. his duabus formis (*Taceo ly enim*) totidem verbis expressis usus sit in consecratione . Pro qua re & faciet considerare simul verba ultimo in eadem append. ex decretali Papæ *Innocentii* adducta , sc. *Credimus igitur* , &c. Et considerare *art. 3. respon. ad nonum argumentum* ; & etiam ejus appen. Ex præmissis itaque Conciliorum dictis patet ; quid respondendum sit *Erasmio Roterodamo* conquerenti per *ly utinam Paulus* , &c. Quod scilicet , quia visus est in tali anxia querela imitari Judæos olim post tam aperta de Christo testimonia dicentes : *Quousque animam nostram tollis ? Si tu es Christus , dic nobis palam* ideo nil aliud , nisi consimile illis responsum cum suis audire meretur . Loquor vobis in Evangelio , in Apostolo , in tot , qui fuerunt de mea Ecclesia etiam ab initio , Patribus , in for-

mis , quibus utitur Ecclesia Romana verbo meo (*Tu es Petrus* , &c.) aperte fundata ; & non creditis . Ex supradictis etiam omnibus , atque citatis , patere potest , quod illa ejusdem *Erasmi* propositio , sc. *Nusquam legitur expresse* , quibus verbis Christus consecraveris (quam pro suspecta , & scandalosa adducit *Jacobus Lop. Ziuniga* post suum itinerarium) ignorantiam ipsius *Erasmi* in Theologicis veraciter infert . Sed , quid mirum , si purus Grammaticus Theologiam , etiamsi præsumat , ignoret ? Nec *ly expresse* , quo vastitatem contegit , eum facit Theologum ; sed magis Grammaticum arguit : qui non sensum verborum , sed verba nuda , legit . Cæterum ad illam ejusdem negantem conversionem per *ly Hoc est corpus meum* significari , profertur damnatio manifesta ex Concilio *Trid. sess. 13. c. 3. 4. & can. 2.* Item ex Concilio *Lateranensi* sub *Innoc. III.* & ex Concilio *Florent.* immo etiam ex Evangelico textu bene intellecto . De quibus omnibus vide tu supra articulo. num. 107. 116. 118. 120. 122. cum *Elucid.* Tertio vides : quomodo &c.

ARTICULUS III. 466

Utrum hæc sit conveniens forma consecrationis vini : Hic est calix sanguinis mei &c.

IV. dist. vlti. quest. 11. art. 3. quest. 1. & 3.

AD tertium sic proceditur . Videtur quod hæc non sit conveniens forma consecrationis vini : *Hic est calix sanguinis mei , novi , & æterni testamenti , mysterium fidei qui pro vobis , & pro multis effundetur in remissionem peccatorum* . Sicut enim panis convertitur in corpus Christi ex vi consecrationis , ita & vinum in sanguinem Christi , sicut ex prædictis patet (*quæst. lxxvi. att. 1. 2. & 3.*) Sed in forma consecrationis panis ponitur in recto corpus Christi , nec aliqui foraliud additur . Inconvenienter ergo in hac addita ponitur sanguis Christi in obliquo , & : *Hic est calix* (1) calix in recto , cum dicitur *calix*

(1) Id est præter sanguinem exprimitur ; quod est expressioni addi sed non constructioni , cum præmittatur , *Hic est calix* & subjungatur *sanguinis mei* , juxta formam quam usurpamus , & quæ in Liturgia S. Gregorii ut supra sic habetur ac in Sacramentario

similiter : Matthæi enim 26. vers. 27. sic tantum *Hic est sanguis meus novi Testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* : Ut & Marc. 14. vers. 24. iisdem verbis præter ultima duo quæ omittit : Lucæ autem 22. vers. 20. *Hic est calix novus*

calix sanguinis mei.

2. Præterea . Non sunt majoris efficaciz verba quæ proferuntur in consecratione panis quam ea quæ proferuntur in consecratione vini, cum utraque sint verba Christi . Sed statim dicto, *Hoc est corpus meum*, est perfecta consecratio panis . Ergo statim cum dictum est, *Hic est calix sanguinis mei*, est perfecta consecratio sanguinis : & ita ea quæ sequuntur, non videntur esse de substantia formæ, præsertim cum pertineant ad proprietates hujus sacramenti,

3. Præterea . Testamentum novum pertinere videtur ad internam inspirationem, ut patet ex hoc quod Apostolus ad Heb. viii. 8. introducit verba quæ habentur Hierem. xxxi. 31. *Consummabo super domum Israel Testamentum novum dando leges meas in mentem eorum* . Sacramentum autem exterius visibiliter agitur . Inconvenienter ergo in forma sacramenti dicitur, *Novi Testamenti* .

4. Præterea . Novum dicitur aliquid ex eo quod est prope principium sui esse . Aeternum autem non habet principium sui esse . Ergo inconvenienter dicitur, *Novi, & æterni* : quia videtur contradictionem implicare .

5. Præterea . Occasiones erroris sunt hominibus subtrahendæ, secundum illud Isa. lvii. 14. *Auferse offendicula de via populi mei* . Sed quidam erraverunt ; æstimantes mystice solum esse corpus, & sanguinem Christi in hoc sacramento . Ergo in hac forma inconvenienter ponitur, *Mysterium fidei* .

6. Præterea . Supra dictum est (quæst. lxxiii. art. 3. ad 3.) quod sicut baptismus est sacramentum fidei, ita Eucharistia est sacramentum caritatis . Ergo in hac forma magis debet poni caritas quam fides .

7. Præterea . Totum hoc sacramentum, & quantum ad corpus, & quantum ad sanguinem, est memoriale dominicæ passionis,

secundum illud I. Corinth. xi. 26. *Quoscumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis* . Non ergo magis debuit in forma consecrationis sanguinis fieri mentio de passione Christi & ejus fructu, quam in forma consecrationis corporis ; præsertim cum Luc. xxii. 19. Dominus dixerit : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis (*) tradetur* .

8. Præterea . Passio Christi, ut supra habitum est (quæst. xlvi. & xlix. art. 2.) ad sufficientiam profuit omnibus, quantum vero ad efficientiam profuit multis . Debit ergo dici, *Qui effundetur pro omnibus*, aut *pro multis*, sine hoc quod adderetur, *pro vobis* .

9. Præterea . Verba quibus hoc sacramentum conficitur, efficaciam habent ex institutione Christi . Sed nullus Evangelista recitat Christum hæc omnia verba dixisse . (1) Ergo hæc non est conveniens forma consecrationis vini .

Sed contra est quod Ecclesia ab Apostolis instructa utitur hac forma in consecratione vini . (2)

Respondeo dicendum, quod circa hanc formam est duplex opinio . Quidam enim dixerunt, quod de substantia formæ hujus est hoc solum quod dicitur, *Hic est calix sanguinis mei*, non autem ea quæ sequuntur . Sed hoc videtur inconveniens : quia ea quæ sequuntur, sunt quædam determinationes prædicari, idest sanguinis Christi : unde pertinent ad integritatem ejusdem locutionis .

Et propter hoc sunt alii qui melius dicunt quod omnia sequentia sunt de substantia formæ usque ad hoc quod postea sequitur, *Hæc quotiescumque feceritis*, quod pertinet ad usum hujus sacramenti : unde non est de substantia formæ . Et inde est quod sacerdos eodem ritu, & modo, scilicet tenendo calicem in manibus, omnia hæc verba profert . Lucæ etiam xxii. interponuntur verba sequentia ver-

vum Testamentum in sanguine meo qui pro vobis fundetur : Ut & I. ad Corinth. xi. vers. 25. *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine* ; sine addito illo Lucæ *qui pro vobis fundetur* : vel ex græco *ἐκχυσίονος qui pro vobis funditur* ; non ad sanguinem sed ad calicem referendo, quia *ἐκχυσίονος* quod est nominativum præsens cum dativo *αἵματι* ablativum supplente, idest sanguine, nullo modo construi potest, sed cum nominativo *ποτήριον* seu *calix* vel *potium* construi debet .

(*) *Vulgata* datur .

(1) Ut patet ex his quæ ad marginem præmi-

simus .

(2) An sic instructa vero ut ex Apostolorum instructione formam illam usurpet? Atqui aliter in veteribus Liturgiis habetur : in Jacobi & Marci Liturgia : *Hic est sanguis meus novi testamenti qui pro vobis & pro multis effunditur & datur* (sive distribuitur, *ἐκχυσίονος καὶ δίδωμεν*) in remissionem peccatorum : In Liturgia Basilii & Chrysostomi *ἐκχυσίονος* tantum, seu *qui pro vobis effunditur*, ut supra : Imo in Liturgia S. Petri præcise, *Hic est sanguis meus*, de quibus *mon* .

verbis præmissis, cum dicitur : *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*. Dicendum est ergo, quod omnia prædicta verba sunt de substantia formæ; (1) sed per prima verba, cum dicitur *Hic est calix sanguinis mei*, significatur ipsa conversio vini in san-

guinem, eo modo quo dictum est (art. præc.) in forma consecrationis panis, per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione, quæ operatur in hoc sacramento; quæ quidem ad tria ordinatur. Primum quidem, & principaliter ad adipiscendam æter-

(1) Perplexus locus, tum quoad sensum quem hic intendit S. Thomas, tum quoad rei veritatem. Nam quoad sensum quidem S. Thomas sunt qui de substantia formæ perinde dictum velint ac de integritate formæ: ut non ad essentiam consecrationis hæc omnia, sed ad perfectionem pertineant: sicut digiti dici possunt de substantia, quamvis, de essentia corporis non sint, ait Soto 4. sentent. dist. 8. qu. Sic intelligi autem probant, quia præmittit S. Thom. quod ad integritatem loquutionis ea pertinet; ac subiungit quod cum dicitur *Hic est calix sanguinis mei*, significatur ipsa conversio vini in sanguinem sicut in forma consecrationis panis: unde inferunt quod hæc etiam conversio per illa efficitur: quia verba in Sacramento efficiunt quod significant: & sic alia non pertinent ad essentiam. Cajetanus ad articulum primum de substantia formæ vult intelligi non quod sine his verbis non sit forma, sed quod omnis illis non sit forma perfecta: Et quia sensit non satis convenire textui glossam istam, subiungit quod si auctor (seu S. Thomas) oppositum sensit, opinative loquutus est; Tum concludit: *Omissa igitur superflua curiositate quid opinatus sit in re clarificata hic vel ille Theologus, sufficere nobis debet ex solido fundamento veritatem cognoscere*. Quod in illius veteribus tantum Commentariis non in novis habetur quia expungi iussit Pius quintus cum toto ibi præcedente additamento, quod minus vere vel reverenter dictum videretur. E contrario Paludanus & Capreolus 4. sent. dist. 9. sicut & S. Antoninus 3. parte sue Summæ tit. 13. cap. 6. §. 2. sic intelligi de substantia formæ volunt omnia illa verba ut sine illis forma non sit: Et sic videtur plane intellexisse S. Thomas, cum & imo ad corinth. 11. lect. 6. refellat eos ex professo qui non omnia esse de necessitate formæ opinantur, illudque non videri convenienter dictum probet. Nec repugnant quæ superius notata sunt: Nam ex integritate loquutionis necessitatem infert absolutam omnium quæ ad illam pertinere vult, ut ex utroque loco patet, nec ad integritatem formæ pertinere satis convenienter dicerentur, nisi ad essentiam pertinerent, cum alioqui superflua videri possent quoad formam quæ sine illis vera & effectiva esset: Quod autem ait per hæc verba præcise *Hic est calix sanguinis mei* vel *Hic est sanguis meus* conversionem vini significari, materialiter tantum & grammaticè subintelligi debet, quia hoc verba præ se ferunt, quamvis omnia quæ sequuntur supponat ad formalem significationem ex instituto Christi pertinere, quia vel ab Evangelistis hæc dixisse refertur Christus, vel putatur hæc Apostolis tradidisse, ut ex adiunctis patet. Unde In 1. ad 1. ad Corinth. ubi supra: *Quia* (inquit) *formæ Sacramentorum significando efficiunt totum pertinet ad*

vim effectivam. An vere porro? Non putat Cajetanus in veteribus ut iam supra Commentariis, & indubie sentiendum vult quod hæc tantum quatuor verba necessaria sint, *Hic est sanguis meus* quia hæc tantum Græci dicunt: Atqui Græcorum Rituale addit etiam novi Testamenti qui pro vobis effunditur; sicut & supradictæ non tantum Basilii & Chryostomi sed Jacobi & Marci Liturgiæ: Quidni potius Liturgiam expressit S. Petri ubi hæc tantum verba continentur, ut supra; Quidni quod Ambrosius ait lib. 4. de Sacramentis cap. 5. *Calicem benedixit, & Apostolis suis tradidit dicens, Accipite & bibite, Hic est enim sanguis meus*: Quidni quod Cyprianus (vel apud illum auctor sermonis de Cæna Domini) *Ex quo a Domino dictum est, Hæc est caro mea & Hic est sanguis meus, quotiescunque his verbis & hac fide actum est, panis iste supersubstantialis & calix benedictione solemniter sacraus, ad totius hominis vitam salutemque proficit*, &c. Et quod Innocentius lib. 4. de mysteriis Missæ cap. 6. *Cum ad prolationem verborum, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, Sacerdos conscia, credibile iudicatur quod Christus ea dicendo consecraverit*? At nec Innocentius. nec Ambrosius, nec Cyprianus (vel apud illum alius auctor) sic loquuntur ut ex professo formam integram ponant; sed Innocentius quidem ad eos refellendos qui Christum contendebant benedicendo tantum consecrassè, nec verba ulla proferendo; cæteri autem duo ad veritatem Eucharistiæ per hæc verba quæ illam expressissè indicant, asserunt. De Liturgia Petri dici potest quod cum in Liturgia Marci, qui discipulus Petri fuit, contineatur plus aliquid sicut & in antiquis quæ notatæ sunt Liturgiis, non est adeo certa illius fides ut ei sit necessario inhærendum. Unde hoc non obstante Gregorius eandem formam in Missa sua tradit quam nos in nostra usurpamus: Hoc non obstante Paludanus & Capreolus & Antoninus ubi supra, imo Albertus Magnus 4. sent. dist. 8. necessariam eam esse volunt: Hoc non obstante Pius V. in Catechismo suo part. 2. cap. 4. §. 21. *Opus est* (inquit) *ut Sacerdos Eucharistiæ formam cognitam & perspicuam habeat: Eam igitur his verbis comprehendit certo credendum est: Hic est calix sanguinis mei novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui &c. Tametsi §. 22. addat quod nemo de hac forma dubitare poterit, si quod antea de forma consecrationis panis dictum est attendatur; constat enim iis verbis quæ vini substantiam in sanguinem Domini converti significant huius elementi* (seu Sacramenti) *formam contineri*: Sed ad significationem formalem ut iam supra referri debet, non ad materialem & grammaticam tantum. Unde subiungit; *Quare cum verba illa hoc aperte declarans, perspicuum est aliam formam constituendam non esse*: Quasi

æternam hereditatem secundum illud Heb. x. 19. *Habentes fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi*; & ad hoc designandum dicitur, *Novi, & æterni testamenti*. Secundo ad iustitiam gratiæ, quæ est per fidem, secundum illud Rom. 111. 25. *Quem proposuit Deus propitiorem per fidem in sanguine ipsius ut sit ipse iustus, & justificans eum qui ex fide est Jesu Christi*; & quantum ad hoc subditur, *Mysterium fidei*. Tertio autem ad removendum impedimenta utriusque prædictorum, scilicet peccata, secundum illud Heb. 1x. *Sanguis Christi . . . emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis*, id est a peccatis: & quantum ad hoc subditur: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, *Hic est calix sanguinis mei*, est locutio figurativa: & potest dupliciter intelligi. Uno modo secundum metonymiam, qua ponitur continens pro contento: ut sit sensus: *Hic est sanguis meus contentus in calice, de quo fit hic mentio*; quia sanguis Christi in hoc sacramento consecratur, in quantum est potus fidelium, quod non importatur in ratione sanguinis: & ideo oportuit hoc designari per vas huic usui accommodatum. Alio modo potest intelligi secundum metaphoram, prout per calicem similitudinarie intelligitur passio Christi, quæ ad similitudinem calicis inebriat secundum illud Thren. 111. 15. *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio*: unde & ipse Dominus passionem suam calicem nominat Marth. xxvi. 39. dicens: *Transseat a me calix iste*: ut sit sensus: *Hic est calix passionis meæ, de qua fit mentio in sanguine seorsum a corpore consecrata*: quia separatio sanguinis a corpore fuit per passionem.

Ad secundum dicendum, quod quia, ut dictum est (in solut. præc. & quæst. lxxvi. art. 2. ad 1.) sanguis seorsum consecratus expresse passionem Christi repræsentat, ideo potius in consecratione sanguinis fit mentio

Summ. S. Tb. Tom. XII.

de effectu passionis, quam in consecratione corporis, quod est passionis subiectum: quod etiam designatur in hoc quod Dominus dicit: *Quod pro vobis eradetur*, quasi diceret: *Quod pro vobis passioni subiicietur*.

Ad tertium dicendum, quod testamentum est dispositio hereditatis. Hereditatem autem cælestem disposuit Deus hominibus dandam per virtutem sanguinis Jesu Christi: quia, ut dicitur Heb. 1x. 16. *ubi est testamentum, mors necesse est intercedat testatoris*. Sanguis autem Christi dupliciter est hominibus exhibitus. Primo quidem in figura; quod pertinet ad vetus Testamentum: & ideo Apostolus ibidem concludit: *Unde n. c. primum Testamentum sine sanguine dedicatum est*: quod patet ex hoc quod, sicut dicitur Exodi xxiv. *leso omni mandato legis a Moyse, omnem populum aspersit, dicens: Hic est sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus*. Secundo autem est exhibitus in rei veritate; quod pertinet ad novum Testamentum: & hoc est quod Apostolus ibidem præmittit dicens: *Ideo novi Testamenti mediator est (Christus) ut morte intercedente, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hereditatis*. Dicitur ergo, *Hic sanguis novi Testamenti*, quia iam non in figura, sed in veritate exhibetur: unde subditur: *Qui pro vobis effundetur*. Interna autem inspiratio ex huius sanguinis virtute procedit, secundum quod passione Christi justificamur.

Ad quartum dicendum, quod hoc Testamentum est *novum* ratione exhibitionis; dicitur autem *æternum* tam ratione æternæ Dei præordinationis, quam etiam ratione æternæ hereditatis, quæ per hoc Testamentum disponitur: ipsa etiam persona Christi, cuius sanguine Testamentum disponitur, est æterna.

Ad quintum dicendum, quod *mysterium* hic ponitur, non quidem ad excludendam rei veritatem, sed ad ostendendam occultationem: quia & ipse sanguis Christi occulto modo est in hoc sacramento; & ipsa

C c passio

Quasi omnia illa verba insinuans quæ præcedenti Paragrapho præmisit ad hanc significationem pertinere; Ac propterea forte prædictum Commentarium Cajetani expungi iussit, quod indubiam esse aliam formam vellet. Hoc demum non obstante ii etiam qui sufficere illam ad essentiam volunt, si tamen sola usurpata sit, consecrationem putant pro majori securitate repetendam: Quod sacrilegium videretur, si eam formam sufficere constaret certo, sicut constare oporteret, si solum usupasse supponeretur S. Petrus. Sane quantumvis particulæ aliquæ, puta illæ quæ

in antiquis Liturgiis prædictis desunt, minus necessarie ad essentiam videri possint, non sic tamen illis dici posse videtur, *qui pro vobis & pro multis effundetur* (vel *effunditur ex calice*) tum quia omnes prædictæ Liturgiæ præter præsentem S. Petri uniformiter habent ista verba; tum quia sine illis non exprimitur sacrificii ritus, ad quod mystica effusio sanguinis per *gladium verborum*, (ut Cyrillus appellat) requiritur: sicut sacrificium vetus non sine actuali effusione per victimæ materiam occisionem peragebatur, &c.

passio Christi occulte fuit figurata in veteri Testamento.

Ad sextum dicendum, quod dicitur *mysterium fidei*, quasi fidei objectum: quia quod sanguis Christi secundum veritatem sit in hoc sacramento, sola fide tenetur. Ipsa etiam Christi passio per fidem justificat. Baptismus autem dicitur sacramentum fidei, quia est quædam fidei protestatio. Hoc autem est sacramentum caritatis, quasi figurativum, & effectivum.

Ad septimum dicendum, quod, sicut dictum est (in respon. ad 2.) sanguis scilicet consecratus a corpore expressus representat passionem Christi: & ideo potius in consecratione sanguinis fit mentio de passione Christi, & fructu ipsius, quam in consecratione corporis.

Ad octavum dicendum, quod sanguis passionis Christi non solum habet efficaciam in Judæis electis, quibus exhibitus est sanguis veteris Testamenti, sed etiam in Gentilibus; nec solum in sacerdotibus, qui hoc conficiunt sacramentum, vel aliis qui sumunt, sed etiam in illis pro quibus offertur. Et ideo signanter dicit, *pro vobis*, Judæis, & *pro multis*, scilicet Gentilibus: vel *pro vobis* manducantibus, & *pro multis*, pro quibus offertur.

Ad nonum dicendum, quod Evangelistæ non intendebant tradere formas sacramentorum, quas in primitiva Ecclesia oportebat esse occultas, ut dicit Dionysius in fine ecclesiasticæ Hierarchie, sed intenderunt historiam de Christo texere. Et tamen hæc omnia ferre verba ex diversis Scripturæ locis accipi possunt. Nam quod dicitur, *Hic est calix*, habetur Luc. XXI. & I. Corinth. XXI. Matth. autem XXVI. dicitur, *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Quod autem additur, *æterni*, & iterum, *mysterium fidei*, ex traditione Domini habetur, quæ ad Ecclesiam per Apostolos pervenit, secundum illud I. Corinth. XI. 23. *Ego accepi a Domina, quod & tradidi vobis*.

A P P E N D I X

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam esse a Conc. Flor. & ab Innoc. Papa, quod omnia verba ista, scilicet *Hic est calix sanguinis mei novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundatur in remissionem peccatorum*, sunt de substantia formæ consecrationis vini. A Concilio quidem

Flor. secundum quod ponitur supra, ar. 2. app. Ubi nota, maximum auctoritatis pondus designari in eo, quod ibi dicitur: in antiquissimo usu Romanæ ecclesiæ formam hanc fuisse. Quantum enim valeat consuetudo, præsertim tam antiqua Ecclesiæ, quantaque diligentia sit imitanda, reliquit manifeste testatum fidelissimus catholicæ veritatis propugnator D. Thom. in 2. 2. q. 10. ar. 12. corp. princ. Vide tu ibi omnino, ad perpetuam rei, & hujus, & cujuscumque similis, memoriam. Quantum item valeat verbum illud a Concil. Flor. dictum, scilicet *Romana Ecclesia*, noverint omnes ex eo, quod *Anacletus* Papa Tertius, vel *Quintus* a Petro, & natione Græcus, dicit. „ Sacrosancta Romana, & „ Apost. Ecclesia non ab Apostolis, sed ab „ ipso Domino Salvatore nostro, primum „ obtinuit. Et ambo (scilicet *Petrus, & Paulus*) Sanctam Rom. Eccles. consecraverunt: atque omnibus aliis urbibus in mundo universo tam sua præsentia, quam suo venerando triumpho prætulerunt „. Hæc ille: quæ recitantur *dist. 22. c. sacrosancta*. Item noverint ex eo, quod idem Concil. Flor. sess. ult. in litteris sanctæ unionis dicit de Ecclesia Romana sic. Definimus, sanctam „ Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primum: & ipsum Romanum Pontificem esse „ successorem B. Petri Principis Apostolorum, & verum Vicarium Jesu Christi, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem, & doctorem existere: „ & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. Quemadmodum & in gestis Œcumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur „. Hæc ibi. In ultima illa sessione, ante litteras ejusdem sanctæ unionis immediate conspicies mirabile hoc opus Dei, scilicet, quod Græci ibi (absentibus Latinis) post revolutionem suorum Doctorum multamque veritatis inquisitionem factam in Palatio sui Imperatoris, tandem inter se in hanc, quam audiunt, sententiam de primatu Romanæ Ecclesiæ deviderunt. Quam quidem sententiam, cum postea Latinis Præsulibus notificassent, omnes pariter in Domino gaudentes reposuerunt in litteris sanctæ unionis. Quæ sane unio sancta fuit, quandoquidem, & Græci, & Armeni, & Jacobini, rejectis pristinis erroribus, luce veritatis inspecta se ipsos Ecclesiæ Romanæ; tamquam matri suæ, devota voluntate subdiderunt. Ut autem agno-

gnoscas certius, solam in prædictis veritatem triumphasse: notabis; præmissa Concilii *Florentini* acta omnia esse recitata secundum translationem cuiusdam Abrahami Cretensis (quæ magna insula Græcorum est) qui totum ipsum Concilium e Greco in Latinum fideliter, tamquam a Spiritu sancto aclus, transfudit. Item noveriat tandem omnes ex eo; quod Ecclesia Romana a Concil. *Trid. sess. 7. de bapt. can. 3. & sess. 14. de sacr. extr. unct. c. 3. & sess. 22. c. 8. & sess. 25. de delect. cibor. jejun. dieb. fest. c. 10.* vocatur omnium Ecclesiarum mater, & magistra. Ab Innocentio autem Tertio idipsum in principio appendicis dictum, & diffuse, & doctissime, insinuat; extra de celebr. *Missar. cap. cum Martha*. Ibi enim post multa ex doctrina scripturarum sacrarum in favorem, & declarationem singularum partium, atque ideo totius formæ consecrationis vini adducta decretalem suam epistolam; quantum ad hoc pertinet, concludit in hæc verba. *Credimus igitur: quod formam verborum, sicut in canone reperitur, & a Christo Apostoli, & ab ipsis eorum acceperint successores.* Hæc ille summus Pontifex. Secundo vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S IV. 467

Utrum prædictis verbis formarum insit aliqua vis creata effectiva consecrationis.

Inf. art. 5. co. & IV. dist. 1. quest. 1. art. 4. quest. 2. dist. VIII. quest. 11. art. 3. & dist. x. in expos. list. ad 6. & 8.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod prædictis verbis formarum non insit aliqua vis creata effectiva consecrationis. Dicit enim Damascenus in IV. Lib. (orth. Fid. cap. XIV. cir. med.) *Sola virtute Spiritus sancti fit conversio panis in corpus Christi.* Sed virtus Spiritus sancti est virtus increata. Ergo nulla virtute creata horum verborum conficitur hoc sacramentorum.

2. Præterea. Opera miraculosa non fiunt aliqua virtute creata, sed sola virtute divina, ut in prima parte habitum est (quest. cx. art. 4.) Sed conversio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi est opus non minus miraculosum quam creatio rerum, vel etiam formatio corporis Christi in utero virginali: quæ quidem nulla virtute creata fieri potuerunt. Ergo neque hoc sacramentum consecratur aliqua virtute creata dictionum

verborum.
3. Præterea. Prædicta verba non sunt simplicia, sed ex multis composita; nec simul, sed successive proferantur. Conversio autem prædicta, ut supra dictum est (quest. lxxv. art. 7.) fit in instanti: unde oportet quod fiat per simplicem virtutem. Non ergo fit per virtutem horum verborum.

Sed contra est quod Ambrosius dicit in Lib. IV. de sacramentis (cap. IV. antemed.) *Si tanta est vis in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse que non erant; quanto magis operatorius est ut sint que erant, & in aliud commutentur?* Et sic quod erat panis ante consecrationem, jam corpus Christi est post consecrationem: quia sermo Christi in aliud creaturam mutat.

Respondeo dicendum, quod quidem dicunt, nullam virtutem creatam esse nec in prædictis verbis ad transubstantiationem faciendam, nec etiam in aliis sacramentorum formis, vel etiam in ipsis sacramentis ad inducendos sacramentorum effectus: quod, sicut supra habitum est (quest. lxxv. art. 1. 3. & 4.) & dictis Sanctorum repugnat, & derogat dignitati sacramentorum nove legis.

Unde cum hoc sacramentum sit præ ceteris dignius, sicut supra dictum est (quest. lxxv. art. 3.) consequens est quod in verbis formalibus hujus sacramenti sit quedam virtus creata ad conversionem hujus sacramenti faciendam; instrumentalis tamen, sicut & in aliis sacramentis, sicut supra dictum est (quest. lxxv. art. 1. 3. & 4.) Cum enim hæc verba ex persona Christi proferantur, ex ejus mandato consequuntur virtutem instrumentalem a Christo, sicut & cetera ejus facta, vel dicta habent instrumentaliter salutiferam virtutem, ut supra dictum est (ibid.)

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, sola virtute Spiritus sancti panem in corpus Christi converti, non excluditur virtus instrumentalis, quæ est in forma hujus sacramenti; sicut cum dicitur, *Solus faber facit cultellum*, non excluditur virtus martelli.

Ad secundum dicendum, quod opera miraculosa nulla creatura potest facere quasi agens principale; potest tamen ea facere instrumentaliter, sicut ipse tactus manus Christi sanavit leprosum. Et per hunc modum verba Christi convertunt panem in corpus Christi. Quod quidem fieri non potuit in conceptione corporis Christi, qua corpus Christi formabatur, ut aliquid a corpore Christi procedens haberet instrumentalem vir-

tutem ad ipsius corporis formationem. In creatione etiam non fuit aliquod extremum, in quod instrumentalis actio creaturæ posset terminari. Unde non est simile.

Ad tertium dicendum, quod prædicta verba, quibus fit consecratio, sacramentaliter operantur: unde vis conversiva, quæ est in formis horum sacramentorum, consequitur significationem, quæ in prolatione ultimæ dictionis terminatur. Et ideo in ultimo instanti prolationis verborum prædicta verba consequuntur hanc virtutem, in ordine tamen ad præcedentia: & hæc virtus est simplex ratione simplicis significati; licet in ipsis verbis exterius prolatis sit quædam compositio.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a concilio, & Ambrosio, quod vis creata efficiens conversiva inest verbis formarum sacramenti Eucharistie. A D. Ambrosio quidem, ut est in *arg. cont.* Ubi nota ly *vis in sermone*, sicut supra qu. 62. art. 4. in *arg. cont.* notandum erat, & in B. Aug. ly *vis aque*, & in Beda ly *vim consubstans aquis*. Sed & dicitur, quasi ad idem propositum confirmandum, *Luc. 24.* quod *Jesus* non tantum est potens in opere, sed etiam in sermone. A Concilio *Flor.* insinuat per hoc, quod dicit ly *virtute verb. Christi substantia panis in corpus, & substantia vini in sanguinem convertuntur*. Vide qu. 77. a. 5. app. Ubi & notabis: quod istud concilium se habet in hoc ad *Lateranense*, tamquam expositio quædam, seu declaratio. Viderat *Florentinum*, quod *Lat.* dicebat ly *transsubstantiatis pane, &c. potestate divina*. Quia vero potestas divina intelligi potest, ut in se est, & ut in creaturis, tamquam in instrumento, specialiter participatur: ideo, cum nihil horum expresse distinctim explicasse Concilium *Lat.* vidisset *Flor.* hinc rationabiliter motum est hoc posterius concilium ad exprimendum hoc per ly *virtute verborum Christi*. Ac si apertius dixerit. Potestate divina Christi, & ut est increata in se, & ut est creata in verbis ipsis: hoc est (ad textum huiusmodi propius accedendo) & ut est principale agens, & ut est agens instrumentale. Ambo quidem hæc in sensu Concilii *Lateranensis*, sub ly *potestate divina*, continebantur: sed non adhuc, antequam *Florentinum* exponeret manifeste declarata. Regula enim generalis est

hæc, sc. quod ipsa concilia mutuo inter se supplevisse leguntur, quæ ab eorum aliquo, vel aliquibus sunt omissa: prout a simili de Evangelistis hoc totidem verbis dicens nos docuit Papa *Innocent. III.* extra *de celebr. Miss.* cap. cum *Marta*. Secundo vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S V. 468

Utrum prædictæ locutiones sint veræ.

IV. dist. VIIII. quest. II. art. 1. quest. 4.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod prædictæ locutiones non sint veræ. Cum enim dicitur, *Hoc est corpus meum*, ly *hoc* est determinativum substantiæ. Sed secundum prædicta (art. 2. hu. quest.) quando profertur hoc pronomen *hoc*, adhuc est ibi substantia panis: quia transsubstantiatio fit in ultimo instanti prolationis verborum. Sed hæc est falsa, *Panis est corpus Christi*. Ergo & hæc est falsa, *Hoc est corpus meum*.

2. Præterea. Hoc pronomen *hoc* facit demonstrationem ad sensum. Sed species sensibiles, quæ sunt in hoc sacramento, neque sunt ipsum corpus Christi, neque accidentia corporis Christi. Ergo hæc locutio non potest esse vera, *Hoc est corpus meum*.

3. Præterea. Hæc verba, sicut dictum est (art. præc.) sua significatione efficiunt conversionem panis in corpus Christi. Sed causa effectiva præintelligitur effectui. Ergo significatio horum verborum præintelligitur conversioni panis in corpus Christi. Sed ante conversionem hæc est falsa, *Hoc est corpus meum*. Ergo simpliciter est iudicandum quod sit falsa: & eadem ratio est de hac locutione, *Hic est calix sanguinis mei &c.*

Sed contra est quod hæc verba profertur ex persona Christi, qui de se dicit *Joan. XIV. 6. Ego sum veritas*.

Respondeo dicendum, quod circa hoc multiplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt, quod in hac locutione, *Hoc est corpus meum*, hæc dictio *hoc* importat demonstrationem ut conceptam, & non ut exercitam: quia tota ista locutio sumitur materialiter, cum recitative profertur: recitat enim sacerdos Christum dixisse *Hoc est corpus meum*. Sed hoc stare non potest: quia secundum hoc verba hæc non applicarentur ad materiam corporalem præsentem, & ita non perficeretur sacramentum. Dicit enim Augustinus super *Joan.* (tract. lxxx. a med.) *Accedit verbum ad elementum*.

elementum, & fit sacramentum. Et præterea ex hoc totaliter non evitatur difficultas hujus quæstionis: quia eisdem rationes manent circa primam prolotionem, qua Christus hæc verba protulit. Quare manifestum est quod non materialiter, sed significative sumebantur. Et ideo dicendum est, quod etiam quando proferuntur a sacerdote, significative, & non tantum materialiter sumuntur. Nec obstat quod sacerdos ea recitative profert quasi a Christo dicta: quia propter infinitam virtutem Christi, sicut ex contactu carnis suæ vis regenerativa pervenit non solum ad illas aquas quæ Christum tetigerunt, sed ad omnes ubique terrarum per omnia futura secula; ita etiam ex prolotione ipsius Christi hæc verba virtutem consecrativam sunt consecuta a quocumque sacerdote dicantur, ac si Christus ea præsentialiter proferret.

Et ideo alii dixerunt, quod hæc dictio *boc* in hac locutione facit demonstrationem non ad sensum, sed ad intellectum; ut sit sensus: *Hoc est corpus meum*, idest significatum per hoc, est corpus meum. Sed nec hoc stare potest: quia cum in sacramentis hoc efficiatur quod significatur, non fieret per hanc formam ut corpus Christi sit in hoc sacramento secundum veritatem, sed solum sicut in signo: quod est hæreticum, ut supra dictum est (quæst. lxxv. art. 1.)

Et ideo alii dixerunt, quod hæc dictio *boc* facit demonstrationem ad sensum; sed intelligitur hæc demonstratio non pro illo instanti locutionis quo proferitur hæc dictio, sed pro ultimo instanti locutionis: sicut cum aliquis dicit, *Nunc saceo*, hoc adverbium *nunc* facit demonstrationem pro instanti immediate sequenti locutionem: est enim sensus: *Statim his verbis dictis saceo*. Sed nec hoc stare potest: quia secundum hoc hujus locutionis esset sensus: *Corpus meum est corpus meum*: quod prædicta locutio non facit, quia, hoc fuit etiam ante prolotionem verborum: unde nec hoc prædicta locutio significat.

Et ideo aliter dicendum est, quod, sicut prædictum est (art. præc.) hæc locutio habet virtutem factivam conversionis panis in corpus Christi. Et ideo comparatur ad alias locutiones, quæ habent solum vim significativam, & non factivam, sicut comparatur conceptio intellectus practici, quæ est factiva rei, conceptioni intellectus nostri speculativi quæ est accepta a rebus: nam *voces sunt signa intellectuum*, secundum Philosophum (Lib. I. Periher. in princ.) Et ideo sicut

conceptio intellectus practici non præsupponit rem conceptam, sed facit eam; ita veritas hujus locutionis non præsupponit rem significatam, sed facit eam: sic enim se habet Verbum Dei ad res factas per Verbum. Hæc autem conversio non fit successive, sed in instanti, sicut dictum est (quæst. lxxv. art. 7.) Et ideo oportet quidem intelligere prædictam locutionem secundum ultimum instantem prolotionis verborum, non tamen ita quod præsupponatur ex parte subjecti id quod est terminus conversionis, scilicet quod corpus Christi sit corpus Christi, neque etiam illud quod fuit ante conversionem, scilicet panis; sed id quod communiter se habet quantum ad utrumque, scilicet contentum in generali sub istis speciebus. Non enim faciunt hæc verba quod corpus Christi sit corpus Christi, neque quod panis sit corpus Christi, sed quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, sit corpus Christi. Et ideo signanter non dicit Dominus: *Hic panis est corpus meum*; quod esset secundum intellectum secundæ opinionis: neque *Hoc corpus meum est corpus meum*; quod esset secundum intellectum tertie. Sed in generali: *Hoc est corpus meum*, nullo nomine appposito a parte subjecti, sed solo pronomine, quod significat substantiam in communi, sine qualitate idest forma determinata.

Ad primum ergo dicendum, quod hæc dictio *boc* demonstrat substantiam, sed absque determinatione propriæ naturæ, sicut dictum est (in corp.)

Ad secundum dicendum, quod hoc pronomen *boc* non demonstrat ipsa accidentia, sed substantiam sub accidentibus contentam, quæ primo fuit panis, postea est corpus Christi; quod licet non informetur his accidentibus, tamen sub eis continetur.

Ad tertium dicendum, quod significatio hujus locutionis præintelligitur rei significatæ ordinæ naturæ, sicut causa naturaliter est prior effectu; non tamen ordine temporis, quia hæc causa simul habet secum suum effectum: & hoc sufficit ad veritatem locutionis.

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses, & errores, sup. art. 2. *append.* recitatos. Ex eo enim quod locutiones formarum sacramenti altaris, secundum veritatem catholicam, quam exprimit D. Thomas, verificantur; patet perspicaci lectori, quid dicendum sit in damnationem

nem omnium illarum extorsionum circa huiusmodi formas confictarum. *Secundo* habes: quomodo per rationem etiam presentis articuli ostendās, eandem merito damnari a Concilio, &c. ibi narratis. Ubi specialiter Concilii *Tridens.* verba ly *indignissimum sane flagitium*, &c. contra illos, illarumque patronos, dicta esse videbis. Quia vero oppositorum est eadem disciplina, secundum Philosophum, ideo lectori hæc satis sint perspicaci. *Tertio* vides: quomodo &c.

ARTICULUS IV. 469

Utrum forma consecrationis panis consequatur suum effectum, antequam perficiatur forma consecrationis vini

IV. dist. VIII. quest. 11. art. 4. quest. 2. & dist. XI. quest. 11. art. 1. quest. 1. ad 4. & I. Corin. XI. lect. 6.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod forma consecrationis panis non consequatur suum effectum, quousque perficiatur forma consecrationis vini. Sicut enim per consecrationem panis incipit esse corpus Christi sub hoc sacramento, ita per consecrationem vini incipit esse sanguis. Si ergo verba consecrationis panis haberent suum effectum ante consecrationem vini, sequeretur quod in hoc sacramento inciperet esse corpus Christi sine sanguine; quod est inconveniens.

2. Præterea. Unum sacramentum unum habet complementum: unde licet in baptismo sint tres immersiones, non tamen prima immersio consequitur suum effectum, quousque tertia fuerit terminata. Sed totum hoc sacramentum est unum, ut supra dictum (quest. LXXII. art. 2.) Ergo verba quibus consecratur panis, non consequuntur suum effectum sine verbis sacramentalibus quibus consecratur vinum.

3. Præterea. In ipsa forma consecrationis

panis sunt plura verba, quorum prima non consequuntur effectum, nisi prolato ultimo, sicut dictum est (art. 4. hu. quest. ad 3.) Ergo pari ratione nec verba quibus consecratur corpus Christi, habent effectum, nisi prolatis verbis quibus sanguis Christi consecratur.

Sed contra est quod statim dictis verbis consecrationis panis, hostia consecrata, proponitur populo adoranda: quod non fieret, si non esset ibi corpus Christi, quia sic ad idololatriam pertineret. Ergo verba consecrationis panis suum effectum consequuntur, antequam proferantur verba consecrationis vini.

Respondeo dicendum, quod quidam antiqui Doctores dixerunt, quod hæc duæ formæ, scilicet consecrationis panis, & vini, se invicem expectant in agendo; ita scilicet quod prima non perficit suum effectum, antequam proferatur secunda.

Sed hoc stare non potest: quia, sicut dictum est (art. 2. & 5. hu. quest.) ad veritatem huius locutionis, *Hoc est corpus meum*, requiritur propter verbum presentis temporis quod res significata simul tempore sit cum ipsa significatione locutionis; alioquin si in futurum expectaretur res significata, apponeretur verbum futuri temporis, non autem verbum presentis, ita scilicet quod non diceretur *Hoc est corpus meum*, sed, *Hoc erit corpus meum*. Significatio autem huius locutionis completur statim completa prolatione horum verborum. Et ideo oportet rem significatam statim adesse, quæ quidem est effectus huius sacramenti; alioquin locutio non esset vera. Est etiam hæc positio contra ritum Ecclesie, quæ statim post prolationem verborum corpus Christi adoratur. (1) Unde dicendum est, quod prima forma non expectat secundam in agendo, sed statim habet suum effectum.

Ad primum ergo dicendum, quod ex hac ratione videntur fuisse decepti illi qui prædictam positionem posuerunt. Unde intelligendum est quod facta consecratione panis, est quidem corpus Christi ibi ex vi sacramenti,

(1) Cum scilicet hostia in eum finem per Sacerdotem attollitur iuxta veterem usum ex cap. 3. libri de ecclesiast. hierarch. §. 7. & 8. itemque 12. & 13. colligendum: Ubi dicuntur primo sacrosancti ministri *sacratissimam hostiam sacro ritu inspectam generatim laudatione concelebrare; suo hymno quem vel canticum laudis vel symbolum Religionis appellant; ac expleta laudatione panis & calix benedictione proponi* subiungitur: Secundo quod *Sacerdos divinissima mysteria jam consecrata sub symbolis quæ ritu sacro*

proposita sunt, in conspectu productis ac obsecra revolat. &c. Huc applicari potest illud Psal. 71. vers. 16. *Eris firmamentum in terra in summis montium: vel ex hebræo textu: Eris parricula frumenti in terra in capite montium.* Quod sic Rabbi Jonathas ante Christum explicat, ut in libro collectionum Hebraici viderint quibus ad manum erit liber: *Placenta panis fiet sacrificium in capitibus Sacerdotum qui sunt in Ecclesia: Quomodo porro in capitibus Sacerdotum nisi cum attollitur & adoranda proponitur?*

ti, & sanguis ex reali concomitantia; sed postmodum per consecrationem vini fit ibi e converso sanguis Christi ex vi sacramenti, corpus autem ex reali concomitantia; ita quod totus Christus est sub utraque specie, sicut supra dictum est (quæst. lxxvi. ar. 2.)

Ad secundum dicendum, quod hoc sacramentum est unum perfectione, sicut supra dictum est (quæst. lxxiii. art. 2.) scilicet in quantum constituitur ex duobus, scilicet cibo, & potu, quorum utrumque per se habet suam perfectionem; sed tres immersiones baptismi ordinantur ad unum simplicem effectum: & ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod diversa verba, quæ sunt in forma consecrationis panis, constituunt veritatem unius locutionis, non autem verba diversarum formarum: & ideo non est simile.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim quorundam, de quibus vide R. Patrem Fr. Joannem Angles Valentinum ordinis Minorum, in lib. *Flores questionum Theologicarum, de Eucharist. art. 7. def. 5. conclus. 1.* dicentium quod forma consecrationis panis ante consecrationem vini suum non habet effectum. Adversus quos etiam prædictus Pater ibid. loquitur dicens: Hæreticum est asserere, verba consecrationis panis ante consecrationem vini, vel e converso, suum non sortiri effectum. *Secundo* habes, quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari factis ipsis a Christo *Matth. 26. Luc. 22. Marc. 14. & 1. Corinth. 11.* In singulis enim locorum istorum expresse patet: quod Dominus noster, antequam consecraret vinum, porrigendo panem discipulis suis dixit; *Hoc est corpus meum*: Constat namque, nec Christum ullo modo fuisse mentitum, nec discipulos tunc ab eo fuisse communi cibo communicatos: quapropter & constare necessario debet, consecrationem panis habere effectum suum statim prolatis his verbis: *Hoc est corpus meum*, etiam quod nondum consecratio vini fiat. Docuit ergo Christus factu suo illo non tantum, quod performam illam: *Hoc est corpus meum*, ex pane veraciter fit corpus suum, idest ipsius Christi: sed etiam quod, antequam incipiat proferri forma illa: *Hic est calix sanguinis*, &c sub speciebus panis est realiter corpus suum. Porro textus Evangelicus, atque Apostolicus jam supra citatus, adeo in his clare docet, secun-

dum planissimas seriei consecrationum litteras, veritatem: ac nulla tergiversatione celeri possit; nec ab aliquo, vel etiam proterviente, veritas ipsa rationabiliter occultari. Item ab eodem Christo verbis ipsis damnari *Jo. 6. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et; Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et; Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ecce, quod hic nullam mentionem facit de vino consecrato; sed solum de pane. Per hoc ergo denotatur; quod sub specie panis consecrati Christus, per cujus dignam manducationem vivit quis in æternum, continetur, etiam quod consecratio vini postea non fieret. Item a Concil. *Trid. sess. 13. c. 3. Nondum Eucharistiam de manu Domini Apostoli, susceperans; cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse, quod præbebat.* Hæc ibi. Ex quibus patet, quod corpus suum vere erat sub specie panis a Domino porrecti; antequam consecrasset vinum. Nondum enim vinum in calice consecraverat, ut ex serie Evangelii constat prius, quam de manu ipsius Apostoli consecratum panem suscepissent. Item a tota Ecclesia catholica factu suo manifeste damnari; quod factum ponitur in *arg. cont. Et jure sane optimo id facit Ecclesia; quandoquidem sic ab ipso Christo factis recitatis *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.* & supra declaratis edocta est, cum ipsius corpus sub specie panis consecratum patria adorari debeat secundum Concil. *Trident. sess. 13. cap. 5. 6. & can. item art. 4. ad 3. in Elucidat.* Et memento quoque aliquem potuisse dicere non solum errorem, sed etiam hæresim, absque hoc, quod sit vere, & formaliter hæreticus, ut alias annotatum est, & habetur in *Decret. 24. quæst. 3. cap. dixit Apostolus. Tertio* vides: quomodo &c.*

QUÆSTIO LXXIX.

De effectibus sacramenti Eucharistiae,

In octo articulos divisa.

DEinde considerandum est de effectibus hujus sacramenti: & circa hoc quaeruntur octo.

Primo, utrum hoc sacramentum conferat gratiam.

Secundo, utrum effectus hujus sacramenti sit adeptio gloriæ.

Tertio, utrum effectus hujus sacramenti sit remis-

remissio peccati mortalis.

Quarto, utrum per hoc sacramentum remittatur peccatum veniale.

Quinto, utrum per hoc sacramentum tota poena peccati remittatur.

Sexto, utrum hoc sacramentum homines præservet a peccatis futuris.

Septimo, utrum hoc sacramentum proficiat aliis quam summentibus.

Octavo de impedimento effectus hujus sacramenti.

ARTICULUS I. 470

Utrum per hoc sacramentum conferatur gratia.

Inf. art. 4. cor. & IV. dist. xii. quest. 11. art. 2. quest. 1. ad 2.

AD primum sic proceditur. Videtur quod per hoc sacramentum non conferatur gratia. Hoc enim sacramentum est nutrimentum spirituale. Nutrimentum autem non datur nisi viventi (1). Cum ergo vita spiritualis sit per gratiam; non competit hoc sacramentum nisi habenti gratiam. Non ergo per hoc sacramentum conferatur gratia, ut primo habeatur; similiter etiam nec ad hoc quod augeatur, quia augmentum spirituale pertinet ad sacramentum confirmationis, ut dictum est (quest. lxxii. art. 1.) Non ergo per hoc sacramentum gratia conferatur.

2. Præterea. Hoc sacramentum conferatur ut quædam spiritualis refectio. Sed refectio spiritualis magis videtur pertinere ad usum gratiæ quam ad gratiæ collationem. Ergo videtur quod per hoc sacramentum gratia non conferatur.

3. Præterea. Sicut supra dictum est (quest. lxxiv. art. 1. (2) in hoc sacramento corpus

Christi offertur pro salute corporis, sanguis autem pro salute animæ. Sed corpus non est subiectum gratiæ, sed anima, ut in secunda parte habitum est (1. 2. quest. cx. art. 4.) Ergo ad minus quantum ad corpus per hoc sacramentum gratia non conferatur.

Sed contra est quod Dominus dicit Joan. vi. 52. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* (3) Sed vita spiritualis est per gratiam. Ergo per hoc sacramentum gratia conferatur.

Respondeo dicendum, quod effectus hujus sacramenti debet considerari primo quidem & principaliter ex eo quod in hoc sacramento continetur, quod est Christus: qui sicut in mundum visibiliter veniens contulit mundo vitam gratiæ, secundum illud Joan. 1. 17. *Gratia, & veritas per Jesum Christum facta est*; ita in hominem sacramentaliter veniens vitam gratiæ operatur, secundum illud Joan. vi. 58. *Qui manducat me, vivet propter me.* Unde & Cyrillus dicit (similia his multa hab. Lib. IV. in Joan. can. 11. & III. hab. autem expref. in Cat. aur. D. Th. sup. hunc loc.) *Vivificativum Dei Verbum uniens seipsum propriæ carni, fecit ipsam vivificativam. Decoras enim eum nostris quodammodo uniri corporibus per sacram ejus carnem, & preciosum sanguinem, quæ accipimus in benedictionem vivificativam in pane, & vino.* Secundum quod consideratur ex eo quod per hoc sacramentum repræsentatur, quod est passio Christi, sicut supra dictum est (quest. lxxiv. art. 1. & quest. lxxvi. art. 2. ad 1.) Et ideo effectum, quem passio Christi fecit in mundo, hoc sacramentum facit in homine. Unde super illud Joan. xix. *Continuo exiit sanguis, & aqua*, dicit Chrysostomus (hom. lxxxiv. in Joan. can. med.), „ Quia hinc „ suscipiunt principium sacra mysteria, cum „ accesseris ad tremendum calicem, ut ab „ ipsa

(1) Sic Philosophus lib. 2. de anima text. 46. *Nihil alitur non participans vitam: Unde animatum urique corpus erit id quod alitur, prout animatum est, &c.*

(2) Ut & quest. 76. art. 2. ad 1. Non sicut prius ad marginem indicabatur, quest. 79. art. 2. & quest. 76. art. 2. ad 2.

(3) Hæc enim verba de Sacramento Eucharistiæ dicta esse interpretantur passim Patres, ut Chrysostomus homil. 45. in Joan. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. etiam in Joannem: Cyrillus Hierosolymitanus catechesi mystagogica 4. Epiphanius hæresi 55. Theodoretus lib. 4. eccl. hist. cap. 10. Theophylactus in Joan. 6. quem in Cat. aurea sua refert ibidem S.

Thomas; & Joannes Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 14. ubi supra: Præter Athanasium in Synopsi, & homil. super illud *Qui dixerit verbum in filium hominis*, &c. Passium in lib. 1. de baptismo cap. 3. & in Regulis moralibus cap. 21. ac Origenem homil. 7. in Numeros. Inter Latinos autem Augustinus Tract. 26. jam indicato in Joan. ut & in Psal. 35. Conc. 1. & serm. 2. de verbis Apostoli, & Ambrosius lib. 4. de fide cap. 5. lib. 6. de sacramentis cap. 1. ut & libro de iis qui mysteriis initiantur vel de iniciandis cap. 8. Hieronymus in epist. ad Eph. cap. 3. & epistola quam ipse scripsit ad Hedibiam qua. 2. Gregorius lib. 7. moral. cap. 9. &c.

„ ipsa bibiturus Christi costa ita accedas. “
 Unde & ipse Dominus dicit Matth. xxvi. 18.
Hic est sanguis meus . . . qui () pro vobis
 effundetur in remissionem peccatorum.* Tertio
 consideratur effectus hujus sacramenti ex mo-
 do quo traditur hoc sacramentum, quod tradi-
 tur per modum cibi, & potus. Et ideo
 omnem effectum quem cibus, & potus ma-
 terialis facit quantum ad vitam corporalem,
 quod scilicet sustentat, auget, reparat, &
 delectat, hoc totum facit hoc sacramentum
 quantum ad vitam spiritualem. Unde Am-
 brosius dicit in Lib. V. de sacramentis (cap.
 iv. cir. med.) *Iste panis est vita eterna, qui
 anima nostra substantiam fulcit.* Et Chryso-
 stomus dicit super Joan. (hom. xlv. a med.)
*Prestat se nobis desiderantibus & palpere, &
 comedere, & amplecti.* Unde & ipse Do-
 minus dicit Joan. vi. 56. *Caro mea vere
 est cibus & sanguis meus vere est potus.*
 Quarto consideratur effectus hujus sacra-
 menti ex speciebus, in quibus traditur hoc
 sacramentum. Unde Augustinus ibidem (sc.
 tract. xxvi. in Joan. parum ante fin.) di-
 cit: *Dominus noster corpus, & sanguinem suum
 in eis rebus commendavit que ad unum aliquid
 rediguntur ex multis: namque aliud, scilicet
 panis, ex multis granis in unum constat; a-
 liud, scilicet vinum, in unum ex multis aci-
 nis confluit.* Et ideo ipse alibi dicit super
 Joan. (loc. cit. a med.) *O sacramentum pie-
 tatis, o signum unitatis, o vinculum caritatis.* (1)

Et quia Christus, & ejus passio est causa gra-
 tiæ, & spiritualis refectio, & caritas sine gratia
 esse non potest; ex omnibus præmissis manifestum
 est quod hoc sacramentum gratiam confert.
 Ad primum ergo dicendum, quod hoc sacra-
 mentum ex seipso virtutem habet gra-
 tiam conferendi: nec aliquis habet gratiam
 ante susceptionem hujus sacramenti,
 nisi ex aliquo voto ipsius, vel per seipsum,
 sicut adulti, vel voto Ecclesiæ, sicut parvu-
 li, sicut supra dictum est (quæst. lxxiii.
 art. 3.) Unde ex efficacia virtutis ipsius est
 quod etiam ex voto ipsius aliquis gratiam

Summ. S. Th. Tom. XII.

consequatur, per quam spiritualiter vivifice-
 tur. Restat igitur ut cum sacramentum rea-
 liter sumitur, gratia augetur, & vita spiri-
 tualis perficiatur; aliter tamen quam per sa-
 cramentum confirmationis: in quo augetur,
 & perficitur gratia ad persistendum contra
 exteriores impugnationes inimicorum Christi;
 per hoc autem sacramentum augetur gratia,
 & perficitur spiritualis vita, ad hoc quod ho-
 mo in seipso perfectus existat per conjunctio-
 nem ad Deum.

Ad secundum dicendum, quod hoc sacra-
 mentum confert gratiam spiritualiter cum
 virtute caritatis. Unde Damascenus (Lib.
 IV. orth. Fid. cap. xiv. a med.) comparat
 hoc sacramentum carboni quem Isaias vidit
 Isa. vi. Carbo enim lignum simplex non est,
 sed unitum igni: ita & panis communionis
 non simplex panis est, sed unitus Divinitati.
 Sicut autem Gregorius dicit in homil. Pen-
 tecostes (xxx. in Evang. parum a princ.)
*amor Dei non est otiosus: magna enim operatur,
 si est.* Et ideo per hoc sacramentum, quan-
 tum est ex sui virtute, non solum habitus
 gratiæ, & virtutis confertur, sed etiam ex-
 citatur in actum, secundum illud II. Corin-
 th. v. 14. *Caritas Christi urget nos.* (2) Et
 inde est quod ex virtute hujus sacramenti
 anima spiritualiter reficitur, per hoc quod
 anima spiritualiter delectatur, & quodammo-
 do inebriatur dulcedine bonitatis divinæ, se-
 cundum illud Cantic. v. 1. *Comedite amici,
 & bibite, & inebriamini carissimi.*

Ad tertium dicendum, quod quia sacra-
 menta operantur salutem, quam significant,
 ideo secundum quamdam assimilationem di-
 citur, quod in hoc sacramento corpus offer-
 tur pro salute corporis, & sanguis pro salu-
 te animæ; quamvis utrumque ad salutem
 utriusque operetur, cum sub utroque totus sit
 Christus, ut supra dictum est (quæst. lxxvi.
 art. 2.) Et licet corpus non sit immédia-
 tum subjectum gratiæ; ex anima tamen re-
 dundat effectus gratiæ ad corpus, dum in
 præsentem membra nostra exhibemus arma ju-
 stitiæ

D d

stite

(*) *Vulgata ibi pro multis.*

(1) Sicut ex Augustini textu legi debet, idest
uvarum granis quæ in unum racemum colliguntur:
 Non sicut opus. 57. & in Breviario mutatum est,
racemis: Tum quia quid opus est multis racemis ut
 hinc vinum confluat, cum ex uno sufficienter con-
 fluere ad præsentem possit, ex quo Eucharistia consecra-
 tur: Tum quia non sic bene racemi multi unitatem
 designant hic intentam sicut acini multi ad eundem
 racemum pertinentes: Tum quia expressius acini

quasi grana uvarum respondere intelliguntur granis
 ex quibus unum panem confici præmissum est.

(2) Alio sensu & alia occasione dictum, quod ni-
 mirum caritas Christi (sive qua nos dilexit, sive
 qua eum diligimus) urget nos tum ut ei vivamus
 qui pro nobis omnibus mortuus est, tum ut salutem
 proximorum quoad possumus procurare conemur:
 Sed ad quemvis effectum caritatis accommodari pos-
 test, ut hic.

stis Deo, ut habetur Rom. vi. & in futuro corpus nostrum sortietur incorruptionem, & gloriam animæ.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses *Enthusiastarum* dicentium: quod cibus Eucharistiæ nec obest nec prodest. Et *Armenorum* dicentium: quod cibus Eucharistiæ soli corporis saluti prodest. Et *Tandemi* dicentis, corporis, sanguinisque Christi sumptionem ad salutem nihil prodesse. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari a Concil. *Tvid. sess. 7.* de sacramentis, per hoc, quod *can. 1.* anathematizat negantes, Eucharistiam esse sacramentum novæ legis; & *can. 6.* negantes, sacramenta novæ legis conferre gratiam. Item ab eod. *sess. 13. cap. 2.* sumi autem voluit *Salvator noster sacramentum hoc, tamquam spiritualem animarum cibum: quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me. Adeoque Symbolum unius illius corporis, cujus ipse capus existit, cuique nos tamquam membra aristissima fidei, spei, & caritatis connexionem adstrictos esse voluit: ut idipsum omnes diceremus, & non essent in nobis schismata.* Hæc ibi. Item a Concilio *Florent. Sacramenti Eucharistiæ effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et, quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unietur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur. Omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus quoad vitam agunt corporalem, sustinendo, augendo, reparando, & delectando: sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem. In quo (ut inquit Urbanus Papa) gratiam Salvatoris nostri recen-*

semus memoriam: a malo retrahimur; confortamur in bono: & ad virtutem, & gratiarum proficimus incrementum. Hæc illud in constit. super unio. Armenor. Abundantissime igitur maxime si videris totam Papæ *Urbani* epistolam, in *Clement. de reliquiis & vener. sanct. cap. 1.* constat, quantæ damnationis sint dignæ hæreses prædictæ. Ad quarum damnationem addas quoque dicta in *Veritatibus aureis* super legem veterem, *Genes. 49. concl. 2. & Exod. 16. concl. 6. Numer. 9. conclus. 6. & cap. 25. conclus. 3.* Tercio vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 471

Utrum effectus hujus sacramenti sit adeptio gloriæ.

Inf. quest. lxxx. art. 2. ad 1. & Joan. vi.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod effectus hujus sacramenti non sit adeptio gloriæ. Effectus enim proportionatur sæ causæ. Sed hoc sacramentum competit viatoribus, unde & viaticum dicitur (1). Cum igitur viatores nondum sint capaces gloriæ, videtur quod hoc sacramentum non causet adeptionem gloriæ.

2. Præterea. Posita causa sufficiente, ponitur effectus. Sed multi accipiunt hoc sacramentum qui numquam perveniunt ad gloriam, ut patet per Augustinum XXI. de civit. Dei (cap. xxv.) Non ergo hoc sacramentum est causa adeptionis gloriæ.

3. Præterea. Maius non efficitur a minori: quia nihil agit ultra suam speciem. Sed minus est accipere Christum sub specie alienæ, quod fit in hoc sacramento, quam frui eo in specie propria, quod pertinet ad gloriam. Ergo hoc sacramentum non causet adeptio-

nem

(1) Sic vocat Gaudentius tom. 3. Bibliothecæ Patrum in sermone ad Neophytos, vel tract. 2. in Exodum, sub hæc: Hoc est (inquit) viaticum itineris nostri qui in hac vita modo alimur & nutri-mur, donec ad ipsum pergamus de hoc seculo recedentes: Unde dicebat idem Dominus, Nisi manducaveritis carnem meam & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis, &c. Sic Beda lib. 4. Eccl. hist. cap. 14. de puero ægroto cui cælitus dictum est: Nos te hodierna die ad cælestia regna sumus perducturi: Sed expectare primum habes donec Missa celebretur, ac viaticum dominici corporis ac sanguinis accedat ad æternâ in cælis gaudia suble-veris: Et Paschasius lib. de corpore & sanguine Domini cap. 19. Hoc mysterium nonnumquam viaticum appellatur, quia si quis illo fruatur in via, per-

nis ad vitam quam in se habet, &c. Sed & Nicani Concilii Canon 13. intelligi hoc sensu debet, quod qui ex via migrat, viatico necessario & ultimo privandus non est: Est enim de viatico poenitentis vel reconciliationis cum Ecclesia subintelligi possit, ad viaticum tamen Eucharistiæ Zonaras & Balsamon Canonum Interpretes referri volunt: Et Concilium Carthaginense 4. sic expressius vocat Can. 78. cum ait: Poenitentes qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant abstersos sine manus impositione si supervixerint. Hinc Hieronymus in Matth. 15. Non vult Jesus dimittere jejunium deficiente in via: Periclitatur ergo qui sine cælesti panis ad optatam mansionem pervenire festinat: Unde Angelus ad Estam 3. Surgit & manduca, qui grandem viam ambulaturus es, &c.

aem gloriæ.

Sed contra est quod dicitur Joan. vi. 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Sed vita æterna est vita gloriæ. Ergo effectus hujus sacramenti est adeptio gloriæ.

Respondeo dicendum, quod in hoc sacramento potest considerari & id ex quo habet effectum, scilicet ipse Christus contentus: & passio ejus repræsentata; & id per quod habet effectum, scilicet usus sacramenti, & species ejus.

Et quantum ad utrumque competit huic sacramento quod causet adeptionem vitæ æternæ. Nam ipse Christus per suam passionem aperuit nobis aditum vitæ æternæ, secundum illud Heb. ix. 15. *Novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, qui vocati sunt accipiant repromissionem æternæ hereditatis.* Unde & in forma hujus sacramenti dicitur: *Hic est calix sanguinis mei, novi, & æterni Testamenti.* Similiter etiam refectio cibi spiritualis, & unitas significata per species panis, & vini habentur quidem in præsentia, sed imperfecte; perfecte autem in statu gloriæ. Unde Augustinus dicit super illud Joan. vi. *Caro mea vere est cibus* (tract. xxvi. in Joan. aliquant. ante fin.) „ Cum cibo, & potu id „ appetant homines ut non esuriant, neque „ sitiant, hoc veraciter non præstat nisi iste „ cibus, & potus, qui eos a quibus sumitur, „ immortales, & incorruptibiles facit in societate Sanctorum, ubi pax erit, & unitas „ plena, atque perfecta.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut passio Christi, in cujus virtute hoc sacramento operatur, est quidem causa sufficiens gloriæ, non tamen ita quod statim per ipsam introducatur in gloriam, sed oportet ut prius simul compatiamur, ut postea simul glorificemur, sicut dicitur Rom. viii. ita hoc sacramentum non statim nos in gloriam introducit, sed dat nobis virtutem perveniendi ad gloriam, & ideo viaticum dicitur: in cuius figuram legitur III. Reg. xix. 8. quod *Elias comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb.*

Ad secundum dicendum, quod sicut passio Christi non habet suum effectum in his qui se ad eam non habent ut debent; ita & per hoc sacramentum non adipiscuntur gloriam qui indecenter ipsum suscipiunt. Unde Augustinus dicit super Joan. expones illa verba: (loc. cit.) *Aliud est sacramentum, & aliud virtus sacramenti. Multi de altari accipiunt,*

& accipiendo moriuntur. Panem ergo cælestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. Unde non est mirum, si illi qui innocentiam non servant, effectum hujus sacramenti non consequuntur.

Ad tertium dicendum, quod hoc quod Christus sub aliena specie sumitur, pertinet ad rationem sacramenti, quod instrumentaliter agit. Nihil autem prohibet causam instrumentalem producere potioem effectum, ut ex supradictis patet (quæst. lxxvii. art. 3. ad 3.)

A P P E N D I X.

EX art. habes prima: quomodo per rationem interimas hæreses narratas in ar. 1. append. Et hoc pro quanto negant, Eucharistiam asserre vitam æternam digne sumenti. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illas pro tanto damnari a Conc. Tri. sess. 13. c. 2. Dictis enim verbis iis, quæ supra ar. 1. app. ex ipso recitata sunt, subiungit. *Pignus præterea id esse voluit future nostre gloriæ, & perpetua felicitatis.* Hæc ibi. Item ab eo. sess. 32. Dum enim loquitur de sacrificio missæ, quod Eucharistia est, dicit c. 2. *Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens crimina, & peccata etiam ingentia, dimittit. Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum per seipsum tunc in Cruce obtulit: sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis cruenta, inquam, fructus per hanc incrementam uberrime percipiuntur.* Hæc ibi. Ubi ly *cujus quidem*, &c. non tantum proposito hujus art. favet, sed etiam omnium aliorum: & est illud, quod tex. a. 1. in cor. dixit, scilicet. *Effectus, quem passio Christi fecit in mundo, hoc sacramentum facit in homine.* Prædicta quoque Concil. auctoritas propter ly *gratiam, ly crimina, &c.* juvat expresse art. 1. 3. & 4. Item merito damnari a Joan. 6. ut ponitur cum expolit. in arg. contr. Cujus verum sensum elicies tu, per applicat. ad ly *vivet in æternum*, ex Concil. Trid. ses. 6. can. 26. *Si quis dixerit: justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare æternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, & Christi meritum, si bene agendo, & divina mandata custodiendo, usque in finem perseveraverint: anathema sit.* Et can. 32. *Si quis dixerit: ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri*

augmentum divine gratie, vitam eternam, & ipsius vite eterna, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam glorie augmentum: anathema sit: Hæc ibi. Ex quibus sume ad propositum tuum præfens, quantum opus est. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS III. 472

Utrum effectus hujus sacramenti sit remissio peccati mortalis.

IV. dist. ix. art. 3. quæst. 2. cor. & dist. xii. quæst. 11. art. 2. quæst. 2.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod effectus hujus sacramenti sit remissio peccati mortalis. Dicitur enim in quadam collecta (1): *Sit hoc sacramentum ablutio scelerum*. Sed scelera dicuntur peccata mortalia. Ergo per hoc sacramentum peccata mortalia abluuntur.

2. Præterea. Hoc sacramentum agit in virtute passionis Christi, sicut & baptisimus. Sed per baptisimum dimittuntur peccata mortalia, ut supra dictum est (quæst. lxxix. art. 1.) Ergo & per hoc sacramentum; præsertim cum in forma hujus sacramenti dicatur: *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*.

3. Præterea. Per hoc sacramentum gratia confertur, ut dictum est (art. 1. hu. quæst.) Sed per gratiam justificatur homo a peccatis mortalibus, secundum illud Rom. 111. 24. (2) *Justificati gratis per gratiam ipsius*. Ergo per hoc sacramentum remittuntur peccata mortalia.

Sed contra est quod dicitur I. Cor. xi. 29.

Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit: dicit autem Glossa (3) Petri Lomb.) ibidem, quod, „ ille manducat, „ & bibit indigne, qui in crimine est, vel „ irreverenter tractat: & talis manducat, & „ bibit sibi judicium, idest damnationem. “ Ergo ille qui est in peccato mortali, per hoc quod accipit hoc sacramentum, magis accumulatur sibi peccatum quam remissionem sui peccati consequatur.

Respondeo dicendum, quod virtus hujus sacramenti potest considerari dupliciter. Uno modo secundum se: & sic hoc sacramentum habet virtutem ad remittendum quæcumque peccata ex passione Christi, quæ est fons, & causa remissionis peccatorum.

Alio modo potest considerari per comparisonem ad eum qui recipit hoc sacramentum, prout in eo invenitur, vel non invenitur impedimentum percipiendi hujus sacramenti effectum. Quicumque autem habet conscientiam peccati mortalis, habet in se impedimentum percipiendi effectum hujus sacramenti, eo quod non est conveniens susceptor hujus sacramenti: tum quia non vivit spiritualiter; & ita non debet spirituale nutrimentum suscipere, quod non est nisi viventis: tum quia non potest uniri Christo (quod fit per hoc sacramentum) dum est in affectu peccandi mortaliter. Et ideo, ut dicitur in Lib. de ecclesiast. dogmatib. (cap. lxxx.) *si meus (4) in affectu peccandi est, gravatur magis Eucharistie perceptione, quam purificetur*. Unde hoc sacramentum in eo qui ipsum percipit in conscientia peccati mortalis, non operatur remissionem peccati.

Potest tamen hoc sacramentum operari remissio-

(1) Nimirum Post. pro vivis & defunctis, ubi plenius: *Præsta ut hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad penam sed intercessio salutaris ad veniam; sit ablutio scelerum, &c.*

(2) De generali justificatione dictum quæ per Christum facta est ver. 24.

(3) Velut ex Glossa interlineari prius indicabatur ad marginem: Sed nihil tale habet, nisi quod *judicium* interpretatur *damnationem* in moderna editione Glossæ: Habet autem expresse vetus scriptura qua utebatur S. Thomas: Et sic etiam habet Petrus Lombardus ex quo sumpta est Glossa illa. Tale item aliquid Aymo super eundem locum, etsi aliis verbis: *Indigne* (inquit) *idest ordine non observato; videlicet qui aliter mysterium illud celebrat vel sumit quam a sanctis Patribus traditum est: vel qui nullam differentiam credit inter illud corpus Christi & reliquos cibos; vel qui grandioribus criminibus commaculatus presumit illud sumere.*

(4) Inter opera Augustini adulterina tomo 3. Ubi

paulo aliter & plenius ut & cap. *Quæstio* in Decretis refertur dist. 2. de consecrat. *Omnibus dominicis diebus communicandum suadeo & hortor; si tamen mens sine affectu peccandi sit: Nam habentem adhuc voluntatem peccandi gravari magis dico Eucharistie perceptione quam purificari*. Perperam porro prius Exemplaria S. Thomæ impressa pro (*affectu peccandi*) posuerunt *actum peccandi*; licet habeat manuscriptum sicut ex Augustini supposititio ac ex Decreti textu restituiimus. Potest autem ex vero August. addi tract. 62. in Joan. quod inde in prædictum ad Corinthios locum refert: *Si corripitur non diudicans corpus Domini, hoc est qui dominicum corpus ceteris cibis non discernit, sed ut quemlibet alium cibum indifferente negligenterque sumit; quomodo (sive quam graviter) damnatur qui ad ejus mensam, frangens amicam, accedit inimicus? Præter alia quæ deinceps in eandem rem quæst. 80. art. 4. & 5. referuntur.*

missionem peccati dupliciter : uno modo non perceptum actu, sed voto ; sicut cum quis prius justificatur a peccato ; alio modo etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam, & affectum non habet : forte enim primo non fuit sufficienter contritus ; sed devote, & reverit accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam caritatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati .

Ad primum ergo dicendum, quod petimus ut hoc sacramentum sit ablutio scelerum, vel eorum quorum conscientiam non habemus, secundum illud Psalm. xviii. 13. *ab occultis meis munda me Domine* ; vel ut contritio in nobis perficiatur ad scelerum remissionem ; vel etiam ut nobis robur detur ad scelera vitanda .

Ad secundum dicendum, quod baptismus est spiritualis generatio, quæ est mutatio de non esse spirituali in esse spirituale ; & datur per modum ablutionis : & ideo, quantum ad utrumque, non inconvenienter accedit ad baptismum qui habet conscientiam peccati mortalis. Sed per hoc sacramentum homo sumit in se Christum per modum spiritualis nutrimenti, quod non competit mortuo in peccatis. Et ideo non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod gratia est sufficiens causa remissionis peccati mortalis ; non tamen actu remittit peccatum mortale, nisi cum primo datur peccatori . Sic autem non datur in hoc sacramento . Unde ratio non sequitur .

A P P E N D I X.

EX art. habes primo, quomodo per rationem & ostendas, & recte intelligas, merito esse insinuatum a scripturis, Ecclesia, Conciliiisque : quod sacramentum Eucharistiæ facit, & non facit remissionem peccatorum etiam mortalium . A scripturis, quidem quod facit, & non, ut Exod. 16. *Qui non audiverunt eum, &c. scateve cepit vermibus, &c. Fecerunt, sicut præceperat Moyses ; & non contempserunt*. Patet enim, quod Manna fuit figura Eucharistiæ. Per hoc ergo, quod ex obedientia servantes manna fortiti sunt bonum finem, in hoc scilicet quod manna non contempserunt apud ipsos ; & contra inobedientes contrarium accidit : patet per locum a figura ad figuratum, & quod Eucharistia causat remissionem peccatorum in sumentibus eam secundum obedientiam sanctam, idest digne ; & quod sumentes eam contra obedientiam,

idest indigne, computrescunt in anima, idest peccato mortali involvuntur ; tantum abest, ut inde remissionem peccatorum percipiant . Pro cuius meliori captu vide Veritates aureas super totam legem veterem, Exod. 16. *concl. 6.* Ab Ecclesia vero, quod non facit : ut per hoc, quod in sequentia de festo corporis Christi canit : *Sumunt boni, sumunt mali, forte tamen inaequali, vita, vel interitus. Mors est malis ; vita bonis.* A Concilio autem Floren. ut supra art. *append.* & Concilio Trid. ut supra art. 2. *appen.* Dicit enim Florentin. *ly a malo retrahimur, &c. Tridentinum vero dicit ly crimina, etiam ingentia, dimittit.* Quod quidem dictum suum declaravit Concilium posse intelligi dupliciter, scilicet vel perficiendo contritionem prius insufficientem de criminibus cognitis, vel remittendo incognita post diligentem conscientiam examinationem, & hæc duo declaravit per locum a simili de contritione, & confessione . Dicit enim sessione decima quarta cap. 4. *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenne, & poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, & sit cum spe veniæ, declarat non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et, quamvis sine sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat : tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Poenitentiae impetrandam disponit.* Hæc ibi . Ex quibus patet : quod confessio sequens illam insufficientem contritionem perficit ad remissionem peccatorum : & per hoc a fortiori, quod idipsum sentiendum est de Eucharistia erga contritionem talem peccatoris, sic cum devota reverentia ad Eucharistiam accedentis. Dicit quoque sessione eadem, cap. quinto . *Postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientia sinus omnes, & latebras exploravit, ea peccata confiteatur, quibus se Deum suum mortaliter offendisse meminerit. Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur : pro quibus fideliter cum Propheta dicimus : Ab occultis meis munda me Domine.* Hæc ibi . Quæ faciunt ad intelligentiam textus *ly cujus conscientiam non habet, ly quorum conscientiam non habemus.* Secundo vides : quomodo &c.

A R T I C U L U S IV. 473

Utrum per hoc Sacramentum remittantur peccata venialia.

Inf. quest. lxxxvii. art. 3. cor. & IV. dist. xlii. quest. 11. art. 1. quest. 1. cor. & art. 2. quest. 1. per tot.

AD quantum sic proceditur. Videtur quod per hoc sacramentum non remittantur peccata venialia. Hoc enim sacramentum, ut Augustinus dicit super Joan. (tract. xxvi. a med.) est *sacramentum caritatis*. Sed venialia peccata non contrariantur caritati, ut in secunda parte habitum est (1. 2. quest. lxxxviii. art. 1. & 2. & 2. 2. quest. xxiv. art. 10.) Cum ergo contrarium tollatur per suum contrarium, videtur quod peccata venialia per hoc sacramentum non remittantur.

2. Præterea. Si peccata venialia per hoc sacramentum remittantur, qua ratione remittitur unum, remittuntur & omnia. Sed non videtur quod omnia remittantur: quia sic frequenter aliquis esset absque omni peccato veniali, (1) contra id quod dicitur I. Joan. 1. 8. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*. Non ergo per hoc sacramentum remittitur aliquod peccatum veniale.

3. Præterea. Contraria mutuo se expellunt. Sed peccata venialia non prohibent a perceptione hujus sacramenti: dicit enim Augustinus super illud Joan. vi. *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt* (tract. xxvi. in Joan. parum ante med.) „ Innocentiam ad altare apportate: peccata, etsi sunt quotidiana, non sint mortifera, „ Ergo neque peccata venialia per hoc sacramentum tolluntur.

Sed contra est quod Innocentius III. dicit (Lib. IV. de myster. Missæ cap. xlv. ante med.) quod hoc sacramentum *venialia delet*,

& cavet mortalia. (2)

Respondeo dicendum, quod in hoc sacramento duo possunt considerari, scilicet ipsum sacramentum, & res sacramenti.

Et ex utroque apparet quod hoc sacramentum habet virtutem ad remissionem venialium peccatorum. Nam hoc sacramentum sumitur sub specie cibi nutrientis. Nutrimtum autem cibi est necessarium corpori ad restaurandum id quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiscentiæ per peccata venialia, quæ diminuunt fervorem caritatis, ut in secunda parte habitum est (2. 2. quest. xxiv. art. 10.) Et ideo competit huic sacramento ut remittat peccata venialia. Unde & Ambrosius dicit in Lib. V. de sacramentis (cap. iv. implic.) quod *iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidiana infirmitatis*. Res autem hujus sacramenti est caritas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc sacramento, per quem peccata venialia solvuntur. Unde manifestum est quod virtute hujus sacramenti remittuntur peccata venialia.

Ad primum ergo dicendum, quod peccata venialia etsi non contrariantur caritati quantum ad habitum, contrariantur tamen ei quantum ad fervorem actus, qui excitatur per hoc sacramentum, ratione cujus peccata venialia tolluntur.

Ad secundum dicendum, quod illud verbum non est intelligendum, quin aliqua hora possit homo esse absque omni reatu peccati venialis; sed quia vitam istam Sancti non ducunt sine peccatis venialibus.

Ad tertium dicendum, quod major est virtus caritatis, cujus est hoc sacramentum, quam venialium peccatorum. Nam caritas tollit per suum actum peccata venialia, quæ tamen non possunt totaliter impedire actum caritatis. Et eadem ratio est de hoc sacramento.

A P.

(1) Puta qui frequenter Eucharistiam sine culpa mortali perciperet, vel quotidie Missam celebraret, sicut plerique Sacerdotes: Ex frequentia enim talis communionis præsumeretur ab omnibus venialibus expiatus.

(2) Similiter etiam ex Bernardo colligi possunt ferm. de Baptismo & de Sacramento Altaris, ubi circa medium ait: *Duo Sacramentum hoc operatur in nobis: ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam saepe modo, non tam acerbo sensu iracundiæ motus, invidia, luxuria, aut cete-*

rorum hujusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo &c. Hinc etiam in Concilio Tridentino sess. 13. cap. 2. *Sumi voluit Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum quo alantur & confortentur viventes vita illius qui dixit qui manducat me vivet propter me, & tamquam antidotum quo liberemur a culpis quotidianis & a peccatis mortalibus præfervemur: Ubi quotidianas culpas veniales appellat sicut Augustinus etiam supra; quod vix cavere quotidie possant.*

APPENDIX.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses narratas in ar. 1. *append.* pro quanto virtualiter negant, quod per Eucharistiæ sacramentum deleantur venialia. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas pro tanto damnari merito ab *Innocentio*, secundum quod ponitur in *arg. contr.* Item a Conc. *Trid.* sess. 22. c. 2. *peccata etiam ingentia dimittis.* Et sess. 13. c. 2. *Salvator noster sumi voluit sacramentum hoc, tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præservemur.* Hæc ibi. Item a Concil. *Florent.* secundum quod est sup. ar. 1. *appen.* Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS V. 474

Utrum per hoc sacramentum tota pœna peccati remittatur.

IV. dist. IV. quest. 11. art. 1. quest. 2. ad 3. & dist. XI. quest. 11. art. 2. quest. 3.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod per hoc sacramentum tota pœna peccati remittatur. Homo enim per hoc sacramentum suscipit in se effectum passionis Christi, ut dictum est (art. 1. & 2. hu. quest.) sicut & per baptismum percipit homo remissionem omnis pœnæ virtute passionis Christi, quæ sufficienter (1) satisfecit pro omnibus peccatis, ut ex supradietis patet (quest. XIX. art. 2.) Ergo videtur quod per hoc sacramentum homini remittatur totus reatus pœnæ.

2. Præterea. Alexander I. Papa dicit (in epist. ad omnes orth. post med. & hab. cap. VIII. de consecrat. dist. 11.) *Nihil in sacrificiis majus esse potest quam corpus, & san-*

guis Christi. Sed per sacrificia veteris legis homo satisfaciebat pro peccatis suis: dicitur enim Levit. IV. & V. *Si peccaverit homo, offeret hoc, vel illud pro peccato suo, & remittetur ei.* (2) Ergo multo magis hoc sacramentum valet ad remissionem omnis pœnæ.

3. Præterea. Constat quod per hoc sacramentum aliquid de reatu pœnæ dimittitur: unde & in satisfactionem aliquibus injungitur quod pro se Missas faciant celebrari. Sed quæ ratione una pars pœnæ dimittitur, eadem ratione & alia; cum virtus Christi, quæ in hoc sacramento continetur, sit infinita. Ergo videtur quod per hoc sacramentum tota pœna tollatur.

Sed contra est quod secundum hoc non esset homini alia pœna injungenda, sicut nec baptizato injungitur.

Respondeo dicendum, quod hoc sacramentum simul est sacrificium, & sacramentum; sed rationem sacrificii habet, inquantum offertur; rationem autem sacramenti, inquantum sumitur.

Et ideo effectum sacramenti habet in eo qui sumit, effectum autem sacrificii in eo qui offert, vel in his pro quibus offertur.

Si igitur consideretur ut sacramentum, habet effectum dupliciter: uno modo directe ex vi sacramenti; alio modo quasi ex quadam concomitantia, sicut & circa continentiam sacramenti dictum est (quest. LXXVI. art. 1. & 2.) Ex vi quidem sacramenti directe habet illum effectum ad quem est institutum, Non est autem institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum, (3) & ad membra ejus; sicut & nutrimentum unitur nutrito. Sed quia hæc unitas fit per caritatem, ex cujus fervore aliquis consequitur remissionem non solum culpæ, sed etiam pœnæ, inde est quod ex consequenti per quamdam concomitantiam ad principium

(1) Imo superabundanter propter pretium infinitum, ex quest. 49. art. item 2.

(2) Sic enim Levitici 4. vers. 1. quod si Sacerdos peccaverit offeret pro peccato vitulum immaculatum. &c. Ut & vers. 13. quod omnis turba Israel igno- rans & per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est, & postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum, &c. Et vers. 22. quod si peccaverit Princeps & fecerit unum e pluribus per ignorantiam que Domini lege prohibentur, & postea intellexerit peccatum suum offeret holiam Domino hircum de capris immaculatum, &c. Et vers. 27. quod si peccaverit anima per ignoran- tiam de populo, terra ut faciat, quidquam de his que Domini lege prohibentur, & cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatum, &c. Et Levit. 5. vers. 4. Anima que juraverit ut aliquid

faceret, oblitæque postea intellexerit delictum suum, agat penitentiam pro peccato, offerat de gregibus agnam vel capram: Sin autem non tenuerit offerre pecus, offerat duos pullos columbarum: Et vers. 11. Si non tenuerit manus ejus duos offerre turturas aut duas pullos columbarum, offerat pro peccato suo simile persem, &c. (hoc est farina pura.) Tum deinde vers. 15. Anima si pravaricans ceremonias per erro- rem in his que sanctificata sunt Domino, peccaverit, offerat pro delicto suo arietem immaculatum, &c. Idemque de anima que per ignorantiam peccaverit & peccati sui intellexerit iniquitatem suam statuitur vers. 17. &c.

(3) Ex Augustino in Joan. Tract. 26. æquivalen- ter; O sacramentum pietatis (inquit) o vinculum caritatis.

principalem effectum homo consequitur remissionem pœnz, non quidem totius, sed secundum modum suæ devotionis, & fervoris.

In quantum vero est sacrificium, habet vim satisfactivam. Sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis quam quantitas oblationis. Unde & Dominus dicit Luc. xxi. de vidua, quæ obtulit duo zra, quod plus omnibus misit. Quamvis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna; tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suæ devotionis, & non pro tota pœna.

Ad primum ergo dicendum, quod sacramentum baptismi directe ordinatur ad remissionem pœnz, & culpæ, non autem Eucharistia: quia baptismus datur homini quasi commorienti Christo, Eucharistia autem quasi nutriendo, & perficiendo per Christum. Unde non est similis ratio.

Ad secundum dicendum, quod illa sacrificia, & oblationes non operabantur remissionem totius pœnz, neque quantum ad quantitatem oblatis, sicut hoc sacrificium, neque quantum ad devotionem hominis, ex qua contingit quod etiam hic non tollitur tota pœna.

Ad tertium dicendum, quod hoc quod tollitur pars pœnz, & non tota pœna per hoc sacramentum, non contingit ex defectu virtutis Christi, sed ex defectu devotionis humanæ.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo, per rationem ostendas, & recte intelligas, merito esse insinuatam a Concilio, & Ecclesia, quod Eucharistia sacramentum est etiam sacrificium, & quod per ipsum fiunt satisfactiones, remittunturque pœnz, & hoc juxta devotionis mensuram offerentium. A Concilio quidem Tridentino per hoc, quod dicit sess. 22. cap. 2. *In divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum erumens obtulit. Quare non solum pro fidelium vitiorum peccatis, panis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus: sed pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem offerantur.* Hæc ibi. Et canon. 1. *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum, & propriam sacrificium, aut quod offerri non sit aliud,*

A R T. V. & VI.

quam nobis Christum ad manducandum dari: anathema sit. Et can. 3. *Si quis dixerit: Missæ sacrificium esse tantum laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, panis, satisfactionibus & aliis necessitatibus, debere offerri: anathema sit.* Et canon. 4. *Si quis dixerit: blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto per missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari: anathema sit.* Hæc ibi. Ab Ecclesia vero per hoc, quod in canone Missæ, orando pro vivis dicit; *Memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum NN. & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.* Ut quid enim de illorum fidei devotione mentionem tunc facit: quando offert pro illis sacrificium altaris? Ad denotandum non quidem principaliter, quod manifestum est, scilicet Deo esse cognitam fidem adstantium, & devotionem, sed illud, quod minus manifestum communiter erat, scilicet sacrificii hujus valorem esse satisfactorium iis, pro quibus offertur, vel etiam, qui offerunt, secundum quantitatem devotionis eorum. *Secundo vides: quomodo &c.*

A R T I C U L U S VI. 475

Utrum per hoc Sacramentum præservetur homo a peccatis futuris.

IV. dist. xii. quest. 11. art. 2. quest. 2. ad 1. & dist. xlv. quest. 11. art. 3. quest. 1. ad 2.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod per hoc Sacramentum non præservetur homo a peccatis futuris. Multi enim digne sumentes hoc sacramentum postea in peccatum cadunt: quod non accideret, si hoc sacramentum præservaret a peccatis futuris. Non ergo effectus hujus sacramenti est a peccatis futuris præservare.

2. Præterea, Eucharistia est sacramentum caritatis, ut supra dictum est. (art. 4. hujus quest.) Sed caritas non videtur præservare a peccatis futuris; quia semel habita potest amitti per peccatum, ut in secunda parte habitum est. (2. 2. quest. xxiv. art. 11.) Ergo videtur, quod nec hoc sacramentum præservet hominem a peccato.

3. Præterea: Origo peccati in nobis est *lex peccati, quæ est in membris nostris*, ut patet per

per Apostolum Rom. VII. (1) Sed mitigatio fomitis, qui est lex peccati, non ponitur effectus hujus sacramenti, sed magis baptismi. Ergo præservare a peccatis futuris non est effectus hujus sacramenti.

Sed contra est quod Dominus dicit Joan. VI. 50. *Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur; quod quidem manifestum est non intelligi de morte corporali.* (2) Ergo intelligitur quod hoc sacramentum præservet a morte spirituali, quæ est per peccatum.

Respondeo dicendum, quod peccatum est quædam spiritualis mors animæ. Unde hoc modo præservatur aliquis a peccato futuro, quo præservatur corpus a morte futura: quod quidem fit dupliciter. Uno modo in quantum natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiva: & sic præservatur a morte per cibum, & medicinam. Alio modo per hoc quod munitur contra exteriores impugnationes: & sic præservatur per arma, quibus munitur corpus.

Utroque autem modo hoc sacramentum præservat a peccato. Nam primo quidem per hoc quod Christo conjungit per gratiam roborat spiritualem vitam hominis, tamquam spiritualis cibus, & spiritualis medicina, se-

Summ. S. Th. Tom. XII.

cundum illud Psal. CIII. 5. *Panis cor hominis confirmat.* Et Augustinus dicit super Joan. (tract. XXVI. a med.) *Securus accede panis est, non venenum.* Alio modo in quantum est quoddam signum passionis Christi, per quam victi sunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem. Unde Chrysostomus dicit super Joan. (hom. XLV. a med.) *Ut leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus* (3) *terribiles effecti diabolo.*

Ad primum ergo dicendum, quod effectus hujus sacramenti recipitur in homine secundum hominis conditionem; sicut contingit de qualibet causa activa, quod ejus effectus recipitur in materia secundum modum materię. Homo autem in statu viæ est hujus conditionis, quod liberum arbitrium ejus potest flecti in bonum, & malum. Unde licet hoc sacramentum, quantum est de se, habeat virtutem præservativam a peccato, non tamen aufert homini possibilitatem peccandi.

Ad secundum dicendum, quod etiam caritas, quantum est in se, præservat hominem a peccato, secundum illud Rom. XIII. 10. *Dilectio proximi malum non operatur;* sed ex mutabilitate liberi arbitrii contingit quod aliquis post habitam caritatem peccat, sicut & post susceptionem hujus sacramenti.

E e

Ad

(1) Ubi sic vers. 23. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, &c.*

(2) Qua moriuntur nihilominus qui hunc panem manducant: Unde August. Tract. 26. in Joan. *Quantum pertinet (inquit) ad mortem istam visibilem & corporalem, numquid nos non morimur qui manducamus panem de cælo descendente? Sic sunt mortui & illi (qui manducaverunt manna) quemadmodum & nos sumus morituri, quantum assinet (ut dixi) ad mortem hujus corporis visibilem atque carnalem:* Ex quo infert sicut hic id ad mortem spirituales referendum.

(3) Vel ex græco ἀναχωσῶμεν, *discedamus;* ut sit adhortatio ad sumendam Eucharistiam ea devotione quæ nos formidabiles dæmoni reddat: An fortasse ἀναχωσῶμεν vetus Interpres legit ut redderet latine *discedimus?* Vel S. Thomas inde sensum sumere suæ intentioni respondentem satis habuit ut per assertionem exprimeret quod per adhortationem ibi dictum est; cum frustra nos ad id præstandum adhortaretur Chrysostomus, nisi & aliquando contingeret quando Eucharistiam recte dispositi sumimus, &c. Unde paulo post addit: *Hic mysticus utique sanguis dæmones procul pellit: Cum enim dominicum sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur, &c.* Tum deinde mox: *Quod si ejus figura tantam habuit vim in templo Hebræorum & in Ægypto, quando linuntur aspergitur & inunctus est sanguis agni, visus magis veritas, &c.* In eum quoque sensum I-

gnatius ad Ephesios post medium. *Studete (σπουδῆτε) frequenter accedere ad Eucharistiam Dei & gloriam: Quando enim hoc ipsum assidue agit, expelluntur Satanae potestates qui suos actus convertit in sagittas ignitas ad peccatum: Ubi ἀποκτίνω pro τα πρῶτα seu actus suos quidam codices legunt Et serm. 8. in Psal. 118. Ambrosius: *Moses agnum immolavit, ut manducantes eum non occuparentur (id est circumvenirentur) exterminatoris insidiis, ne inermes & vacuos spiritualis alimentis nocturna spicula tenebrosi hostis opprimerent: Præveni & tu insidias tentatoris, instaure prius cæleste convivium: Adveniendum in Ecclesiam, celebranda oblatio: Tunc paratus assiste ut accipias tibi nutrimentum, ut corpus edas Domini Jesu, in quo remisso peccatorum est, postulatio divina reconciliationis & protectionis æternæ. Suscipe Dominum Jesum tuæ mentis hospitio: Ubi corpus ejus; ibi Christus est: Cum hospitium tuum adversarius videt occupatum cælestis fulgore præsentie, intelligens locum tentamentis suis interclusum per Christum esse, fugiet, &c.* Quod autem contra interiora quoque incentiva peccati remedium sit, sic Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joan. cap. 4. in modernis vel 17. in antiquis: *Pie sancteque vivas & benedictione participes; credens quod non solius mortis verum etiam agritudinum nostrarum propulsatrix ac expultrix est. Manens enim in nobis Christus reprimit sevientem membrorum legem, sicut sensuum passiones, firmat & corroborat pietatem, perturbaciones animi extinguit, &c.**

Ad tertium dicendum, quod licet hoc sacramentum non directe ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia; in quantum auget caritatem: quia, sicut Augustinus dicit in lib. lxxiiii. Q. (quæst. xxxvi. a princ.) *augmentum caritatis est diminutio cupiditatis*. Directe autem confirmat cor hominis in bono, per quod etiam præservatur homo a peccato.

APPENDIX.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses narratas in *art. 1. append.* pro quanto implicite negant: quod Eucharistiæ sacramentum præservet a peccatis futuris. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illas pro tanto, idest pro ut præservationem talem negant, damnari merito a Jo. 6. *hic est*, &c. ut cum expositione ponitur in *arg. cons.* Ubi etiam dicitur, quod non potest exponi *ly non moriatur*, idest non cadat de facto in mortale peccatum: quoniam experientia reclamatur, & *arg. 1.* Respondeatur ergo, ut debeat necessario exponi *ly non moriatur*, idest non cadat, quantum est ex virtute panis, in mortale peccatum. Hoc autem idem est, ac si expresse ibi dictum fuisset: *Si quis ex pane ipso manducaverit, præservabitur, quantum est ex ipsa manducatione, a peccatis futuris*. Item a Conc. *Trid. sess. 13. c. 2. de virtute hujus sacramenti*, dicente *ly & a peccatis mortalibus præservemur*. Vide *art. 4. append.* Item sic universaliter, idest in quodam communi damnari ab eodem Concilio *sess. ead.* per hoc, quod ait *Can. 5. Si quis dixerit: vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit*. Hæc ibi. Quæ etiam stant pro multis articulis supra, & maxime pro *art. 1. & 2.* Item a Concil. *Florent.* per hoc, quod dicit, sacramentalem cibum facere in nobis omnem operationem spiritualiter quam materialis cibus facit corporaliter. Vide *a. 1. append.* Constat enim, quod per virtutem corporalis cibi homo præservatur a morte corporali, & a multis infirmitatibus, quæ alias vel advenirent, vel citius advenirent homini, si non cibaretur. Item ab Ecclesia & quidem sæpius, per hoc, quod in multis collectis post communionem dicit. *Sumpta sacramenta omnem pravitatem, & hostilem impugnationem visibilem, & invisibilem procul repellunt*. Vel: *Munat, & munias nos*

munus oblatum. Vel: *Sit contra pericula sacramentum*. Vel: *Per hæc contra omnia adversa muniamur*. Vel: *contra omnes adversos succurrit incurfas*, Vel aliquid aliud simile. Quæ omnia valde concludunt intentum: quoniam principaliter intelliguntur de peccatis futuris. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS VII. 476

Utrum hoc Sacramentum proſit aliis quam ſumentibus.

Sup. quæst. lxxviii. art. 3. ad 8. & præſenti quæst. art. 5. cor. & IV. dist. xii. quæst. 11. art. 2. quæst. 2. ad 4. & dist. xlv. quæst. 11. art. 3. quæst. 1. ad 3. & Joan. vi. lect. 6. fin.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum non proſit nisi ſumentibus. Hoc enim sacramentum est unius generis cum aliis sacramentis, utpote aliis conditum. Sed alia sacramenta non proſunt nisi ſumentibus, sicut effectum baptismi non suscipit nisi baptizatus. Ergo nec hoc sacramentum prodest aliis nisi ſumentibus.

2. Præterea. Effectus hujus sacramenti est adeptio gratiæ, & gloriæ, & remissio culpe ad minus venialis. Si ergo hoc sacramentum haberet effectum in aliis quam in ſumentibus, posset contingere quod aliquis adipisceretur & gratiam, & gloriæ, & remissionem culpe, absque actione, & passione propria, alio ſumente, vel offerente hoc sacramentum.

3. Præterea. Multiplicata causa, multiplicatur effectus. Si ergo hoc sacramentum prodest aliis quam ſumentibus, sequeretur quod magis prodest alicui, si multi ſumerent hoc sacramentum, multis hostiis in una Missa consecratis; quod non habet Ecclesiæ consuetudo, ut scilicet multi communicent pro alicujus salute. Non ergo videtur quod hoc sacramentum proſit nisi ſumentibus.

Sed contra est quod in celebratione hujus sacramenti fit pro multis aliis deprecatio: quod frustra fieret, nisi hoc sacramentum aliis prodest. Hoc ergo sacramentum non solum ſumentibus prodest.

Respondeo dicendum, quod, sicut prius dictum est (*art. 5. hu. quæst.*) hoc sacramentum non solum est sacramentum, sed etiam est sacrificium. In quantum enim in hoc sacramento representatur passio Christi, qua Christus obtulit se hostiam Deo, ut dicitur

Ephe.

Ephes. v. habet rationem sacrificii ; inquantum vero in hoc sacramento traditur invisibilis gratia sub visibili specie, habet rationem sacramenti . Sic ergo hoc sacramentum sumentibus quidem prodest & per modum sacramenti, & per modum sacrificii quia pro omnibus sumentibus offertur. Dicitur enim in canone Missæ : *Quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus, et sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur.*

Sed aliis qui non sumunt, prodest per modum sacrificii, inquantum pro salute eorum offertur . Unde & in canone Missæ dicitur : *Memento Domine famulorum, famularumque tuorum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se, suisque carissimis, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis sue . Et utrumque modum proficiendi Dominus expressit, dicens Matth. xxvi. & Luc. xxii, Qui pro vobis, scilicet sumentibus, & pro multis, scilicet aliis, effundetur in remissionem peccatorum .*

Ad primum ergo dicendum, quod hoc sacramentum præ aliis habet quod est sacrificium : & ideo non est similis ratio.

Ad secundum dicendum, quod sicut passio Christi prodest quidem omnibus quantum ad sufficientiam, & ad remissionem culpæ, & adeptionem gratiæ, & gloriæ ; sed effectum non habet nisi in illis qui passioni Christi coniunguntur per fidem, & caritatem ; ita & hoc sacrificium, quod est memoriale dominicæ passionis, non habet effectum nisi in illis qui coniunguntur huic sacramento per fidem, & caritatem. Unde & Augustinus dicit ad Renatum (Lib. 1. de anima, & ejus orig. cap. ix. a princ.) *Quis offerat corpus Christi nisi pro his qui sunt membra Christi?* Unde & in canone Missæ non oratur pro his qui sunt extra Ecclesiam . Illis tamen prodest plus, vel minus, secundum modum devotionis eorum .

Ad tertium dicendum, quod sumptio pertinet ad rationem sacramenti ; sed oblatio pertinet ad rationem sacrificii . Et ideo ex hoc quod aliquis sumit corpus Christi, vel etiam plures, non accrescit aliis aliquod iumentum . (1) Similiter etiam ex hoc quod

sacerdos plures hostias consecrat in una Missa, non multiplicatur effectus hujus sacramenti : quia non est nisi unum sacrificium : nihil enim plus est virtutis in multis hostiis consecratis quam in una, cum sub omnibus, & sub una non sit nisi totus Christus . Unde nec si aliquis simul in una Missa multas hostias consecratis sumat, participabit majorem effectum sacramenti . In pluribus vero Missis multiplicatur sacrificii oblatio : & ideo multiplicatur effectus sacrificii, & sacramenti .

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem interimas hæreses narratas in a. 1. append. Et quidem a fortiori. Nam qui non solum sumentibus, sed etiam non sumentibus prodest eucharistiam monstrat (ut facit iste ar.) is convincit, & abundanter convincit, de falsitate, dicentes, quod Eucharistiæ sacramentum nihil prodest . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari a Conc. Trid. sess. 22. can. 3. ut adducitur ar. 3. appen. Ibi enim anathematizat ad litteram dicentes, quod eucharistia prodest solum sumentibus . Per hoc etiam, quod dicit, Eucharistiam esse sacrificium (ut patet ibi multis in locis) patet, quod necessario virtualiter dicit : ipsam prodest etiam aliis non sumentibus, pro quibus offertur (ut patet ex dictis sup. resp. ad primum) id, quod est damnare pro hæresibus omnes positiones contrarias . Item a rota Ecclesia solemniter factis ipsis damnari per hoc : quod in Missa, ubi offertur hoc Eucharistiæ sacramentum, orare facit sacerdotem pro aliis, non solum vivis, sed etiam defunctis, ut patet in can. Missæ . Cum enim nihil vanum ab Ecclesia statuatur, ut alibi dicit sanctus Doctor, & annotavimus, procul dubio ex factis prædictis monstratur aperte : quod de mente Ecclesiæ est docere hoc esse verum, scilicet, quod sacrificium Eucharistiæ prodest etiam non sumentibus quamvis essent mortui . Tercio vides : quomodo &c.

(1) Unde hic usus ergo aunc tam frequens quo alii communicare pro aliis rogantur? Potest abusus per se dici non minus quam si alter alterum compelleret ut manducaret pro se : Tolerari nihilominus

possit videtur eo sensu quod quia communio Eucharistiæ summum opus est Christiani sicut alia fidelium opera possunt aliis ad satisfactionem applicari, sic & hoc opus, &c.

ARTICULUS VIII. 477

Utrum per veniale peccatum impediatur effectus hujus sacramenti.

IV. dist. xii. quest. 11. art. 1. quest. 3. & art. 2. quest. 1. ad 2.

AD octavum sic proceditur. Videtur quod per veniale peccatum non impediatur effectus hujus sacramenti. Dicit enim Augustinus super illud Joan. vi. *Patres vestri manducaverunt manna*: (tract. xxvi. in Joan. a med. (1)), *Panem cœlestem spiritualiter manducate; innocentiam ad altare apportate; peccata, etsi sunt quotidiana, non sint mortifera.* Ex quo patet quod venialia peccata, quæ quotidiana dicuntur, spirituales manducationem non impediunt. Sed spiritualiter manducantes effectum hujus sacramenti percipiunt. Ergo peccata venialia non impediunt effectum hujus sacramenti.

2. Præterea. Hoc sacramentum non est minoris virtutis quam baptismus. Sed effectum baptismi, sicut supra dictum est (quest. lxxx. art. 9.) impedit sola fictio; ad quam non pertinent peccata venialia: quia, sicut Sap. 1. 5. dicitur, *Spiritus sanctus disciplina effugiet fictum*; qui tamen per peccata venialia non fugatur. Ergo neque effectum hujus sacramenti impediunt peccata venialia.

3. Præterea: Nihil quod removetur per actionem alicujus causæ, potest impedire ejus effectum. Sed peccata venialia tolluntur per hoc sacramentum. Ergo non impediunt ejus

effectum.

Sed contra est quod Damascenus dicit in IV. Lib. (orth. Fid. cap. xiv. a med.) *Ignis ejus, quod in nobis est, desiderii assumens eam, quæ ex carbone, idest ex hoc sacramento, ignitionem, comburans nostra peccata, & illuminet corda nostra, ut participatione divini ignis ignimur, & desicemur.* (2) Sed ignis nostri desiderii, vel amoris impeditur per peccata venialia, quæ impediunt fervorem caritatis, ut in secunda parte habitum est (1. 2. quest. lxxx. art. 4. & 2. 2. quest. xxiv. art. 10.) Ergo peccata venialia impediunt effectum hujus sacramenti.

Respondeo dicendum, quod peccata venialia dupliciter accipi possunt: uno modo prout sunt præterita, alio modo prout sunt actus exercita.

Primo quidem modo peccata venialia nullo modo impediunt effectum hujus sacramenti. Potest enim contingere quod aliquis post multa peccata venialia commissa devoto accedat ad hoc sacramentum, & plenarie hujus sacramenti consequatur effectum.

Secundo autem modo peccata venialia non ex toto impediunt hujus sacramenti effectum, sed in parte. Dicitur enim (art. 1. & 2. hu quest.) quod effectus hujus sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiæ, vel caritatis, sed etiam quædam actualis reflectio spiritualis dulcedinis: quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, vel caritatis. (3)

Ad primum ergo dicendum, quod ille qui cum

(1) Refertur in Decretis dist. 2. de consecrat. cap. Panem, sed corrupte sic: *Panem cœlestem spiritualiter manducare est innocentiam ad altare apportare*: Quod cum adjunctis non convenit imperativo modo enuntiatis, cum subiungitur, *Antequam ad altare accedatis, attendite quid dicatis, Dimittite nobis debita nostra, &c.* Unde sic Beda refert ut hic super 1. ad Corinth. 11. & similiter 1vo parte 2. cap. 2.

(2) Sive plenius post medium: *Non est figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi (absit hoc) sed est ipsum corpus Domini desicatum, ipso Domino dicente, Hoc est non figura corporis mei; sed corpus meum; & non figura sanguinis mei sed sanguis meus: Proinde omni cum timore & cum conscientia pura & indubia fide accedamus ac ipsum animi puritate spirituali & corporali veneremur: Ad illud cum ardenti desiderio accedamus; manus in crucis modum conformantes Crucifixi suscipiamus corpus oculosque labia & frontem apponentes divinum assumamus carbonem, ut ignis ejus quod in nobis est desiderii, &c.*

(3) Etsi 4. sentent. dist. 12. qu. 2. art. 1. quest. 3. e contrario docuerit quod *quia omnis perfectio acquirenda impeditur per remotionem propriæ dispositionis: actus autem se habent ad perfectionem finis consequendam sicut se habent materiales dispositiones ad consequendam perfectionem formæ, cum Sacramento Eucharistiæ perficiat suscipientem prout conjungit cum fini, ad hoc quod effectum suum plene habeat in fumento. oportet quod aditus actualis devotio, & quia interdum absque mortali peccato actualis devotio impediri potest, cum distractiones varie ipsam impediunt, & peccata venialia virtutum actum tollant, absque peccato mortali potest effectus hujus sacramenti impedi; ita quod aliquis augmentum gratiæ non consequatur; nec tamen votum peccati mortalis incurret, sed forte venialis peccati ex hoc quod imperatus accedit: Sed huic loco rari potius debet conformiter ad Concilium Tridentinum quod Sess. 13. cap. 7. non aliam necessariam dispositionem exigit quam ut peccati mortalis, non sit conficius qui accedit.*

cum actu venialis peccati ad hoc sacramentum accedit, habitualiter quidem manducat spiritualiter, sed non actualiter: & ideo habitualem effectum hujus sacramenti percipit, non autem actualem.

Ad secundum dicendum, quod baptismus non ita ordinatur ad actualem effectum, idest fervorem caritatis, sicut hoc sacramentum. Nam baptismus est spiritualis regeneratio, per quam acquiritur prima perfectio, quæ est habitus, vel forma; hoc autem sacramentum est spiritualis manducatio, quæ habet actualem delectationem.

Ad tertium dicendum, quod illa ratio procedit de venialibus præteritis, quæ per hoc sacramentum tolluntur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, & recte intelligas, merito esse insinuat a scripturis, & Damasceno, quod peccata venialia impediunt effectum sacramenti Eucharistiæ in nobis. A Damasceno quidem, ut cum discursu applicativo ponitur in arg. contr. A scripturis vero per hoc, quod quasi per similitudinem propositi hujus dicitur Eccl. 10. *Musca morientes perdunt suavitatem unguenti*. Sicut enim muscæ, quæ cadentes moriuntur in unguentis dulcibus confectis ab apothecariis, perdunt, idest, impediunt ipsorum unguentorum suavitatem, ut patet ad sensum, ita peccata venialia in homine morientia, idest menti hominis in actu exercito adhærentia, impediunt suavitatem Eucharistiæ, idest faciunt, quod ab illius hominis mente talis suavitas non sentitur. Quandoquidem *intus existens prohibet extrinsecum*, idest, sibi dissimile: qualis est illa spiritualis dulcedo: quæ fervorem actualem caritatis requirit, cui fervori contrariatur peccatum veniale, art. 4. ad primum. Et bene per muscas denotavit scriptura venialia peccata: quoniam, sicut musca est parvum animal, ita veniale est parvum peccatum, 1. 2. q. 88. ar. 1. item q. 89. ar. 1. Ceterum, quod actualis devotio, ut hinc indubitanter colligitur, ad sentiendum hunc suavitatis effectum de necessitate requiritur: & quomodo procuranda sit, ut actualiter habeatur, ac ne tanto bono, idest dulcedine illa spirituali, privemur, vide Veritates aureas super totam legem veterem. Gen. 49. concl. 2. & Levit. 21. concl. 7. 8. cujus conclusionis *oſtave* appendixem semper intellige conformiter ad præsentem S. Doctoris articulum, idest, quod

illa necessitas devotionis actualis requiritur non quidem ad vitandum mortale peccatum, sed taliter gustandum, quam suavis est Dominus. Vide & easdem Veritates, Levit. 22. concl. 2. in examinibus. Secundo vides: quomodo &c.

Q U E S T I O LXXX.

De usu, seu sumptione hujus sacramenti in communi,

in duodecim articulos divisa.

DEinde considerandum est de usu, sive sumptione hujus sacramenti: & primo quidem in communi; secundo quomodo Christus est usus hoc sacramento.

Circa primum quæruntur duodecim.

Primo, utrum sint duo modi manducandi hoc sacramentum, scilicet sacramentaliter, & spiritualiter.

Secundo, utrum soli homini conveniat manducare spiritualiter hoc sacramentum.

Tertio, utrum solius hominis justus sit manducare sacramentaliter.

Quarto, utrum peccator manducans sacramentaliter peccet.

Quinto de quantitate hujus peccati.

Sexto, utrum peccator accedens ad hoc sacramentum sit repellendus.

Septimo, utrum nocturna pollutio impediat hominem a sumptione hujus sacramenti.

Octavo, utrum sit solam a jeiunis sumendum.

Nono, utrum sit exhibendum non habentibus usum rationis.

Decimo, utrum sit quotidie sumendum.

Undecimo, utrum liceat omnino abstinere.

Duodecimo, utrum liceat percipere corpus sine sanguine.

A R T I C U L U S I. 478

Utrum distingui debeant duo modi manducandi corpus Christi.

Inf. art. 2. & 3. cor. & IV. dist. 15. art. 1. quest. 1. ad 1. & quest. 3. per tot. & Ioan. vi. lect. 7. & I. Cor. 1. lect. 7. fin. & op. LVIII. cap. XVII. XVIII. XIX. & XX.

AD primum sic proceditur. Videtur quod non debeant distingui duo modi manducandi corpus Christi, scilicet sacramentaliter, & spiritualiter. Sicut enim baptismus est

est spiritualis regeneratio, secundum illud Joan. 111. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto &c.* ita etiam hoc sacramentum est spiritualis cibus: unde Dominus de hoc sacramento loquens dicit Ioan. VI. *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Sed circa baptismum non distinguitur duplex modus sumendi, scilicet sacramentalis, & spiritualis. Ergo neque circa hoc sacramentum debet hæc distinctio adhiberi.

2. Præterea. Ea quorum unum est propter alterum, non debent ab invicem dividi, quia unum ab alio speciem trahit. (1) Sed sacramentalis manducatio ordinatur ad spiritalem sicut ad finem. Non ergo debet sacramentalis manducatio contra spiritalem dividi.

3. Præterea. Ea quorum unum potest esse sine altero, non debent contra se dividi. Sed videtur quod nullus possit manducare spiritualiter, nisi etiam sacramentaliter manducet: alioquin antiqui patres hoc sacramentum spiritualiter manducassent: frustra etiam esset sacramentalis manducatio, si sine ea spiritualis esse posset. Non igitur convenienter distinguitur circa hoc sacramentum duplex manducatio, scilicet sacramentalis & spiritualis.

Sed contra est quod super illud I. Corinth. XI. *Qui manducat, & bibit indigne &c.* dicit Glossa (ordin.) „Duos dicimus esse modos manducandi, unum sacramentalem, & alium spiritualem.“ (2)

Respondeo dicendum, quod in sumptione hujus sacramenti duo sunt consideranda, scilicet ipsum sacramentum, & effectus ipsius; de quorum utroque jam supra dictum est (quæst. præc.) Perfectus igitur modus sumendi hoc sacramentum est quando aliquis ita hoc sacramentum suscipit quod percipit

ejus effectum. Contingit autem quandoque; sicut supra dictum est (quæst. præc. art. 3. & 8.) quod aliquis impeditur a percipiendo effectum hujus sacramenti: & talis sumptio hujus sacramenti est imperfecta.

Sicut igitur perfectum contra imperfectum dividitur; ita, sacramentalis manducatio, per quam sumitur solum sacramentum sine effectum ipsius, dividitur contra spiritalem manducationem, per quam quis percipit effectum hujus sacramenti, quo spiritualiter homo Christo conjungitur per fidem, & caritatem.

Ad primum ergo dicendum, quod etiam circa baptismum, & alia hujusmodi sacramenta similis distinctio adhibetur. Nam quidam suscipiunt tantum sacramentum, quidam vero sacramentum, & rem sacramenti. In hoc tamen differunt, quia cum alia sacramenta perficiantur in usu materiz, percipere sacramentum est ipsa perfectio sacramenti, hoc autem sacramentum perficitur in consecratione materiz: & ideo uterque usus est consequens hoc sacramentum. In baptismo etiam, & aliis sacramentis characterem imprimentibus illi qui accipiunt sacramentum, recipiunt aliquem spiritualem effectum, scilicet characterem: quod non accidit in hoc sacramento. Et ideo magis in hoc sacramento distinguitur usus sacramentalis a spirituali, quam in baptismo.

Ad secundum dicendum, quod sacramentalis manducatio, quæ pertingit ad spiritalem, non dividitur contra spiritalem, sed includitur ab ea; sed illa sacramentalis manducatio contra spiritalem dividitur quæ effectum non consequitur; sicut imperfectum, quod non pertingit ad perfectionem speciei, dividitur contra perfectum.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum

(1) Sicut in moralibus potissimum omnia formaliter specificantur a fine; qualicumque materialiter & secundum se dici possint, ut suo loco notatum est. Hæc autem, sacramenti Eucharistiz manducatio ad moralium conditionem reducitur, quatenus attenditur in ea quam recte quis manducet.

(2) His quidem verbis vetus scriptura respondens quæstioni quam præsupponit faciendam, quomodo hic aliquis manducans dicatur manducare iudicium cum Dominus e contrario dicat *Qui manducet me ipse vivet propter me: Ad quod dicimus* (inquit) *duos esse modos manducandi, &c.* Moderna vero & impressa verbis paulum immutatis: *Duo sunt modi &c.* Ex Augustino porro in sermone de blasphemia Spiritus sancti pranotatur, hoc est serm. 11. de verbis Domini cap. 11. Ubi æquivalenter tantum & implicite sic dicitur: *Illud quod ait Christus, qui manducat carnem meam & bibit meam sanguinem,*

in me manet & ego illo, quomodo intellexuri sumus? Numquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus dicit Apostolus quod iudicium sibi manducant & bibunt, cum ipsam carnem manducant & ipsam sanguinem bibant? Et mox: *Denique: qui vel corde fisco carnem illam manducant & sanguinem bibunt vel cum manducaverint & biberint, apostatae fiunt nunquid manent in Christo? Sed profecto est quidem modus manducandi illam carnem & bibendi illum sanguinem quo qui manducaverit & biberit in Christo manet: Non ergo quocumque modo quisdam manducaverit carnem Christi & biberit sanguinem Christi manet in Christo, sed certo quodam modo; &c.* Quod expressus, ut hic ex Lombardi Commentario desumptum est quantum ad duos modos manducandi, uno quo non manducant nisi boni, altero quo manducant & mali, ut ibidem etiam addit Glossa.

dictum est (quæst. lxxiii. art. 3.) effectus sacramenti potest ab aliquo percipi, si sacramentum habeat in voto, quamvis non accipiat in re. Et ideo sicut aliqui baptizantur baptismo fluminis propter desiderium baptismi, antequam baptizentur baptismo aquæ; ita etiam aliqui manducant spiritualiter hoc sacramentum, antequam sacramentaliter sumant. Sed hoc contingit dupliciter. Uno modo propter desiderium sumendi ipsum sacramentum: & hoc modo dicuntur baptizari, & manducare spiritualiter, & non sacramentaliter illi qui desiderant sumere hæc sacramenta jam instituta. Alio modo propter figuram; sicut dicit Apostolus I. Cor. x. quod antiqui patres baptizati sunt in nube, & in mari, & quod spirituales escam manducaverunt, & spirituales potum biberunt. Nec tamen frustra adhibetur sacramentalis manducatio: quia plenius inducit sacramenti effectum ipsa sacramenti susceptio quam solum desiderium, sicut supra circa baptismum dictum est (quæst. lxxi. art. 4. ad 2.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim Ludovici Alemanni dicentis: quod in Eucharistia nobis nulla datur ad edendum, aut bibendum substantia corporis, aut sanguinis Christi. Et addentis: Hanc manducationem corporis, & sanguinis Christi spirituales tantum esse, contendimus. Et adhuc magis hæretice evomentis: quod hoc totum, scilicet manducari corpus Christi, & dari ejus substantiam, est imaginarium, & repugnat Dei verbo. Neque vero facit, quod prædictis suis positionibus non neget, hos duos modos manducandi Christum, altera sua hæresis dicens: Christi substantiale corpus, licet ipse a suis fidelibus non sit absens, non esse præsens in hac cœna. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas illas merito damnari a Concilio Tridentino sess. 13. c. 8. Quoad usum autem recte, & sapienter Patres nostri, tres rationes hoc sanctum sacramentum accipiendi distinxerunt, quosdam enim docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere; ut peccatores: alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto, propositum illum cœlestem panem edentes fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, & utilitatem sentiunt: tertios porro sacramentaliter simul, & spiritualiter:

hi autem sunt, qui ita se prius probant, & instruunt ut vestem nuptialem induci ad divinam hanc mensam accedunt. Hæc ibi. Et can. 8. Si quis dixerit: Christum in Eucharistia exhibitum spiritualiter tantum manducari & non etiam sacramentaliter, & realiter, anathema sit. Hæc ibi. Item merito damnari posse a dictis supra articulo num. 115. 123. cum Elucidat. Item a D. August. Quid est Christum manducare? Non hoc est solum in Sacramento corpus ejus accipere. Multi enim indigne accipiunt, de quibus ait Apostolus; Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit. Sed quomodo manducandus est Christus? Quomodo ipse dixit. Qui manducat canem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Hæc item: quæ recitantur, de consec. dist. 2. Unde patet, quod Apostolus & Christus docuerunt hos duos modos manducandi: sacramentaliter tantum (ut Apostolus) sacramentaliter, & spiritualiter simul (ut Christus). In quibus duobus modis intelligitur (ut patet discurrenti) & aliud scilicet spiritualiter tantum. Item a B. Cypriano subtiliter duo modi prædictorum ponuntur in sermone de cœna Dominica, atque ideo hæreses prædamnatæ damnantur his verbis: „ Sacramenta quidem, quantum in se est, sine propria esse virtute non possunt; nec ullo modo divina se absintat majestas mysteriis: sed quamvis ab indignis se sumi, vel contingi sacramenta permittat: non possunt tamen spiritus esse participes, quorum infidelitas, vel indignitas tantæ sanctitudini contradicit. „ Hæc ibi. Tertio vides: quomodo & c.

A R T I C U L U S II. 479

Utrum solus hominis sit hoc Sacramentum spiritualiter sumere.

IV. dist. ix. art. 2. quæst. 3. & 5. & I. Cor. xi. lect. 7.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod non solius hominis sit hoc sacramentum spiritualiter sumere, sed etiam Angelorum. Quia super illud Ps. lxxvii. Panem Angelorum manducavit homo, dicit Glossa (ord. & interl. implic.) „ idest corpus Christi, qui est vere cibus Angelorum. (1) Sed hoc non esset, si Angeli spiritualiter Christum non manducarent. Ergo Angeli spiritualiter Christum manducant.

2. Præ-

(1) Vetus rursus vel manuscripta sic expresse quæ similiter ex Lombardi Commentario desumpta est;

æquivalenter autem & implicite nova vel impressa.

2. Præterea. Augustinus dicit super Joan. (tract. xxvi. inter med. & fi.) *Hunc cibum, & potum societatem vult intelligi corporis, & membrorum suorum, quod est Ecclesia in prædestinatis.* Sed ad istam societatem non solum pertinent homines, sed etiam sancti Angeli. Ergo sancti Angeli spiritualiter manducant.

3. Præterea. Augustinus in Lib. de verbis Domini (serm. xlvi. tom. 10. & loc. cit.) dicit (1) *Spiritualiter manducandus est Christus: quoniam ipse dicit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Sed hoc convenit non solum hominibus, sed etiam sanctis Angelis, in quibus per caritatem est Christus, & ipsi in eo. Ergo videtur quod spiritualiter manducare non solum sit hominum, sed etiam Angelorum.

Sed contra est quod Augustinus dicit super Joan (tract. xxvi. parum a med. tom: ix.) *Panem de altari spiritualiter manducate; innocentiam ad altare apporrate.* Sed Angelorum non est accedere, tamquam aliquid sint inde sumpturi. Ergo Angelorum non est spiritualiter manducare.

Respondeo dicendum, quod in hoc sacramento continetur ipse Christus, non quidem in specie propria, sed in specie sacramenti. Dupliciter ergo contingit manducare spiritualiter ipsum Christum. Uno modo prout in sua specie consistit: & hoc modo Angeli manducant spiritualiter ipsum Christum, (2) in quantum ei uniuntur fruitione caritatis perfectæ, & visione manifesta (quem panem expectamus in patria) non per fidem, sicut nos ei hic unimur.

Alio modo contingit spiritualiter manducare Christum, prout est sub speciebus hujus sacramenti, in quantum scilicet aliquis credit

in Christum cum desiderio sumendi hoc sacramentum: & hoc non solum est spiritualiter manducare Christum, sed etiam spiritualiter manducare hoc sacramentum: quod non competit Angelis. Et ideo licet Angeli spiritualiter manducant Christum; non tamen convenit eis spiritualiter manducare hoc sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod sumptio Christi sub hoc sacramento ordinatur sicut ad finem ad fruitionem patriæ, eo modo quo Angeli eo fruuntur: & quia ea quæ sunt ad finem, derivantur a fine, inde est quod ista manducatio Christi qua eum sumimus sub sacramento, quodammodo derivatur ab illa manducatione qua Angeli fruuntur Christo in patria. (3) Et ideo dicitur homo manducare panem Angelorum, quia primo, & principaliter est Angelorum, qui eo fruuntur in specie propria; secundario autem est hominum, qui Christum sub sacramento accipiunt.

Ad secundum dicendum, quod ad societatem corporis mystici pertinent quidem & homines, & Angeli; sed homines per fidem, Angeli autem per manifestam visionem. Sacramenta autem proportionantur fidei, per quam veritas videtur in speculo, & in enigmate. Et ideo, proprie loquendo, non Angelis, sed hominibus convenit manducare spiritualiter hoc sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod Christus manet in hominibus secundum præsentem statum per fidem; sed in Angelis beatis est per manifestam visionem. Et ideo non est simile, sicut dictum est (in solut. præc.)

A P.

(1) An propter illa quæ superius ex undecimo ejus libri sermone notata sunt? Et nec explicite sed implicite id significant: Sicut & in Decretis distinct. 2. de consecrat. cap. *Quid est*, ubi dicitur: *Sed quomodo manducandus est Christus? Quomodo ipse dicit: Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo:* Quod ut ex libro de verbis Evangelii prænotatur ibidem, sed ex eodem libro de verbis Domini serm. 46. sumptura patet.

(2) Hinc Ambrosius præcacione 1. quam pro Missæ præparatione composuit 3. *Manducat se* (inquit) *Angelus ore pleno* (in patria) *Manducat se peregrinus homo pro modulo suo ne deficere possit in via, &c.*

(3) Nec vero Christum in propria specie manducare dicuntur propter humanitatem per se sumptam, sicut in propria specie dicebatur videri cum in terris viveret, vel ab hominibus beatis post corporum resurrectionem finaliter in cælo videbitur; sed propter

solam ejus divinitatem quæ objectum est fruitionis hic explicatæ, vel propter unionem humanitatis cum ipsamet divinitate seu mysterium incarnationis, cujus contemplatio eos cum admiratione afficit ac delectat secundum illud 1. Petr. 1. vers. 12. *in quem desiderant Angeli prospicere* supple in Christum (ut jam alibi notatum est) Quod autem panem Angelorum dicitur homo manducasse, intelligitur ad litteram de manna quod & Sap. 16. vers. 20. *Angelorum esca* dicitur velut angelico ministerio præparatum, vel simul ad illius excellentiam designandam, sicut suavissimum aliquem cibum *buccellam Regis* appellamus, ne dicam ab Italis quibusdam istiusmodi cibum *boccone di Christo* appellari, ut & *lacrymam Christi* vinum quoddam quod præcipue in deliciis habent; quasi non dissimili sensu manna dicatur panis Angelorum velut *omne delectamentum in se habens & omnis saporis suavissimam*, sicut Sap. 16. describitur.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo : quomodo per rationem ostendas, merito esse insumatum ab Augustino, & Cypriano, quod Angelus non convenit spiritualiter manducare sacramentum Eucharistiae, & consequenter, quod hoc solius hominis est. A B. Aug. quidem, ut cum adaptatione discursiva ponitur in *arg. contr.* Ubi ex ly *Angel. non est acced. ad alt.* *semperquam aliquid inde sumptum*, nota per hunc a D. Thoma virtualiter quasi per locum ab oppositis significat: quod in ly *innocentium ad altare portate*, subintelligitur hoc, scilicet *semperquam aliquid vos homines inde sumptum*. Ac si aperte hominibus dixisset Aug. *innocentiam ad altare portate*; ut ex altari panem sacramentalem comedendo, aliquid utilitatis reportetis. Quod vero sit illud inde reportandum, & ut inde reportetur, prout, sedis cordium suspiriis desiderandum, iam patet q. 79. art. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. Ita quod ad illius questionis doctrina dicamus: in societate ad altare portantes inde sumpturi sunt, & ut plenus fumant, debent summe desiderare gratiam, gloriae meritum, suoque tempore consecutionem: peccatorum mortalium incupabiliter obliturum, cum agnitionum suppleta contritione, remissionem venialium etiam omnium, quibus actu exercitio non inhaeretur (art. 8.) condonationem; poenae juxta devotionis mensuram relaxationem; a peccatis futuris praeservationem, & nisi mens actualiter distrahatur, experimentalem saporis spiritualis dulcedinem. Porro (ut ad textum *arg. contr.* propius revertamur) prudentibus quibuscumque patet, quod Angelorum non est ad altare acced. tanquam aliquid istarum septem utilitatum inde sumpturi. Jam enim beatitudine plena fruuntur, nec proficere ultra possunt, 1. *quest. 62. art. 8. 9.* A B. Cypriano autem id ipsum in principio dictum insinuat per hoc: quod in serm. de caena Domini dicit, Panem Angelorum (sub sacramento manducamus in terris, eundem sine sacramento manifestius edemus in caelis: quando, consummato sacerdotio nostro, erit, & permanebit perpetua, & stabilis, impletus, & sciens non sufficientia; qua proferet se palam, absque ullis tegumentis, omnibus conspicabilis summi praesentia sacerdotis. Ubi patet, beatum Cyprianum discernere inter manducare Christum sub sacramento, & inter manducare illum sine sacramento, & primum quidem

Summ. S. Tb. Tom. XII.

dem solis hominibus pro statu praesenti accedebit, secundum vero vult nos habere commune cum Angelis. Unde etiam secundum ejusdem Cypriani placitum, sententiam ipsius penetrantibus sonitat: quod panis Angelorum non est Eucharistiae sacramentum, sed Christus, qui est in sacramento, non quidem, ut est in sacramento, sed ut est sacramento, id est non est sub tegumentis per fidem, sed ut est hae tegumentis per speciem, visus. Secundo videt: quomodo ex iis bene pensatis, & applicatis, doctrina haec angelica vicissim delectetur. &c.

A R T I C U L U S III. 480

Utrum solus homo justus possit Christum sacramentaliter manducare.

IV. dist. IX. art. 2. quest. 1. & 2. & art. 3. quest. 2. co. fi. & dist. XII. quest. 1. art. 2. quest. 2. cor.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod nullus possit manducare Christum sacramentaliter, nisi homo justus. Dicit enim Augustinus in Lib. de remedio poenitentiae (hab. tract. xxv. in Joan. cir. med.) *Ut quid peccas dement, & venientem? Crede, & manducasti: credere enim in eum, hoc est panem vivum manducare*. Sed peccator non credit in eum, quia non habet fidem formatam, ad quam pertinet credere in Deum, ut in secunda parte habitum est (2. 2. quest. 10. art. 5.) Ergo peccator non potest manducare hoc sacramentum, quod est panis vivus.

2. Præterea. Hoc sacramentum maxime dicitur esse sacramentum caritatis, ut supra dictum est (quest. præc. art. 4.) Sed sicut infideles privantur fide, ita omnes peccatores privantur caritate: infideles autem non videntur posse sacramentaliter sumere hoc sacramentum, cum in forma hujus sacramenti dicatur, *Mysterium fidei*. Ergo pari ratione neque aliquis peccator potest corpus Christi sacramentaliter manducare.

3. Præterea. Peccator magis est abominabilis Deo quam creatura irrationalis: dicitur enim in Psal. XLVIII. *de homine peccatore: Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Sed animal brutum, putamus, aut canis, non potest sumere hoc sacramentum, sicut etiam non potest sumere sacramentum baptismi. Ergo videtur quod pari ratione neque peccatores hoc sacramen-

tum manducant.

Sed contra est quod super illud Joan. vi. *Panes vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt*, dicit Augustinus (tract. xxvi. in Joan. a med.) Multi de atrari accipiunt, & accipiendo moriuntur: unde dicit Apostolus, stultus: *Judicium sibi manducat, & bibit.* (1) " Sed non moriuntur sumendo nisi peccatores. Ergo peccatores corpus Christi sacramentaliter manducant, & non solum iusti.

Respondeo dicendum, quod circa hoc quidam antiqui erraverunt, dicentes; quod corpus Christi nec etiam sacramentaliter a peccatoribus sumitur; sed quam cito labiis peccatoris contingitur, tam cito sub speciebus sacramentalibus desinit esse corpus Christi. (2)

Sed hoc est erroneum: derogat enim veritati hujus sacramenti, ad quam pertinet, sicut supra dictum est (quæst. lxxvi. art. 6. ad 3.) quod manentibus speciebus, corpus Christi sub eis esse non desinat. Species autem manet, quamdiu substantia panis maneret, si ibi adesset, ut supra dictum est (quæst. lxxvii. art. 5. & 8.) Manifestum est autem quod substantia panis assumpta a peccatore non statim esse desinit, sed manet quamdiu per calorem naturalem digeratur, unde tamdiu corpus Christi sub speciebus sacramentalibus manet a peccatoribus sumptis. Unde dicendum est, quod peccator sacramentaliter corpus Christi manducare potest, & non solum iustus.

Ad primum ergo dicendum, quod verba illa, & similia sunt intelligenda de spiritali

manducatione; quæ peccatoribus non convenit. Et ideo ex pravo intellectu horum verborum videtur prædictus error processisse; dum nescierunt distinguere inter corporalem, & spirituales manducationem.

Ad secundum dicendum, quod etiam si infidelis famat species sacramentales, corpus Christi sub sacramento sumit: unde manducat Christum sacramentaliter, si ly sacramentaliter determinat verbum ex parte manducati; si autem ex parte manducantis, tunc proprie loquendo non manducat sacramentaliter, quis non videtur eo quod accipit, ut sacramento; sed ut simplici cibo. Nisi forte infidelis intenderet recipere illud quod Ecclesia confert, licet non haberet fidem veram circa alios articulos, vel etiam circa hoc sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod etiam si mus, vel canis hestiam consecratam manducet, substantia corporis Christi non desinit esse sub speciebus, quamdiu species illæ manent, hoc est quamdiu substantia panis maneret; sicut etiam si projiceretur in lutum. Nec hoc vergit in detractionem dignitatis corporis Christi, qui voluit a peccatoribus crucifigi absque diminutione suæ dignitatis; præsertim cum mus, aut canis non tangat ipsum corpus Christi secundum propriam speciem, sed solum secundum species sacramentales. Quidam autem dixerunt, quod statim cum sacramentum tangitur a mure, vel cane, desinit ibi esse corpus Christi: (3) quod etiam derogat veritati sacramenti, sicut supra

(1) Huc etiam pertinet expressius quod li. 3. de baptismo contra Donatistas cap. 8. ait *Indigne quisque sumens dominicum sacramentum non efficit ut quis non ad salutem accipit, nihil acceperit: Corpus enim Domini & sanguis Domini nihilominus eras etiam illis quibus dicitur Apostolus qui manducant indigne judicium sibi manducas, &c.* Quod & refertur in Decretis dist. 2. de consecrat. cap. *Sicut Judas.*

(2) Quæ olim in Decretis dist. de consecrat. cap. *Ut quid*, velut ex libro de remedio penitentia notabantur, & inde sumpsit S. Thomas; quia nimirum Ivo parte 2. cap. 4. ea subnectit illis quæ proxime ex eodem libro retulerat: quamvis hæc in expositione Evangelicæ haberi addat (hoc est Tract. 35. in Joan.) Algerus autem lib. de sacramentis Eucharistia cap. 8. tom. 6. Bibliothecæ Patrum velut ex libro de penitentia eadem refert, quasi ex libro 50. homiliarum hom. 27. quæ de utilitate penitentia a Possidio inscribitur, desumpta essent, inter illa quæ ibi sacris aule de sacramento Eucharistia differuntur.

(3) Sic nimirum Guiccardus lib. 2. de veritate Eucharistia aliquando post initium objectionem Berengani solvens quod a muribus quoque corroditur vel consumi hoc sacramentum posset; *Mibi equidem (inquit) sacramenta hæc nequaquam a muribus vel aliquibus brutis animalibus videntur posse corroditur: Quod si aliquando velut corrose videntur, potest responderi non esse corrose, sed vel ad puniendam seu corrigendam ministrorum negligentiam, vel ad probandam eorum qui hoc viderint fidem, in tali specie (sive apparentia) posse videri. Ad hoc vero quod a brutis animalibus consumi posse dicuntur, possumus respondere propter prædictas causas vel corrigendam negligentiam vel fidei probanda bruta occensus ad corpus Christi posse accedere, quousque potest humanus visus aspicere; deinde aut mox invisibiliter Angelorum sibi semper assistentium ministerio, vel suapte virtute raptem iri in cuiusque constitui: sicut subjungit factum esse cum a sancto Tarfito Martyre sacramenta portante infideles rapere vellent & in manibus eorum licentiam sola invenerunt: Et hæc addit*

pra dictum est (in corp. art.) Nec tamen dicendum est, quod animal brutum sacramentaliter corpus Christi manducet, quia non est natum uti eo ut sacramento: unde non sacramentaliter, sed per accidens corpus Christi manducat; sicut manducaret ille qui sumeret hostiam consecratam, nesciens eam esse consecratam. Et quia id quod est per accidens, non cadit in divisione alicujus generis; ideo hic modus manducandi corpus Christi non ponitur tertius præter sacramentalem, & spiritualem.

A P P E N D I X.

EX art. habes prima: quomodo per rationem interimas hæresim *Boquinorum*, seu *Boquinarum*, dicentium: quod in cœna Domini manducatur corpus Christi tantum ab his, pro quibus Christus mortuus est. Hoc est: tantum a fidelibus justis. Nam ipsimet *Boquini* sic suum dictum exponendum esse docent, per hoc, quod asserunt, Christum non esse pro omnibus mortuum, sed tantum pro fidelibus, & piis; ut recitavimus, & damnavimus in 3. de *Sal. articulo* n. 261. & in *Veritatibus aureis* super totam legem veterem, *Levit. 4. concl. 6. & cap. 16. concl. 2.* Item hæresim *Petri de Bonageta*, ut refert *Directorium Inquisit. 1. par. pag. 33. in Codice Rom. 1578.* impres. dicentis: Si hostia consecrata a justo, vel peccatore sumatur, dum species dentibus teritur, Christus ad cœlum rapitur, & in ventrem hominis non trajicitur. Item aliam ejusdem, ut refert *Direct. ibidem*, dicentis: Si hostia consecrata a mure corrodatur, vel a bruto sumatur, speciebus remanentibus, sub eis definit esse corpus Christi, & redit substantia panis. Item ejusdem aliam; ut refertur *ibid.* a *Directo.* dicentis: Hostia consecrata in lutum projecta, speciebus remanentibus, sub eis esse definit corpus Christi, & redit substantia

panis. Articuli enim presentis ratio directe omnes has, ac similes, efficaciter impugnat, & expugnat. Pro quo & vide *Concilia, &c.* allegata in *Elucid. q. 76. ar. 6. ad 3. & q. 77. art. 5. 8.* Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari a *Papa Gregorio XI.* ut refert *Directorium Inquisit. ibidem.* Item a *Concil. Trident. sess. 13. c. 8.* per *ly sacramentaliter* duntaxat id sumere; ut peccatores. Vide *art. 1. app.* Item ab *Ecclesia tota* per hoc, quod in sequentia de festo corporis Christi canit. *A sumente non concisus, non contractus, non divisus, integer assumitur. Sumunt unum, sumunt mille, tantum isti, quantum ille: nec sumptus consumitur. Sumunt boni, sumunt mali: forte tamen inaequali, vita, vel interioris.* Hæc *ibi.* Ubi nota *ly solum isti, quantum ille.* Sive scilicet sint boni, sive mali. Nam inter bonos, & malos sumentes Christum totum in hoc sacramento nullam aliam differentiam ponit, nisi *ly forte tamen inaequali, vita, vel interioris.* Item a *Matth. 26. Discumbat cum duodecim discipulis suis, &c. Bibite ex hoc omnes: hic est sanguis meus.* Item a *Matt. 15. Et biberunt ex illo omnes.* Nam ex *ly duodecim, & ly omnes,* patet intentum: quod scilicet etiam mali sumunt corpus, & sanguinem Christi sacramentaliter. Inter duodecim enim, quibus dictum est *ly bibite ex hoc omnes, & (a simili) comedite ex hoc omnes,* de quibus quoque dictum est *ly biberunt ex illo omnes, & a simili,* comederunt ex illo omnes, erat unus peccator pessimus, scilicet *Judas Scarioth.* Tam enim huic, quam aliis, dans Christus panem, vinumque consecratum affirmabat pro certo, se dare corpus, & sanguinem suum. Aut ergo nullus comedit sacramentaliter Christum, quod est evidensissimum mendacium blasphemia summa plenum, aut etiam Judas sacramentaliter ipsum comedit. Quod si non Judas; ergo nec aliorum quisdam. Quoniam, ut diximus, eodem te-

F f 2 nore

addit, quod sive propter causas que jam dictæ sunt, sive propter alias qualescumque quas Deus novit, hæc sacramenta sine sui corruptione a bestiis comedi possunt, quid hoc ad veritatem quam credimus dominici corporis obstat? &c. Sic Magister Sentent. lib. 4. dist. 13. §. 1. seu lit A in fine: *Illud etiam dici potest quod a brutis animalibus corpus Christi non sumitur, nisi sumi videatur: Quid ergo sumis mas vel quod manducat? Deus novit hoc: Nisi forte ideo sensu intellexit quod per accidens tantum sumant corpus Christi, quia sumunt id sub quo est corpus Christi, sicut dist. 9. qu. 1. art. 2. questioe 3. ad 1. interpretatur S. Thomas. Innocentius*

autem tertius lib. 4. de mysticis Missæ cap. 11. *Si queratur (inquit) quid a mure comedatur cum Sacramento corrodatur, vel quid incineratur cum Sacramento crematur: Respondetur quod sicut miraculose substantia panis convertitur cum dominico corpus incipit esse sub Sacramento, sic quodammodo miraculose revertitur cum ipsum ibi desinit esse; non quod illa panis substantia revertatur qua transiit in cornu, sed quod ejus loco alius panis miraculose creatus reponatur: Quomodo hujus accidentia sine subiecto possunt corrodari sicut ad. Præter Algerum similia dicentem cum Guitmundo lib. 2. de veritate corporis Christi cap. 1. tom. 6. Biblioth. Patrum.*

nore verborum Christus illos communicans omnes alloquitur. Item a 1. Cor. 11. *Qui manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Si enim talis peccator non manducaret sacramentaliter corpus Domini, sed tantum species, tunc utique (ut penetrantibus sensum verborum patet) non dixisset Apostolus *ly non dijudicans corpus Domini*; sed dixisset: Non dijudicant signum corporis Domini. Item a B. Cypriano, in serm. de cœna Domini. „ Quamdiu cibi illi, qui ad diem
 „ festum erant parati, a convalescentibus Apo-
 „ stolis sumebantur, veteris paschæ agebatur
 „ memoria: necdum Judas ad veterem vitam
 „ pertinens, diabolo invadente, & occupan-
 „ te animam ejus, egredi cogebatur. Sed,
 „ ubi sacrum cibum mens perfida tetigit, &
 „ sceleratum os panis sanctificatus intravit:
 „ paricidæ animus vim tanti sacramenti
 „ non sustinens, quasi palea de area, exsus-
 „ flatus est, & præceps cucurrit ad proditio-
 „ nem, & pretium, ad desperationem, & la-
 „ queum. *Hæc ibi. Item a D. Aug. super*
 „ *Joan. de sacram. hoc sic dicente*; Non enim
 „ buccella Dominica venenum fuit Judæ:
 „ & tamen accepit, & cum accepit, in eum
 „ inimicus intravit: non quia malum accepit,
 „ sed quia bonum male malus accepit,
 „ &c. Hujus rei sacramentum alicubi quoti-
 „ die, alicubi certis intervallis dierum in Do-
 „ minica mensa præparatur: & de mensa
 „ Dominica sumitur quibusdam ad vitam,
 „ quibusdam ad exitum „. *Hæc ibi. Ter-
 tio vides: quomodo &c.*

ARTICULUS IV. 481

Utrum peccator sumens corpus Christi sacramentaliter, peccet.

Inf. art. 7. & 8. cor. & IV. dist. ix. art. 3. quæst. 1. & 2. & I. Cor. xi lect. 7.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod peccator sumens corpus Christi sacramentaliter, non peccet. Non enim est majoris dignitatis Christus sub specie sacramenti quam sub specie propria. Sed peccatores tangentes

corpus Christi sub specie propria non peccabant; quin etiam veniam peccatorum consequebantur, sicut legitur Lucæ 11. de muliere peccatrice: & Matth. 117. 36. dicitur: *Quicumque resigerunt sibi sibi vestimenti opus, salvi facti sunt.* Ergo non peccat, sed magis salutem consequuntur, sacramentum corporis Christi sumendo.

2. Præterea. Hoc sacramentum, sicut & alia, est quædam spiritualis medicina. Sed medicina datur infirmis ad salutem, secundum illud Matth. 11. 12. *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus*: infirmi autem, vel male habentes spiritualiter sunt peccatores. (*) Ergo hoc sacramentum absque culpa sumere possunt.

3. Præterea. Hoc sacramentum, cum in se Christum contineat, est de maximis bonis. Maxima autem bona, secundum Augustinum in Lib. II. de libero arbitrio (cap. 111.) sunt quibus nullus male potest uti. Nullus autem peccat, nisi per abusum alicujus rei. Ergo nullus peccator sumens hoc sacramentum peccat.

4. Præterea. Sicut hoc sacramentum sentitur gustu, & tactu, ita & visu. Si ergo peccator ex eo quod sumit (***) hoc sacramentum, peccet, videtur etiam quod peccaret videndo: quod patet esse falsum; cum Ecclesia omnibus hoc sacramentum videndum, & adorandum proponat. Ergo peccator non peccat ex hoc quod manducat hoc sacramentum.

5. Præterea. Contingit quandoque quod aliquis peccator non habet conscientiam sui peccati; nec tamen peccare videtur corpus Christi sumendo: quia secundum hoc omnes peccarent qui sumunt, quasi periculo se exponentes; cum Apostolus dicat I. Corinth. 11. 4. *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum*: Non ergo videtur quod peccatori cedat in culpam, si hoc sacramentum sumat.

Sed contra est quod Apostolus dicit I. Corinth. 11. 29. *Qui manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, id est condemnationem.* Dicit autem Glossa (Petri Lomb.) ibidem; quod „ indigne manducat, & bibit, qui in crimine est, vel irreverenter tractat. “ Ergo qui est in peccato

mor-

(*) Ita edita exempla omnia qua vidimus. Cod. Tarro. & Alcan. Ergo hoc sacramentum absque culpa sumi potest. Theologi: Ergo hoc sacramentum corporaliter absque culpa sumi potest: qua est lectio Cujesant, & edit. Plantin. & marginalis edit. Rom.

(**) Ita, Theologi probantibus, ediri. Mss. sive omnia hoc sacramentum in gustu, & tactu, peccat: & mor cod. Alcan. videtur etiam peccaret &c. melius.

mortali, si hoc sacramentum acquirit, mortaliter peccat.

Respondeo dicendum, quod in hoc sacramento, sicut in aliis, id quod est sacramentum, est signum ejus quod est res sacramenti. Duplex autem est res hujus sacramenti, sicut supra dictum est (quæst. lxxiii. art. 6.) una quidem, quæ est significata, & contenta, scilicet ipse Christus; alia autem est significata, & non contenta, scilicet corpus Christi mysticum, quod est societas Sancto- rum.

Quicumque ergo hoc sacramentum sumit, ex hoc ipso significat se esse Christo unitum, & membris ejus incorporatum: quod quidem fit per fidem formatam, quam nullus habet cum peccato mortali. Et ideo manifestum est quod quicumque cum peccato mortali hoc sacramentum sumit, falsitatem in hoc sacramento committit: & ideo incurrit sacrilegium, tamquam sacramenti violator; & propter hoc mortaliter peccat.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus in propria specie apparens non exhibebat se tangendum hominibus in signum spiritualis unionis ad ipsum, sicut exhibetur sumendus in hoc sacramento. Et ideo peccatores eum in propria specie tangentes non incurrebant crimen falsitatis circa divina, sicut peccatores sumentes hoc sacramentum. Et præterea Christus adhuc gerebat similitudinem carnis peccati: & ideo convenienter se peccatoribus tangendum exhibebat; sed remota similitudine carnis peccati per gloriam resurrectionis, se tangi prohibuit a muliere, quæ defectum fidei circa ipsum patiebatur, secundum illud Joan. xx. 17. *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum, scilicet in corde tuo, ut Augustinus exponit (tract. cxxi. in Joan. cir. med.)* Et ideo peccatores, qui defectum fidei formatæ patiuntur circa Christum, repelluntur a contactu hujus sacramenti.

Ad secundum dicendum, quod non quælibet medicina competit secundum quemlibet statum infirmitatis: nam medicina quæ datur jam liberatis a febre ad confortationem, no-

ceret, si daretur adhuc febricitantibus. Ita enim baptismus, & pœnitentia sunt quasi medicinæ purgativæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati; hoc autem sacramentum est medicina confortativa, quæ non debet dari nisi liberatis a peccato.

Ad tertium dicendum, quod maxima bona intelligit Augustinus virtutes animæ, quibus nullus male utitur, quasi principiis mali usus; utitur tamen eis aliquis male, quasi objectis mali usus, ut patet in his qui de virtutibus superbiunt. Ita & hoc sacramentum, quantum est ex se, non est principium mali usus, sed objectum. Unde Augustinus dicit (tract. lxxi. in Joan. cir. princ. (1) *Mali indignè accipiunt corpus Christi: per quod docemur, quam cavendum sit male accipere bonum. Ecce enim per bonum factum est malum, dum male accipitur bonum; sicut e contra Apostolo per malum factum est bonum, cum bene accepit malum, scilicet cum stimulum Satanæ patienter portavit.*

Ad quartum dicendum, quod per visum non accipitur ipsum corpus Christi, sed solum sacramentum ejus: quia scilicet non pertingit visus ad substantiam corporis Christi, sed solum ad species sacramentales, ut supra dictum est (quæst. lxxvi. art. 7.) Sed ille qui manducat, non solum sumit species sacramentales, sed etiam ipsum Christum, qui est sub eis. Et ideo a visione corporis Christi nullus prohibetur qui sit sacramentum Christi consecutus, scilicet baptismum. Non baptizati autem non sunt admittendi etiam ad inspectionem hujus sacramenti, ut patet per Dionysium in Lib. eccl. Hierarch. (2) Sed ad manducationem non sunt admittendi; nisi soli illi qui non solum sacramentaliter, sed etiam realiter sunt Christo conjuncti.

Ad quintum dicendum, quod hoc quod non habet aliquis conscientiam sui peccati, potest contingere dupliciter. Uno modo per culpam suam: vel quia per ignorantiam juris, quæ non excusat, reputat non esse peccatum; puta si aliquis fornicator reputaret, simplicem fornicationem non esse peccatum mor-

(1) Paulo aliis verbis ac pleniore sensu & alio tenore: *Scio moveri posse nonnullos vel impios ut reprehendant, vel pios ut requirant, quod posteaquam panem vinctum traditori suo Dominus, intraverit in illum Satanas: Quibus respondemus, hinc nos potius doceri quam sit cavendum &c. Præter illud quod ex Tract. 6. in Decretis refertur dist. 2. de consecrat. cap. *Es sancta.**

(2) Ubi cap. 7. part. 3. §. 3. *solos Catechumenos a sacro catu (sive choro) arceri ait quod sacri omnis mysterii expertes omnino sint, neque licet eis quidquam eorum aspicere que sancte fiunt, &c. Unde inepte quædam Exemplaria susceptionem legunt licet cetera passim & manuscriptum ipsum, inspectionem:*

mortale: vel quia negligens est in examinatione sui ipsius, contra id quod Apostolus dicit I. Corinth. xi. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* (1) Et sic nihilominus peccat peccator sumens corpus Christi, licet non habeat conscientiam peccati, quia ipsa ignorantia est ei peccatum. Alio modo potest contingere sine culpa ipsius; puta cum doluit de peccato, sed non est sufficienter contritus: sufficit enim si in se signa contritionis inveniat, puta si doleat de præteritis, & proponat cavere de futuris. Si vero ignorat, hoc quod fecit, esse æctum peccati, propter ignorantiam facti, quæ excusat, puta si accessit ad non suam, quam credebat esse suam, non est ex hoc dicendus peccator: similiter etiam si totaliter est peccatum oblitus, sufficit ad ejus deletionem generalis contritio, ut infra dicitur (in sup. quæst. 11. art. 3. ad 2.) unde jam non est dicendus peccator.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse a scripturis, Cypriano, Augustino, & concilio insinuatam: quod existens in peccato mortali, si Eucharistiam sumat, peccat mortaliter. A sanctis quidem Augustino, & Cypriano, per illa, quæ dicunt, secundum quod recitatum de eis fuit a. 3. *oppoñd.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur I. *Corinth.* 11. ut cum glos. ponitur *in arg. contr.* Ubi in Apostolo expone ly *judicium*, idest damnationem. Ad sic enim exponendum urget consuetudo scripturarum in simili materia loquentium: ut Joan. 5. *Procedens, qui bona fecerunt, in resurrectionem visa, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii*, idest, damnationis. Unde pro ly *judicii*, Mat. 25. ponitur ly *supplicium æternum*, & Daniel. 12. ponitur ly *opprobrium*, ut vident semper. Item insinuat idiplum per hoc, quod de his, quæ minoris admodum dignitatis sunt, quam Eucharistia, dicitur Levit. 22. *Omnis homo de stirpe vestra, in quo est immunditia, qui accesserit*

ad ea, quæ consecrata sunt, peribit coram Domino. Mundatus vescetur de sanctificationis: quia cibus illius est. Unde tu ad propositum argue a fortiori. Vide pro meliori captu Veritates aureas super legem veterem, Levit. 22. *conclus.* 2. Item etiam per hoc, quod dicitur Levitic. 7. *Anima polluta, quæ ederit de carnibus bestie pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populo suis.* Ubi pro molliori captu vide easdem Veritates aureas ca. 7. *concl.* 4. A Concilio autem Tridentino. per illud, quod dicit sess. 13. cap. 7. „ Si non decet „ ad sacras illas functiones quempiam accedere, nisi sancte: Certe, quo magis sanctitas, & divinitas celestis hujus sacramenti „ vero Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna „ reverentia, & sanctitate ad id percipiendum accedat. Quare communicare volenti „ revocandum est in memoriam Apostoli „ præceptum; Probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam „ probationem necessariam esse: ut nullus „ sibi conscius peccati mortalis: quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedat; quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris. Quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit: quamprimum confiteatur. Et canon. 11. Ne tantum sacramentum indigne, atque ideo in mortem, & condemnationem sumatur, statuit, atque declarat ipsa sancta synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere, præsumperit: eo ipso excommunicatus existat. Hæc ibi. *Secundo* consequenter ex prædictis aperte vides: merito damnari errorem *Thome de Vio Cajetani* dicentis, ut patet in sua summula de casibus conscientiz tit. *communio*, quod contritus, licet

(1) De hac autem probatione in Concilio Tridentino Sess. 13. cap. 7. sic statuitur: *Ecclesiastica consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramenta-*

li confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat: Quod a Christianis omnibus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris: Et contrarium sentientes Can. 11. excommunicat.

Utrum accedere ad hoc sacramentum cum conscientia peccati sit gravissimum omnium peccatorum.

IV. dist. IX. art. 3. quest. 3. & I. Corinth. XI. lect. 5.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod accedere ad hoc sacramentum cum conscientia peccati sit gravissimum omnium peccatorum. Dicit enim Apostolus I. ad Cor. XI. *Quicumque manducaverit panem, & biberit calicem Domini indigne, veus eris corporis, & sanguinis Domini*: Glossa (1) ibidem: „ hoc est, ac si Christum occiderit, punietur. “ Sed peccatum Christum occidentium videtur fuisse gravissimum. Ergo & hoc peccatum, quo aliquis cum conscientia peccati ad mensam Christi accedit, videtur esse gravissimum.

2. Præterea. Hieronymus dicit in quadam epistola (2) (hab. quoad partem in epist. ad Ocean. de vita cleric. inter ejus op. ascititia.) *Quid tibi cum faminis, qui ad altare cum Deo fabularis; Dic sacerdos, die eterice, qualiter eisdem labiis Filium Dei oscularis, quibus osculatus es labia meretricis; Cum Judæ, osculo Filium hominis tradis?* Ex sic videtur fornicator ad mensam Christi accedens peccare, sicut Judas peccavit, cujus peccatum fuit gravissimum. Sed multa alia peccata sunt graviora quam peccatum fornicationis, & præcipue peccatum infidelitatis. Ergo cuilibet peccatoris ad mensam Christi accedentis peccatum est gravissimum.

3. Præterea. Magis est abominabilis Deo immunditia spiritualis quam corporalis. Sed si quis projiceret corpus Christi in lutum, vel sterquilinum, gravissimum reputaretur ejus peccatum. Ergo gravius peccat, si ipsum samat cum peccato, quod est immunditia spiritualis. Ergo hoc peccatum est gravissimum.

Sed contra est quod super istud Joan. xv. *Si non venissem, & locus eis non fuisset, peccatum non haberent*, dicit Augustinus (tract. lxxxix. in Joan. a princ.) hoc intelligendum

et non confessus, etiam habita copia confessoris de peccato mortali, non peccat mortaliter, quamvis peccet graviter, si sumat Eucharistiam. Item errorem pestilentissimum sapientem hæresim *Lutheri*, ut patet in Bul. Papæ *Leonis X.* contra errores ejus, ubi & iste damnatur, dicentis. Magnus error est eorum, qui accedunt ad hoc sacramentum huic innixi; quod sint sibi conscii alicujus peccati mortalis, quod præmiserint orationes suas, & præparatoria, omnes hi judicium sibi manducant, & bibunt: sed confidunt, & credant, se gratiam ibi consecuturos. Hæc sola fides facit eos puros, & dignos. Contra istum adhuc audi idem Concilium *Trid.* sess. 13. can. 11. *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem preparationem ad sumendum sanctissima Eucharistia sacramentum, anathema sit.* Hæc ibi. Sed & contra illius radicem malam, scilicet inanem fiduciam, dicit sess. 6. c. 9. „ Nemini fiduciam, & certitudinem remissionis peccatorum suorum dimitti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse, dicendum est. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificatos, neminemque a peccatis absolvi, ac justificari, nisi eum, qui certo credit, se absolutum, & justificatum esse: atque hac sola fide absolutionem, & justificationem perfici. Quasi qui hoc non credit, de Dei promissa, de que mortis, & resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam, sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, de que sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem, & indispotionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest. Hæc ibi. Ulterius: qualis, quantaque hic debeat esse præparatio: vide *art. 10. nos. post. concl. primam, & in conclus. 2. Tertio vides: quomodo &c.*

(1) Vetus vel manuscripta sic expressit: *Moderna vero vel impressa quod mortis Christi panem dabis.*
 (2) Adulterina nempe illa que seditii Hieronymi nomine circumferri solebat velut ad Oceanum scripta sed nunc in appendix inter ascititia tom. ult. rejicitur, valde differens ab alia quam verus Hieronymus ad Oceanum reipsa scripsit & est 83. tom. priori: Sed nec in illa posterior Appendix continetur quam velut ex Bernardo Flacco Doctorem citant; sed non occurrit.

datum esse de peccato infidelitatis, quo tenentur cuncta peccata: (1) & ita videtur hoc peccatum non esse gravissimum, sed magis peccatum infidelitatis.

Respondeo dicendum, quod, sicut in secunda parte dictum est (1. 2. quæst. lxxiii. art. 6. & 2. 2. quæst. lxxiii. art. 3.) (2) dupliciter aliquod peccatum potest dici gravius alio: uno modo per se; alio modo per accidens. Per se quidem secundum rationem suæ speciei, quæ attenditur ex parte objecti. Et secundum hoc, quanto id contra quod peccatur, est majus, tanto peccatum est gravius. Et quia Divinitas Christi est major humanitate ipsius, & ipsa humanitas est potior quam sacramenta humanitatis; inde est quod gravissima peccata sunt quæ committuntur in ipsam Divinitatem, sicut est peccatum infidelitatis, & blasphemix. Secundario autem sunt graviora peccata quæ committuntur in humanitatem Christi; unde & Matth. xii. 31. dicitur: *Qui dixerit verbum contra Filium hominis; remittetur ei; qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.* Tertio autem loco sunt peccata quæ committuntur contra sacramenta, quæ pertinent ad humanitatem Christi; & post hæc sunt alia peccata contra puras creaturas.

Per accidens autem unum peccatum est gravius alio ex parte peccantis; puta peccatum quod est ex ignorantia, vel infirmitate, est levius peccatum quod est ex contemptu, vel ex certa scientia: & eadem ratio est de aliis circumstantiis. Et secundum hoc istud peccatum in quibusdam potest esse gravius, sicut in his qui ex actuali contemptu, cum conscientia peccati ad hoc sacramentum acce-

dunt; in quibusdam vero minus grave, puta in his qui ex quodam timore, ne deprehendantur in peccato, cum conscientia peccati ad hoc sacramentum accedunt.

Sic ergo patet quod hoc peccatum est multis aliis gravius secundum suam speciem; non tamen est omnium gravissimum.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum indigne sumentium hoc sacramentum comparatur peccato occidentium Christum, secundum similitudinem, quia utrumque committitur contra corpus Christi; non tamen secundum criminis quantitatem. (3) Peccatum enim occidentium Christum fuit multo gravius: primo quidem quia illud peccatum fuit contra corpus Christi in specie propria; hoc autem peccatum est contra corpus Christi in specie sacramenti: secundo quia illud peccatum processit ex intentione nocendi Christo, non autem hoc peccatum.

Ad secundum dicendum, quod fornicator accipiens corpus Christi comparatur Judæ Christo osculanti, quantum ad similitudinem criminis, quia uterque ex signo caritatis Christum offendit; non tamen quantum ad criminis quantitatem, sicut etiam prius dictum est (in solut. præc.) Hæc tamen criminis similitudo non minus competit aliis peccatoribus quam fornicatoribus. Nam & per alia peccata mortalia agitur contra caritatem Christi, cujus signum est hoc sacramentum; & tanto magis, quanto peccata sunt graviora. Secundum quid tamen peccatum fornicationis magis reddit hominem ineptum ad perceptionem hujus sacramenti, in quantum scilicet per hoc peccatum spiritus maxime carni subicitur; & ita impeditur fervor dilectionis, qui requiritur in hoc sacramento. Plus tamen ponderat

(1) Veluti quodam generali peccato ut ibidem appellat, quod omnium remissionem per se impedit, & ad omnia committenda proclives facit.

(2) Ut ex 1. 2. quæst. 73. art. 6. & 2. 2. quæst. 73. art. 3. prius indicatur ad marginem: Priori tamen loco non sic, sed quod propria per se causa peccati est voluntas peccandi, quæ proinde quanto fuerit major, tanto peccatum ipsum gravius erit; alia vero causa sunt extrinseca tantum aut remota quæ voluntatem ad peccandum inclinans &c. Ibidem præterea art. 3. ex professo gravitas prima & principalis quasi consequens peccatorum speciem ex objecto attendit declaratur; & art. 9. ibi præsupponitur declaratum. Posteriori quoque loco (seu 2. 2.) de peccatis dicitur in proximum id asstrui occasione distractionis de qua ibi agitur ex professo; sed ad qualibet peccatorum genera similiter extendi potest.

(3) Non ergo illud, ut & 2. quod ex veteri Glossa

(sicut jam supra indicatur) & ex Lombardi commentario in epistolas Pauli desumptum est, æqualitatem significat, sed solummodo proportionem quandam, quatenus injuria quæ committitur in imaginem redundat in rem ipsam quam representat quædam proportione; non sic tamen ut absolute ac simpliciter sit æqualis: Unde cum Sacramentum Eucharistiæ sit re ipsa imago quædam vel representatio passionis & Christum passum realiter quidem quantum ad substantiam, sed sacramentaliter quantum ad modum contineat, proportionem habet injuria quæ contra Christum in Sacramento committitur eum injuria quæ contra illum passionis tempore commissa est sed non æqualitatem absolutam. Eodem sensu intelligenda Glossa nova quam & Lombardus insinuat quod *morris Christi panas dabis*, non quod quasi occisor Christi vere ac proprie, sed quasi ejus sorte abutens puniatur.

fat impedimentum ipsius caritatis quam fervoris ejus. Unde & peccatum infidelitatis, quod funditus separat hominem ab Ecclesiæ unitate, simpliciter loquendo, maxime hominem ineptum reddit ad susceptionem hujus sacramenti, quod est sacramentum ecclesiasticæ unitatis, ut supra dictum est (quæst. lxxxiii. art. 4.) Unde & gravius peccat infidelis accipiens hoc sacramentum, quam fidelis peccator; & magis contemnit Christum secundum quod est sub hoc sacramento, præsertim si non credat, Christum vere sub hoc sacramento esse: quia, quantum est in se diminuit sanctitatem hujus sacramenti, & virtutem Christi operantis in hoc sacramento; quod est contemnere ipsum sacramentum in seipso. Fidelis autem qui cum conscientia peccati sumit, contemnit hoc sacramentum non in seipso, sed quantum ad usum, indigne accipiens. Unde & Apostolus I. Cor. xi. assignans rationem hujus peccati, dicit; *Non dijudicans corpus Domini*, id est non discernens ipsum ab aliis cibis: quod maxime facit ille qui non credit Christum esse sub hoc sacramento.

Ad tertium dicendum, quod ille qui projiceret hoc sacramentum in lutum, multo gravius peccaret quam ille qui cum conscientia peccati mortalis ad hoc sacramentum accedit. (1) Primo quidem quia ille hoc faceret ex intentione injuriam faciendi huic sacramento; quod non intendit peccator indigne corpus Christi accipiens. Secundo quia homo peccator est capax gratiæ: unde etiam magis est aptus ad suscipiendum hoc sacramentum quam quæcumque alia irrationalis creatura. Unde maxime inordinate uteretur hoc sacramento qui projiceret ipsum canibus ad manducandum, vel qui projiceret in lutum ad conculcandum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, & recte intelligas, merito esse insinuatam a scripturis, & Glossa, & Papa: quod accedere ad sumendam Eucharistiam. *S. Th. Tom. XII.*

stiam cum conscientia peccati mortalis est, & non est, gravissimum omnium peccatorum. A scripturis quidem, quod non sit, per hoc, quod dicitur Joan. 15. *si non venissem, &c.* ut in arg. *contr.* Ubi super ly *peccatum*, dicit B. Aug. Magnum quoddam peccatum sub generali nomine vult intelligi. Hoc enim est peccatum infidelitatis: quo tenentur cuncta peccata. Quod sane Aug. dictum colligitur ex contextu Evangelico ad litteram planam, Joan. 8. *Ego vado, & quaeritis me, & in peccato vestro moriemini. Si enim non credideritis, quia ego sum; moriemini in peccato vestro.* Ecce: unum peccatum infidelitatis vocat & peccatum, & peccata, denotans per hoc omnia in infidelitate, tamquam in quodam iniquitatum vinculo, contineri. Sed & hoc ipsum denotavit per hoc, quod de Spiritu sancto Christus dixit Joan. 16. *Arguet mundum de peccato, &c.* De peccato quidem, *quia non crediderunt in me;* Utique Spiritus Sanctus per discipulos illos mundum arguiturus erat de omnibus peccatis, ut experientia docuit, utique & Christus hoc sciebat: & tamen in singulari dicit ly *de peccato*. Cum igitur per scripturas peccatum infidelitatis sit gravius ceteris: patet per eas intentum, sc. quod accedere, &c. non est gravissimum. A Glos. etiam insinuat, quod non sit, per hoc, quod super illud Ila. 18. *Ad populum terribilem &c.* dicit. *Omne peccatum blasphemiam comparatum levius est.* A Papa autem Urbano, quod sit, insinuat per hoc; quod ipse ponit, Eucharistiæ sacramentum esse quod dignissimum. Nam, ut patet in *lib. Clement. de reliq. & vener. sancti. cap. 1.* de eo loquens dicit ly *precellsum, ly stupendum, ly sacratissimum, ly excellentissimum, adorandum, colendum, ly præcipuis glorificandum, magnificandum, exaltandum laudibus, atque precemnis, ly nobilissimum, ly summum, ly super omnia pretiosum sacramentum.* Patet vero supra in probatione conclusionis *prima*: quod, quanto dignius est objectum, in quod peccatur, tanto peccatum est gravius. *Discurre tu. Secundo* vides: quomodo &c.

G g

A R-

(2) Quamvis in Opus. 38. quod inscribitur de Sacramento altaris cap. 18. quasi ex Augustino citet S. Thomas. *Quam temerarium est quæcumque nefarium eruentis manibus incemerata Virginis trahere filium. Quis audicus sustineret aurium, quis oculus non confunderet incensum, cujus mens non raperetur in excessum, ubi mundi pretium mittitur in sterquilium.*

um? Non enim minus est deestabile in ea pollutum quam in lutum mittere Dei filium: Sed apud Augustinum, cujus nec stylum olet, nihil tale occurrit & alioquin eo sensu explicandum est quo præcedens appendix, non squalitatem inter utrumque crimen sed ad proportionem referendo; maxime si sic sumatur ex contemptu.

ARTICULUS VI. 483

Utrum sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti.

Inf. quest. lxxx. art. 2. co. & ad 2. & IV. dist. ix. art. 5. quest. 1. per 10. & quest. 2. cor. & quol. v. art. 12.

AD sextam sic proceditur. Videtur quod sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti. Non enim est faciendum contra Christi præceptum propter vitandum scandalum, vel infamiam alicuius. Sed Dominus præcepit Matth. vii. 6. *Nolite sanctum dare canibus*: maxime autem datur sanctum canibus, cum hoc sacramentum peccatoribus exhibetur. Ergo neque propter vitandum scandalum, neque propter vitandam infamiam alicuius, debet hoc sacramentum peccatori petenti dari.

2. Præterea. De duobus malis minus malum est eligendum. Sed minus malum esse videtur, si peccator infametur, vel etiam si ei hostia non consecrata detur, quam si sumens corpus Christi mortaliter peccet. Videtur ergo hoc potius esse eligendum quod vel infametur peccator petens corpus Christi, vel etiam quod detur ei hostia non consecrata.

3. Præterea. Corpus Christi interdum datur suspectis de crimine ad criminis manifestationem. Legitur enim in Decr. II. (1) quest. v. (cap. xxiii.) *Sæpe contingit ut in monasteriis monachorum furta perpetrentur: idcirco statuimus ut quando ipsi fratres de talibus expurgare se debent, Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo cui Abbas præceperit, presentibus fratribus; & sic, expleta Missa, omnes communicent in hac verba: corpus Christi sit mihi hodie ad probationem.* Et infra (cap. xxvi.) *Si Episcopo, aut Presbytero aliquod maleficium fuerit imputatum, pro singulis Missam celebrare debet, & communicare, & de singulis sibi imputatis innocentem se ostendere.* Sed peccatores occultos non oportet ma-

nifestari: quia si frontem verecundia abjecerint, liberius peccabunt, ut Augustinus dicit in Lib. de verbis Domini (serm. xvi.) Ergo peccatoribus occultis non est corpus Christi dandum, etiamsi petant.

Sed contra est quod super illud Psal. xxi. *Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ*, dicit Augustinus (hab. in Glossa ord. & cap. lxxvii. de consecrat. dist. ii. (2)) „ Non prohibeat dispensator pingues terræ, „ idest peccatores, in mensa Domini manducare. “

Respondeo dicendum, quod circa peccatores distinguendum est. Quidam enim sunt occulti, quidam vero manifesti, scilicet per evidentiam facti, sicut publici usurarii, aut publici raptores, vel etiam per aliquod iudicium ecclesiasticum, vel seculare. Manifesti ergo peccatoribus non debet etiam petentibus sacra communio dari. Unde Cyprianus scribit ad quemdam (3) epist. x. Lib. I. *Pro dilectione tua consulendum me existimasti, quid mihi videtur de hisfrionibus, & mago illo, qui apud vos constitutus adhuc in artis sue dedecore perseverat, an talibus sacra communio cum ceteris Christianis debeat dari. Puto nec maiestati divine, nec evangelica disciplina congruere, ut pudor. & honor Ecclesie tam turpi, & infami contagione fœdetur.*

Si vero non sunt manifesti peccatores, sed occulti, non potest eis petentibus sacra communio denegari. Cum enim quilibet christianus, ex hoc ipso quod est baptizatus, sit admissus ad dominicam mensam, non potest ei jus suum tolli, nisi pro aliqua causa manifesta. Unde super illud I. Cor. v. *Si is qui frater nominatur inter vos &c.* dicit Glossa Augustini (4) „ Nos a comunione quemquam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio ecclesiastico, vel seculari nominatum, atque convictum. “ Potest tamen sacerdos, qui est conscius criminis, occulte monere peccatorem occultum, vel etiam in publico genera-

(1) Supple *Causa*, & Concilio Wormatiensi cap. 15. quod sic prius corrupte legebatur; *Missam ab Abbate celebretur vel ab aliquo ex presentibus fratribus*: & mox, *Corpus Domini sit sibi ad probationem*: Restituimus autem ut in Decreti textu cap. Sæpe. Appendix porro sequens cap. *Si Episcopo ex cap. 10. Concilii ejusdem prænotatur.*

(2) Et colligitur non ex Commentario super Psal. 21. ubi nec sic expressè Glossa innuat, sed super Psal. 48. ubi *divites terræ* legit qui manducant nec saturantur; Glossa vero Decreti *peccatores* explicat, sicut per parenthesis S. Thomas.

(3) Nempe ad Euchratium vel Eucratium epist. 61. seu lib. i. epistolarum epist. 16. ex qua refertur in Decretis dist. 2. de consecrat. cap. *Pro dilectione paulo aliter quam hic ut & in Cypriani textu de hisfrionibus quodam qui &c. an talis debeat communicare nobiscum &c.* Est. Decretum vetus addit de mago ut hic.

(4) Non in Glossa moderna & impressa quæ id expunxit, sed in veteri Manuscripta quæ sic expressè habet, ac ex ipsius Augustini lib. 50. homiliarum homilia 50. desumptum est.

raliter omnes, ne ad mensam Domini accedant, antequam de peccatis pœniteant, & Ecclesiæ reconcilientur: nam post pœnitentiam, & reconciliationem etiam publicis peccatoribus non est communio deneganda, præcipue in articulo mortis. Unde in Concilio Carthagenensi (1) legitur: *Scenicis, atque histrionibus, ceterisque hujusmodi personis, vel apostatis conversis ad Deum reconciliatio non negetur.*

Ad primum ergo dicendum, quod sancta prohibentur dari canibus, idest peccatoribus manifestis; sed occulta non possunt publice puniri, sed sunt divino iudicio reservanda.

Ad secundum dicendum, quod licet pejus sit peccatori occulto peccare mortaliter, sumendo corpus Christi, quam infamari, tamen sacerdoti ministranti corpus Christi pejus est peccare mortaliter infamando injuste peccatorem occultum, quam quod ille mortaliter peccet: quia nullus debet peccatum mortale committere, ut alium liberet a peccato. Unde Augustinus dicit in lib. Qq. super Genesim. (2) *Periculosissime admittitur hæc compensatio, ut nos faciamus aliquid mali, ne alius gravius malum faciat.* Peccator tamen occultus potius deberet eligere infamari, quam indigne ad mensam Domini accedere. Hostia tamen non consecrata nullo modo debet dari loco consecratæ, quia sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idololatrare illos qui credunt esse hostiam consecratam, sive alios præsentem, sive etiam ipsum sumentem: quia, ut Augustinus dicit (in Psalm. lcviii. cir med.) *nemo carnem Christi manducat, nisi prius adoret.* Unde extra, de celebratione Missarum (cap. de homine) dicitur: (3) *Licet is qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud; gravius tamen videtur offendere qui fraudulen-*

ter illud præsumpserit simulare.

Ad tertium dicendum, quod decreta illa sunt abrogata per contraria documenta Romanorum Pontificum. Dicit enim Stephanus Papa (4) cit. ab Alex. III. in epist. xix. ad fin.) *Ferri candentis, vel aque ferventis examinatione confessionum extorqueri a quolibet, sacri canones non concedunt: spontanea enim confessione, vel testium approbatione, publica delicta commissa sunt regimini nostro judicare; occulta vero, & incognita illi sunt relinquenda qui solus novit corda filiorum hominum.* Et idem habetur extra, de purgationibus (cap. Ex quarum.) In omnibus enim talibus esse videtur Dei tentatio: unde sine peccato fieri non possunt. Et gravius videretur, si in hoc sacramento, quod est institutum ad remedium salutis, aliquis incurreret iudicium mortis. Unde nullo modo corpus Christi debet dari alicui suspecto de crimine, quasi ad examinationem.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem & ostendas, & recte intelligas, merito esse insinuatam a scripturis: quod sacerdos debet, & non debet denegare sacramentum Eucharistiæ peccatori postulanti. Insinuatur autem, quod debeat, per hoc, quod dicitur Mat. 24. *Quis putas est fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* Quod pro tanto hic adductum sit: pro quanto ibi monstratur, quod servi fidelis, & prudentis est bene dispensare cibaria familiæ domini sui. Per quod (ut patet) a fortiori monstratur: quod, si fidelem prudentiam (ad differentiam infidelis prudentiam illius villici, Luc. 16.) in cibo materiali dispensando bonum est, & a Christo Domino laudabile, utpote ab ipso sic

G g 2 in-

(1) Scilicet Concilio 3. apud Carthaginem habito quod solummodo Provinciale fuit, & can. 35. sic sepe habet, indeque in Decretis dist. 2. de consecrat. refertur, ut cap. *Scenicis* videre est; ubi *apostaticis* pro *apostatis* habetur, ut in ipso etiam Concilii originali textu extat.

(2) Colligitur ex libro 1. quæst. 42. occasione filiarum Loth quas volebat profiteri vere Sodomitis ut eos a vitio contra naturam erga suos hospites cohiberet, quos nesciebat Angelos esse.

(3) Quod est Innocentij 3. ad Rectores Romanæ fraternitatis occasione Presbyteri qui se indignum propter crimina sciens, propter populum tamen se celebrare simulabat.

(4) Puta Stephanus quintus ad Moguntinum Episcopum, sicut refertur in Decretis non de consecrat.

dist. 2. qu. 4. quæ in ipsa Coloniaensi & aliis quibusdam Editionibus prius inepte notabatur, sed quæst. 5. causa 2. cap. 20 quod sic incipit *Consuluisi &c.* Appendix autem sequens quæ item Extra de purgationibus habere indicatur, & de purgatione canonice nunc inscribitur, sic tantum habet: *Ex tuarum intelleximus concinensia litterarum quod cum N. Presbyterum quia infamabatur de homicidio ab officio sacerdotali suspendisses Prædecessoris tui litteras tulit in medium, quibus apparuit eum iudicio aque frigida suam innocentiam purgavisse, ac Episcopum suis eum litteris absoluisse. Quis vero peregrina iudicia sunt inhibita, purgationem quam præstitit sufficere non putantes, mandamus quatenus ei purgationem sanoniam injungas &c.* Quod Lucij Tertij Decretum est.

intentum, sc. quod fideliter, & prudenter dispensetur; multo magis utique cibum hunc supercœlestem; idest, Eucharistiam, bonum erit secundum fidem prudentiam dispensare, & a Christo Domino commendabile, utpote ab ipso sic intentum, sc. quod fideliter, prudenterque dispensetur, & contra. Hoc est, si dispensare cibum illum materialem absque fidei prudentia est malum, & a Christo ilaudabile: multo utique magis (secundum Evangelium illud) erit & malum, & a Christo vituperabile, cibum ipsum supercœlestem dispensare sine prudentia fidei. Constat autem, quod ad sapientem proprie pertinet inspicere illud Catonis: *Cui des videto, seu illud Eccles. 12 Si benefeceris, scito, cui feceris, & consequenter servare illud ejusdem Eccles. cap. eo. Da bono, & non receperis peccatorem.* Scriptura igitur per ly *Quis putas est fidelis, & prudens, &c.* Si applicetur (ut decet) proposito isti, voluit dicere: Cibum Eucharistiæ da justo, non autem peccatori; alioquin tu sacerdos judicaberis imprudens, ac infidelis minister. Insinuatur vero, quod denegare non debeat, per hoc, quod dicitur Psal. 21. *Manducaverunt, &c.* ut cum B. August. expositione ponitur in *arg. cons.* Item per factum Christi narratum *Matth. 26.* Ibi enim patet, quod ipse peccatorem pessimum Judam Scarioth simul cum ceteris existentem (id, quod, ut diximus, est quædam petitio) communicavit, *q. 80. ar. 2. corp. & ad 2.* Noluit autem per denegationem Eucharistiæ eum infamare, aut ei hostiam non consecratam porrigere: sed omnibus dans æqualiter dixit. *Hoc est corpus meum, &: Hic est sanguis meus.* Verum quidem est: quod ipse Christus non ait prius occulte peccatorem occultum inter se, & ipsum solum: idest, in corde ejus (nomine aliorum sc. intelligente, cui diceret) per hoc, quod antea inquit; *Ve homini illi per quem filius hominis tradetur: Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Ac si ergo facto suo dixerit Christus; Peccatori occulto, qui sc. sacerdoti solum pro tali notus est, Eucharistiam petenti, non debet sacerdos negare communionem sacram: prius tamen monitione occultâ, vel generali, ad ipsum caute præmissa. *Secundo* vides: quo-

modo &c.

A R T I C U L U S VII. 484

Utrum nocturna pollutio aliquem impediat a sumptione hujus sacramenti.

2. 2. *quest. cliv. art. 5. & IV. dist. ix. art. 4. quest. 2. & ver. quest. xxviii.*

art. 3. ad 6.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod nocturna pollutio non impediat aliquem a sumptione corporis Christi. Nullus enim impeditur a sumptione corporis Christi nisi propter peccatum. Sed nocturna pollutio accidit sine peccato: dicit enim Augustinus XII. super Gen. ad lit. (cap. xv. ante med.) *Ipsa phantasia, qua fit in cogitatione fermocinantis, cum sic expressa fuerit in visione somniantis, ut inter illam, & veram conjunctionem corporum non discernatur; continuo movetur caro, & sequitur quod eum motum sequi solet; cum hoc tam sine peccato fiat, quam sine peccato a vigilantibus dicitur: quod ut diceretur, procul dubio cogitatum est.* Ergo nocturna pollutio non impedit hominem ab hujus sacramenti sumptione.

2. Præterea. Gregorius dicit in epistola ad Augustinum Episcopum Anglorum (Lib. XII. Regist. epist. xxxi. ad interrogat. 10. vers. fin.) *Si quis sua conjuge non cupidine voluptatis captus, sed tantum procreandorum liberorum gratia utitur, ille profecto sine de ingressu Ecclesie, siue de sumendo corporis dominici mysterio suo est iudicio reliquendus: quia prohiberi a nobis non debet accipere qui in igne positus nescit ardere.* Ex quo patet quod carnalis pollutio etiam vigilantis, si sit sine peccato, non prohibet hominem a sumptione corporis Christi. Multo igitur minus prohibet nocturna pollutio dormientis.

3. Præterea. Nocturna pollutio videtur solam immunditiam corporalem habere. Sed alie immunditiae corporales, quæ secundum legem impediebant ab ingressu Sanctorum, (1) in nova lege non impediunt a sumptione hujus sacramenti; sicut de muliere pariente, vel menstruata, vel fluxum sanguinis patiente scribit B. Gregorius Augustino Anglorum Episcopo (loc. cit.) Ergo videtur quod

(1) Supple *locorum* quæ simpliciter *Sanctis* dici solebant quia Dei cultui consecrata. De lege autem quæ mulierem parientem (siue quæ pepererat) ab ingressu Sanctorum (idest Sanctuarii) excluderat, habes expresse Levit. 12. vers. 4. De muliere menstruata quæ similiter excluderetur, æquivalenter Levit.

15. vers. 19. ac deinceps: De muliere fluxum sanguinis extra menstrua patiente, ibidem vers. 29. ubi septem diebus primum separari jubetur, & ad ostium tabernaculi die octavo stare ut per sacrificium ibi oblatum expietur.

quod neque etiam nocturna pollutio impediatur hominem a sumptione hujus sacramenti.

4. Præterea. Peccatum veniale non impedit hominem a sumptione hujus sacramenti, sed nec etiam peccatum mortale post penitentiam. Sed dato quod nocturna pollutio provenit ex aliquo peccato præcedenti, sive crapulæ, sive turpium cogitationum, plerumque tale peccatum est veniale; & si aliquando sit mortale, potest contingere quod de mane peniteat, & peccatum suum confiteatur. Ergo videtur quod non debeat impediri a sumptione hujus sacramenti.

5. Præterea. Gravius peccatum est homicidii quam fornicationis. Sed si aliquis de nocte somniet se homicidium perpetrare, aut furtum, aut quodcumque aliud peccatum, non propter hoc impeditur a sumptione corporis Christi. Ergo videtur quod multo minus fornicatio somniata cum pollutione subsequente impediatur a sumptione hujus sacramenti.

Sed contra est quod Levit. xv. 16. dicitur: *Vir de quo egredietur semen coitus (1) immundus erit usque ad vesperum.* Sed immundus non patet aditus ad sacramenta. Ergo videtur quod propter pollutionem nocturnam aliquis impediatur a sumptione hujus sacramenti, quod est maximum sacramentum.

Respondeo dicendum, quod circa pollutionem nocturnam duo possunt considerari: unum quidem, ratione cuius ex necessitate impeditur hominem a sumptione hujus sacramenti; aliud autem, ratione cuius non ex necessitate impeditur hominem ab hujusmodi sacramenti perceptione, sed ex quadam con-

gruentia.

Ex necessitate quidem impeditur hominem ab hujus sacramenti perceptione solum peccatum mortale. Et quamvis nocturna ipsa pollutio secundum se considerata peccatum mortale esse non possit; nihilominus tamen ratione suæ causæ quandoque habet peccatum mortale annexum. Et ideo consideranda est causa pollutionis nocturnæ. Quandoque enim provenit a causa extrinseca spirituali, scilicet ex dæmonum illusionem, qui, sicut in prima parte habitum est (quæst. cx. art. 3.) phantasmata commovere possunt, ex quorum apparitione pollutio interdum subsequitur. Quandoque vero provenit pollutio ex causa intrinseca spirituali, scilicet ex præcedentibus cogitationibus. Aliquando autem ex causa intrinseca corporali, vel ex superfluitate, sive debilitate naturæ, sive etiam ex superfluitate cibi, vel potus. Quælibet autem harum trium causarum potest & sine peccato, & cum peccato veniali, vel mortali existere. Et si quidem sit sine peccato, vel cum peccato veniali, non ex necessitate impeditur sumptionem hujus sacramenti, ita scilicet quod homo sumendo sit reus corporis, & sanguinis Domini. Si vero sit cum peccato mortali, impeditur ex necessitate.

Illusio enim dæmonum quandoque provenit ex præcedenti negligentia præparationis (2) ad devotionem; quæ potest esse & mortale, & veniale peccatum: quandoque vero provenit ex sola nequitia dæmonum volentium impedire hominem a sumptione hujus sacramenti. Unde legitur in collationibus Patrum (collat. xxii. cap. vi. (2) quod cum quidam frater peteretur pollutionem semper in testis

(1) Quod sic videtur appellari, non quasi per coitum emitti supponatur, sed quasi a natura huic duntaxat finis destinatum: Nam astoqui si de semine per coitum emisso intelligi deberet, oporteret quotidianas & fere perpetuas immunditias ac purificationes in iis intelligi qui quotidie vel sæpius coirent, quod Lex nullibi prohibuit: Nec obstat quod ibidem additur ver. 18. *Mulier cum qua coieris, immunda erit usque ad vesperum:* Videtur enim sensus esse quod si post effluxum seminis (vel post pollutionem extra coitum) coierit subinde cum aliqua, hæc ejusdem immunditiam particeps erit juxta legem quæ illud omne pro immundo habebat quod immundus quolibet modo tetigisset; Unde non immerito S. Thomas ad qualemcumque pollutionem extra coitum refert; eo nimirum sensu quo & infra ex Deuteronomij 23. ver. 11. expressiorem locum hac applicat.

(2) Ita *miss. & edis. passim.* Al. ad devotionem, & orationem.

(2) Ubi postquam Germano inquirenti cap. 4. *an somnii illusionem pollutus vitanda sit an præsumenda sacro-sanctæ ac salutaris esca percipio,* Theonas mox respondet cap. 7. quod omni quidem industria quantum in nobis est studere debemus ut, immaculatam castimoniam puritatem illo vel maxime tempore teneamus quo venerandis assistere operamus altaribus, & vigilantissima circumspectione præcavendum est ne carnis integritas in ea præcipue in qua nos ad salutatis convitii communionem præparamus non defraudetur: Verum si hostis ille nequissimus ut nobis calidius remediis subtrahat medicinam, custodiam sopite mentis illuserit, ipsa dumtaxat ut nullo reprehensibili interveniente pruritu, nullo contaminatur oblectationis assensu &c. possumus & debemus ad gratiam cibi salutaris confidenter accedere: Tum inferius cap. 6. pergit: *Verum ut manifestius approbetur, quod etiam inimici factione nonnumquam hæc eliciatur impuritas; Novimus fratrem qui cum castimoniam carnis & corporis summa circumspectione atque humilis*

festis in quibus erat communicandum, seniores comperto quod nulla causa ab ipso precesserat, decreverunt quod propter hoc a communione non cessaret; & ita cessavit illatio demonum.

Similiter etiam precedentes cogitationes lascivæ quandoque possunt esse omnino sine peccato; puta cum aliquis causa lectionis, vel disputationis cogitur de talibus cogitare: & si hoc sit sine concupiscentia, & delectatione, non erunt cogitationes immundæ, sed honestæ; ex quibus tamen pollutio sequi potest, sicut patet ex autoritate Augustini supra inducta (in arg. 1.) Quandoque vero precedentes cogitationes sunt ex concupiscentia, & delectatione: & si adit consensus, erit peccatum mortale; si autem desit, erit veniale.

Similiter etiam & causa corporalis quandoque est sine peccato; puta cum est ex infirmitate naturæ, unde quidam etiam in vigilando absque peccato fluxum seminis patiuntur: vel etiam si sit ex superfluitate naturæ: sicut enim contingit sanguinem fluere absque peccato, ita & semen, quod est superfluitas sanguinis, secundum Philosophum (Lib. I. de gener. animal. cap. XIX. a princ.) Quandoque vero est cum peccato, puta cum provenit ex superfluitate cibi, vel potus: & hoc etiam potest esse peccatum veniale, vel mortale; licet frequentius peccatum mortale accidat circa turpes cogitationes, propter facilitatem consensus, quam circa sumptionem cibi, & potus. Unde & Gregorius (loc. sup. cit.) scribens Augustino Anglorum Episcopo dicit, cessandum esse a communione, quando ex turpibus cogitationibus provenit, non autem quando provenit ex superfluitate cibi, vel potus, præsertim si necessitas adsit. Sic igitur ex causa pollutionis considerari potest, utrum nocturna pollutio impediat ex necessitate sumptionem hujus sacramenti.

Ex quadam vero congruentia impedit quantum ad duo. Quorum unum semper accidit scilicet quædam sæditas corporalis, cum quo propter reverentiam sacramenti, non decet ad altare accedere: unde & volentes tangere aliquid sacrum, manus lavant: nisi forte talis immunditia sit perpetua, vel diuturna, sicut est lepra, vel fluxus sanguinis, vel aliquid hujusmodi. Aliud autem est evagatio mentis, quæ sequitur pollutionem nocturnam præcipue quando cum turpi imaginatione contingit. Hoc tamen impedimentum, quod ex congruitate provenit, postponi debet propter aliquam necessitatem; puta, ut Gregorius dicit (loc. cit. ad interrogat. XI.) *sum fortasse aut festus dies exigat, aut exhibere ministerium, pro eo quod sacerdos alius desit ipsa necessitas compellit.*

Ad primum ergo dicendum, quod ex necessitate quidem non impeditur homo a sumptione hujus sacramenti nisi propter peccatum mortale; sed ex quadam convenientia potest homo impediri propter alias causas, sicut dictum est (in corp.)

Ad secundum dicendum, quod coitus conjugalis, si sit sine peccato (puta si fiat causa prolis generandæ, vel causa reddendi debitum) non alia ratione impedit sumptionem hujus sacramenti, nisi sicut dictum est (in corp. art.) de pollutione nocturna quæ accidit sine peccato, scilicet propter immunditiam corporalem, & mentis distractionem: ratione cujus Hieronymus dicit super Matth. (hab. in ferm. de esu agni, qui Hieron. ascribitur sub fin. & cap. Sciatis, XXXIII. quest. IV.) *Si panes propositionis ab his qui uxores resigerant, comedi non poterant, quanto magis ille panis qui de celo descendit, non potest ab his qui conjugalibus paulo ante (*) habere complexibus, violari, atque contingi. Non quod nuptias condemnemus; sed quod eo tempore, quo carnes agni manducaturi sumus vacare carnalibus operibus non debeamus. Sed quia*

tato promeritam jageret possideret, ac nequaquam nocturnis iudificationibus teneretur, quoties tamen se ad percipiendam communionem dominicam præparasset, immundo fluxu dormiens tenebatur: Qui cum multo se tempore a sacrosanctis mysteriis crepuit abstinere, tandem hanc ab Seniores desultis questionem, remedium impugnationis ac doloris sui medicabilem eorum consilio consequiturum se confidens: Ac deinde, quod cum alias causas pollutionis diligenter ab eo inquisitas non invenissent, occultas diabolicæ factionis insidias confestim perviderunt, probantesque nec anime culpam esse nec carnis, sacrosanctis cum epulis debere misceri confidentissimo consue-

runt; ne scilicet si in hac obstinatione (sive abstinentia) durasset, versus maligni hostis laqueis obligatus, sanctificationis & corporis Christi particeps esse non posset, & per hanc fraudem medicis remedium salutis in perpetuum fraudaretur: Quo facta ita omnis diabolica factionis scena detecta est, ut mox virtute dominici corporis protegente, illa præterita illusionis consuetudo cessaret: In quo inimici dolus evidenter apparuit & probata pariter sententia Seniorum que plerumque hunc impurissimum fluxum nec carnis nec anime vitio sed adversarii factiosa docuit iudificatione propelli, &c.

(*) *At. vacavere amplexibus.*

quia hoc secundum congruitatem, & non secundum necessitatem est intelligendum; Gregorius dicit, quod *talis est suo iudicio relinquendus*. Si vero non *amot procreande sobolis sed voluptas dominatur in opere*, ut ibidem Gregorius subdit, tunc prohiberi debet ne accedat ad hoc sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod, sicut Gregorius dicit in epistola supradicta ad Augustinum Anglorum Episcopum (loc. cit. in arg. 2.) in veteri Testamento aliqui pollutum dicebantur figuratiter: quod populus novae legis spiritaliter intelligit. Unde huiusmodi corporales immunditiae, si sint perpetuae, vel diuturnae, non impediunt summptionem huius sacramenti salutaris, sicut impediabant accessum ad sacramenta figurata; si vero cito transeant, sicut immunditia pollutionis nocturnae, ex quadam congruentia impediunt summptionem huius sacramenti per illum diem quo hoc accidit. Unde & Deuter. xxiii. 10. dicitur: *Si fueris inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio, egre dietur extra castra, & non revertetur, priusquam ad vesperam lavetur aqua*.

Ad quartum dicendum, quod licet per contritionem, & confessionem auferatur reatus culpae, non tamen auferitur corporalis immunditia, & distractio mentis ex pollutione consecrata.

Ad quintum dicendum, quod somnium homicidii non inducit corporalem immunditiam, nec etiam tantam distractionem mentis, sicut fornicatio somniata propter delectationis intensiorem; si tamen somnium homicidii proveniat ex causa quae est peccatum, praesertim mortale, impedit a summptione huius sacramenti ratione suae causae.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem & ostendas, & recte intelligas merito esse infirmatum, quod pollutio nocturna impedit a summptione Eucharistiae. Ut per hoc, quod dicitur Levit. 15. *Viv*, &c. secundum quod cum applicatione ponitur in *arg. contr.* Item per hoc, quod dicitur Deut. 23.

Si fueris, &c. secundum quod est in ad *corinth.* Pro cuius ampliori noticia vide Veritates aureas super totam legem veterem, Deut. 23. *concl.* 5. Item a Christo per hoc factum suum, quod in cena illa suprema, qua communionem hanc sacram dedit Apostolis, linteos praecinxit se, *Joan.* 13. locutus pedes ipsorum. Praecinctio enim ista designat restrictionem hominis ab his omnibus, quae ad luxuriam pertinent, inter quae connumeratur saltem materialiter nocturna pollutio. Restrictionem, inquam, maxime tempore communionis de propinquo sumenda: *Lumbos siquidem praecingimus*, ait B. Gregorius *Homil.* 13. super Luc. *sunt lumbi vestri praecincti*. *Et cum carnis luxuriam per continentiam convellamus*. Quoniam lumborum nomine luxuria designatur. *Secundo* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S VIII. 485

Utrum cibus, vel potus praesumptus impediat summptionem huius Sacramenti.

Inf. art. 9. cor. & 2. 2. quest. clixiv. art. 6. ad 2. & IV. dist. viii. quest. 1. art. 4. quest. 1. & 2. & I. Corinth. xi. lect. 4.

AD octavum sic proceditur. Videtur quod cibus, vel potus praesumptus non impediatur summptionem huius sacramenti. Hoc enim sacramentum est a Domino institutum in cena. Sed Dominus, postquam cenavit, hoc sacramentum discipulis suis tradidit, sicut patet Luc. xxii. & I. Corinth. xi. (1) Ergo videtur quod etiam post alios cibos assumptos nos debeamus sumere hoc sacramentum.

2. Praeterea. I. Corinth. xi. 33. dicitur: *Cum convenitis ad manducandum, scilicet corpus Domini, invicem expectate: si quis esuriet, domi manducet: & ita videtur quod postquam aliquis domi manducaverit possit in Ecclesia corpus Christi manducare.*

3. Praeterea. In Concilio Carthaginensi (III. can. xxix.) legitur, & habetur de consec. dist. 1. (cap. xlix. (2) *Sacramenta altaris non nisi a jejuniis hominibus celebrentur*

(1) De calice dumtaxat id expresse dicitur utrobique; scilicet Luc. 22. vers. 20. *Similiter & calicem postquam cenavit* &c. ut & I. ad Corinth. 11. vers. 25. *isidem verbis*: Implicite nihilominus ad Sacramentum totum refertur potest.

(2) Ubi cap. *Sacramenta* ex Concilio Africano cap. 38. praenotatur in fonte, sed ex Concilio 3. Car-

thaginensi cap. 29. restituitur ad marginem: Utrumque autem sic notari potuit, ut habetur utroque modo tomo 1. Conciliorum parte 1. ubi seorsim Africanum Concilium Episcoporum centum quinque refertur & seorsim Carthaginense Concilium 3. quod Africa ex parte tantum fuit.

excepto uno die anniversario quo cœna Domini celebratur. Ergo saltem illa die aliquis potest corpus Christi post alios cibos sumere.

4. Præterea. Sumptio aquæ, vel medicinæ, vel alterius cibi, vel potus in minima quantitate, vel reliquiarum cibi in ore manentium, neque jejunium Ecclesiæ solvit, neque sobrietatem tollit, quæ exigitur ad hoc quod aliquis reverenter sumat hoc sacramentum. Ergo per prædicta non impeditur aliquis a sumptione hujus sacramenti.

5. Præterea. Quidam de nocte profunda comedunt, aut bibunt, & forte totam noctem insomnem ducentes, de mane percipiunt sacra mysteria nondum plene digesti. Minus autem impediretur sobrietas hominis, si in mane parum comederet, & postea circa nonam (1) sumeret hoc sacramentum, cum etiam sit quandoque major distantia temporis. Ergo videretur quod talis cibi præsumptio non impediat hominem ab hoc sacramento.

6. Præterea. Non minor reverentia debetur huic sacramento jam sumpto quam ante sumptionem. Sed sumpto sacramento, licet cibum, aut potum sumere. Ergo & ante sumptionem.

Sed contra est quod Augustinus dicit in Lib. responsionum ad Januarium (epist. liv. al. cxviii. cap. vi. ante med.) *Placuit Spiritui sancto ut in honorem tanti sacramenti prius in os Christiani corpus dominicum intraret quam ceteri cibi*. (2)

Respondeo dicendum, quod aliquid impedit sumptionem hujus sacramenti dupliciter. Uno modo secundum se, sicut peccatum mortale, quod habet repugnantiam ad significationem hujus sacramenti, ut supra dictum est (art. præc. & art. 4. hu. quæst.) Alio modo propter prohibitionem Ecclesiæ: & sic

impeditur aliquis a sumptione hujus sacramenti post cibum, & potum assumptum, triplici ratione.

Primo quidem, sicut Augustinus dicit (loc. cit.) *in honorem hujus sacramenti*, ut scilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo, vel potu infectum. Secundo propter significationem, ut scilicet detur intelligi, quod Christus, qui est res hujus sacramenti, & caritas ejus, debet primo fundari in cordibus nostris, secundum illud Matth. vi. 33. *Quærite primum regnum Dei*. Tertio propter periculum vomitus, & ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc quod homines inordinate cibis utuntur; sicut & Apostolus dicit I. Cor. xi. 21. *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est*.

Ab hac tamen generali regula excipiuntur infirmi, qui statim communicandi sunt, etiam post cibum si de eorum periculo dubitatur, ne sine communione decedant: quia necessitas legem non habet. Unde dicitur de consecrat. dist. 11. (cap. xciii.) *Presbyter infirmum statim communice, ne sine communione moriatur*.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Augustinus in eodem Lib. (loc. cit.) dicit, *neque quia post cibos Dominus dedit, propterea pransi, aut canati fratres ad hoc sacramentum accipiendum convenire debent, aut mensis suis miscere; sicut faciebant, quos Apostolus arguit & emendat. Namque Salvator, quo veementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit artius infigere cordibus & memoria discipulorum; & ideo non præcipit, quod deinceps tali ordine sumeretur, ut Apostolis per quos Ecclesiæ dispositus eras, servaves hunc locum*.

Ad secundum dicendum, quod illud verbum in Glossa (interl.) (3) sic exponitur:

„ Si

(1) An matutinam usu nostro quo a media nocte diem numeramus? An vespertinam usu Judæorum quo diem Solis ortus incipiebat: cum & interdum usque ad illam horam communio Christianorum differretur.

(2) Ut cap. *Liquidum* in Decretis refertur distinct. 2. de consec. post initium: Habetur autem epistola 118. cap. 6. appellaturque *Responsionum liber* propter varias questiones Januarii quibus ibi respondet; addens post appendicem hic notatam quod & refertur infra: *Nam ideo per universum orbem mos iste servatur*: De quo sic Cyprianus quoque ante Augustinum epist. 63. sive lib. 2. epistolarum epist. 3. versus finem: *Non mane sed post cœnam mixtum calicem obtrahit Dominus: Numquid ergo Dominicam*

post cœnam celebrare debemus ut sic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus? Christum offert oportebat circa vespertam diem, ut hora ipsa sacrificii ostenderet occasum & vespertam mundi: Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus: Ut & Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 5. Nec maritus sciet quid secreto ante omnem cibum gustet. &c. Quod ad Eucharistiam spectat, etiam olim domi propter necessarias causas privatim sumi consuetam.

(3) Veteri manuscripta ubi ex Ambrosio prænotatur; non in moderna & impressa quæ rursus id præcessit ut supra: Sed pars tantum illius Ottonis vel Manuscripti ex Ambrosii suppositio in epistolæ Commentario desumpta est; quam Haymo quoque habet

„ Si quis esurit, & impatiens non vult ex-
peſtare alios, *manducet domi* cibos suos,
ideſt pane terreno paſcatur, nec poiſ Eu-
chariſtiam ſumat. “

Ad tertium dicendum, quod capitulum illud loquitur ſecundum conſuetudinem aliquando apud aliquos obſervatam, ut in re- præſentationem dominicæ cœnæ illo die a non jejunis corpus Chriſti ſumeretur. Sed nunc hoc abrogatum eſt: nam, ſicut Auguſtinus in Lib. prædicto (loc. cit.) dicit, *per univerſam orbem mos iſte ſervatur*, ut ſcilicet corpus Chriſti a jejunis ſumatur.

Ad quartum dicendum, quod, ſicut in ſe- cunda parte habitum eſt (2. 2. quæſt. cxlvii. art. 6. ad 2.) duplex eſt jejunium. Primum eſt jejunium naturæ, quod importat priva- tionem cujuſcumque præſumpti per modum cibi, vel potus: & tale jejunium requiritur ad hoc ſacramentum propter prædicta (in corp. art.) Et ideo neque poſt aſſumptio- nem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ, in quantumcumque parva quantitate, licet hoc ſacramentum accipere. Nec refert, utrum aliquid huiusmodi nutriat vel non nutriat, aut per ſe, aut cum aliis, dummodo ſumatur per modum cibi, vel po- tus. Reliquæ tamen cibi remanentes in ore, ſi casualiter tranſglutiantur, non impediunt ſumptionem huius ſacramenti: quia non traji- ciuntur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ: & eadem ratio eſt de reliquiis aquæ vel vini, quibus os abluitur, dummodo non trajiciantur in magna quantitate, ſed permix- tæ ſalivæ; quod vitari non poteſt. Aliud autem eſt jejunium Eccleſiæ, quod inſtitui- tur ad carnis macerationem; & tale jejunium per prædicta non impeditur: quia præ- dicta non multum nutriunt, ſed magis ad al- terandum ſumuntur.

Ad quintum dicendum, quod cum dicitur quod hoc ſacramentum prius quam alii cibi debet in os Chriſtiani intrare, non eſt in- telligendum abſolute reſpectu totius tempo-
Summ. S. Tb. T. XII.

ris; alioquin qui ſemel comediſſet, vel bi- biſſet, numquam poſſet poſtea hoc ſacramen- tum accipere; ſed eſt intelligendum quantum ad eundem diem: & licet principium diei ſecundum diverſos diverſimode ſumatur (nam quidam a meridie, quidam ab occaſu, quidam a media nocte, quidam ab or- tu Solis diem incipiunt;) Eccleſia ta- men Romana diem a media nocte inci- pit. Et ideo ſi poſt mediam noctem aliquis ſumpſerit aliquid per modum cibi, vel potus, non poteſt eadem die hoc ſumere ſacramen- tum; poteſt vero, ſi ante mediam noctem. Nec refert utrum poſt cibum, vel potum aſ- ſumptum dormierit, aut etiam digeſtus ſit, quantum ad rationem præcepti; refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter inſomnietatem, vel indigeſtionem: ex quibus ſi mens mul- tum perturbetur, homo redditur ineptus ad ſumptionem huius ſacramenti.

Ad ſextum dicendum, quod maxima de- votio requiritur in ipſa ſumptione huius ſa- cramenti, quia tunc percipitur ſacramenti effectus: quæ quidem devotio magis impedi- tur per præcedentia quam per ſequentia. Et ideo magis eſt inſtitutum quod homines jeju- nent ante ſumptionem huius ſacramenti quam poſt. Debet tamen eſſe aliqua mora inter ſumptionem huius ſacramenti, & reliquos cibos. Unde & in Miſſa oratio gratiarum actionis poſt communionem dicitur, & com- municantes etiam ſuas privatas orationes di- cunt. Secundum tamen antiquos canones ſta- tutum fuit a Papa Clemente I. (epiſt. 11. a princ.) ut habetur de conſecrat. diſt. 11. (cap. xxiii.) *Si mane dominica portio editur uſque ad ſextam jejunent miniſtri qui eam ſumpſerunt; & ſi tertia, vel quarta hora ac- ceperint, jejunent uſque ad veſperum.* (1) An- tiquitus enim rarius Miſſarum ſolemnia ce- lebrabantur, & cum majori præparatione. Nunc autem, quia oportet frequentius ſacra- myſteria celebrare, non poſſet de facili ob-
H h ſer-

habet: Pars autem iſta, nec poſt Eucharistiã ſu-
mas (ideſt Eucharistiã poſt terrenum panem non ſumas, ut ſit planior & expreſſior conſtructio) ad- ditamentum Lombardi eſt eundem locum commen- tantis. Adde quod contra quosdam pertinaciter aſ- ſerentes Eucharistiã ſumi a non jejunis oportere; Concilium Conſtantienſe ſeſſione 13. decreviſt ac de- finiſt quod licet Chriſtus poſt cœnam inſtituerit & Di- ſcipulis adminiſtraverit hoc venerabile Sacramentum, tamen hoc non oſtante ſacrorum Canonum auctoritas & Eccleſiæ approbata conſuetudo ſervavit & ſervat quod huiusmodi Sacramentum, nec poſt cœnam con-

ficiatur, nec ſumatur a non jejunis niſi in caſu in- firmiſſatis aut alterius neceſſitatis a Jure vel Eccle- ſiã conſeſſo vel admiſſo.

(1) Gap. Tribus & ſ. Tanta prope finem ex epiſto- la 2. Clementis primi quæ in ipſa inſcriptione præ- notatur. Plenius autem ibi: *Qui reſidua corporis Do- mini quæ in ſacrario relicta ſunt, conſumunt, non ſtatim ad communes accipiendos cibos conveniant, ne putent ſanctæ portioni miſcere cibum (vel miſce- ri) qui per equaliculos digeſtus in ſecum fundetur: Si igitur mane dominica portio, &c. ut hic in* textu ſancti Thomæ.

A P P E N D I X ;

EX art. habes primo : quomodo per rationem destruas *Lutheri* errorem , quasi pro consilio ab ipso vafre coloratum talibus verbis : Eucharistiam sumere post cibum sumptum , consultus est , ut videre est in *Lutheri* libello de abroganda Missa privata : secundum quod refert *Chlicoveus* , lib. 2. de officio *Misse* contra *Lutherum* c. 20. & *Thomas Valdensis* , to. 2. de sacramentis ca. 87. Secundo habes : quomodo per rationem ostendas : illam merito damnari a *B. Aug.* secundum quod ponitur in *arg. contr.* & ad 3. Item a Concilio *Constantiensi* , sess. 13. „ Nonnulli post „ cœnam vel alias non jejunos , communi- „ candum esse , temerarie asserunt contra lau- „ dabilem ecclesie consuetudinem rationabili- „ liter approbatam . Hinc est , quod hoc generale concilium declarat , decernit , & definit contra hunc errorem : quod , licet „ *Christus* post cœnam instituerit , & suis „ discipulis ministraverit hoc venerabile „ sacramentum ; tamen , hoc non obstat sacrorum canonum autoritas , & approbata ecclesie consuetudo servavit , & servat , „ quod hujusmodi sacramentum nec conficiatur post cœnam ; nec sumatur a non jejunis , nisi in casu infirmitatis . „ Hæc ibi . De ecclesie potestate circa administrationem sacramentorum vide , & pro semper memoriarum depravatores , & veri sensus scripturarum depravatores , instabiles , ac indoctos , *secunda Petr. tertio* , sedulo commenda illud examen post ad primum , cum Concilio *Tridentino* . ibi narrato . Secundo vides : quomodo &c.

A R T I C U L U S IX. 486

Utrum non habentes usum rationis debeant suscipere hoc sacramentum .

IV. dist. III. art. 5. quest. 3. & 4. & dist. XXIII. quest. 11. art. 2. quest. 4. cor. & Joan. vi. lect. 7.

AD nonum sic proceditur . Videtur quod non habentes usum rationis non debeant

hoc sacramentum suscipere . Requiritur enim quod aliquis ad hoc sacramentum cum devotione , & præcedente sui examinatione accedat , secundum illud *I. Corinth. xi. 28. Probet seipsum homo , & sic de pane illo edat , & de calice bibat .* Sed hoc non potest esse in his qui carent usu rationis . Ergo non debet eis hoc sacramentum dari .

2. Præterea . Inter alios qui carent usu rationis , sunt etiam arreptitii , qui *energumeni* dicuntur . Sed tales etiam ab inspectione hujus sacramenti arcentur , secundum *Dionysium* in *Lib. eccl. Hierarch. (cap. III. ante med.)* Ergo carentibus usu rationis hoc sacramentum dari non debet .

3. Præterea . Inter alios carentes usu rationis maxime pueri videntur esse innocentes . Sed pueris hoc sacramentum non exhibetur . Ergo multo minus aliis carentibus usu rationis .

Sed contra est quod legitur in Concilio *Arausicano I. (can. XIII. & habetur in Decr. XXVI. quest. VI. (cap. Qui recedunt :)* *Amentibus , quacumque pietatis sunt , conferenda sunt : & ita est eis conferendum hoc sacramentum , quod est sacramentum pietatis . (1)*

Respondeo dicendum , quod aliqui dicuntur non habere usum rationis dupliciter . Uno modo quia habent debilem usum rationis , sicut dicitur non videns , qui male videt : & quia tales possunt aliquam devotionem hujus sacramenti concipere , non est eis hoc sacramentum denegandum .

Alio modo dicuntur aliqui non habere totaliter usum rationis . Aut igitur numquam habuerunt usum rationis , sed sic a nativitate permanserunt ; & sic talibus non est hoc sacramentum exhibendum , quia in eis nullo modo præcessit hujus sacramenti devotio : aut non semper caruerunt usu rationis ; & tunc , si prius , quando erant compotes suæ mentis , apparuit in eis devotio hujus sacramenti , debet eis in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi : nisi forte timeatur periculum vomitus , vel expuitionis . Unde in Concilio *Carthaginensi (IV. can. LXXVI.)* legitur , & habetur in *Decret. XXVI. (2) quest. VI. (cap. VIII.)* *Is qui in infirmitate penitentiam petit , si casu dum ad eum sacerdos invisitatus venis , oppressus infirmitate obmusueris , vel in pbr-*

(1) Ab *Augustino* sic vocatum *Tract. 26. in Joan. ut supra .*

(2) Supple *Causa* , ut supra ; non sicut prius *quest. 2. quæ notari debuit sexta . Ex Concilio autem*

Carthaginensi 4. id expresse sumptum est ; ex quo & ex Decreti textu restituumus audierunt pro adierunt . Agitur enim de auditu penitentiam postulantis non de accessu ægrotantis .

phrenesim convulsus fueris, deus testimonium qui eum audierunt, & accipias penitentiam; & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.

Ad primum ergo dicendum, quod carentes usu rationis possunt devotionem ad sacramentum habere, quantum ad aliquos quidem presentem, quantum ad alios autem præteritam.

Ad secundum dicendum, quod Dionysius loquitur ibi de energumenis nondum baptizatis, (1) in quibus scilicet nondum est vis demonis extincta, quæ viget in eis per originale peccatum. Sed de baptizatis qui corporaliter ab immundis spiritibus vexantur, est eadem ratio, & de aliis amentibus. Unde Cassianus (2) dicit (collat. vii. cap. xxx.) *Eis qui ab immundis vexantur spiritibus, communionem sacrosanctam a senioribus nostris nunquam meminimus interdiciam.*

Ad tertium dicendum, quod eadem ratio est de pueris recenter natis, & de amentibus qui nunquam habuerunt ulum rationis. Unde talibus non sunt sacra mysteria danda. Quamvis quidam Græci contrarium faciant, propter hoc quod Dionysius ii. cap. cœlest. Hierat. (cir. med.) dicit, baptizatis esse sacram communionem dandam, non intelligentes, quod Dionysius ibi loquitur de baptismo adultorum. Nec tamen per hoc aliquod detrimentum vitæ patiuntur, propter hoc quod Dominus dicit Joan. vi. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: quia; sicut Augustinus scribit Bonifacio (3) (vide sup. quæst. lxxiii. art. 3. ad 1.) tunc unusquisque fidelium corporis, & sanguinis Domini particeps fit, scilicet spiritualiter, quando in baptisinate membrum corporis Christi efficitur.* Sed quando jam pueri incipiunt aliqua-

lem usum rationis habere, ut possint devotionem concipere hujus sacramenti, tunc potest eis hoc sacramentum conferri.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem & quidem a fortiori, interimas hæresim *Arianorum* dicentium: Ad sanctam communionem non admittendos esse, nisi continentibus, & eos, qui seculo ita renuntiarunt, ut nihil proprium possideant. Patet enim, quod articulus per hoc, quod monstrat, quosdam usum rationis non habentes etiam posse quandoque ad sacram communionem admitti; nulla facta differentia de continentibus, & improprietariis, commonstrat, quod multo magis conjugati, & divites, seu alias incontinentes, & proprietarii (dummodo præmittant confessionem sacramentalem, aliaque præmittenda, a. 4. item q. 79. a. 3. 8.) possunt admitti ad recipiendum hoc sacramentum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari a Concilio *Lateranensi* sub *Ianocent. Tertio. Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti: suscipiens ad minus in Pascha Eucharistia sacramentum. Alioquin & vivens ab ingressu ecclesie arceatur, & moriens c bristiana careat sepultura.* Hæc illud; quæ recitantur extra de pœnitent. & remissis. Constat enim, quod per ly *omnis fidelis utriusque sexus* non tantum continentibus, & nihil proprium possidentes, sed etiam incontinentes, & proprium possidentes, imo & omnium conditionum homines, comprehenduntur. Et vide, quanta restrictione velit, illos omnes Eucharistiam sumere, ex magna pœna transgressorum tum vivo,

H h 2

vivo,

(1) Ut ex ibi adjunctis patet, ubi prophanos vocat & postponit Cathecamenis.

(2) Vel apud illud illum Serenus Abbas Collat. 7. cap. 30. ubi de baptizatis tantum sic se loqui satis offendit, cum non solum despici eos non vult, sed *vitam pro eis tanquam pro membris nostris incessanter orari*; subjungitque ideo eis dari communionem oportere; quia *tum ab homine percipitur, spiritum (scu demonem) in ejus membris insidentem vel quoddam exurens fugas incendium, &c.*

(3) Sic omnia Exemplaria, & Manuscriptum ipsum. Sed non occurrit, nisi epistola 23. ut & lib. 2. ad Bonifacium de baptismo expresse plura dicat: Sine indice ullo citat Exemplar unum veteris Glossæ super 1. ad Corinth. 10. in illa verba, *Calix benedictus cui benedicimus nonne communicatio sanguinis*

Christi est? Aliud Manuscriptum Exemplar nomen Augustini apponit sed non locum: Nihil omnino tale moderna Glossa insinuat: Ex August. in Decretis insinuat dist. 4. de consecrat. cap. *Nulli*, mox post caput *In Ecclesia*, quod ad Bonifacium lib. 1. cap. 22. prænotatur: Secunda vero distinctio. de consecr. cap. *Quia passus* & §. *Ite Dominus*, ut ex sermone de *infantibus* indicatur; sicut & Beda super 1. ad Corinth. ubi supra veluti ex eodem sermone ad *infantes de Sacramento altaris* notat; sed lib. 4. sentent. distinct. 9. ex sermone de *Sacramentis fidelium* notatur ad marginem, quia nimirum initium capituli *Quia passus* cui hæc inferuntur, inde notatum & sumptum est: Demique Polycarpus lib. 3. tit. 10. ut ex Innocentio 1. citat, in cujus epistolis etiam non occurrit.

vivo tum mortuo inflicta: ut inde simul agnoscas, quanta damnatione hæresim contrariam, quam prædiximus, percellat. Item a Christo ipso Jo. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c. non habebitis vitam in vobis.* Item: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Item: *qui manducet meam carnem, &c.* Nulla enim exclusione utitur Dominus, ut patet per ly *Si quis*, ly *manducaveritis*, ly *Qui*: sed, ut ex vocabulis ipsis apertissimum est, universos quarumcumque conditionum homines complectitur. Qua de re merito dicendum videtur, quod præmissum Concil. *Lateranense* sensum verum Christi in Evangelio de sacra ista communionem loquentia artigit, docuit, & explanavit per ly *omnis utriusque sexus fidelis.* Secundo vides: quomodo &c.

ARTICULUS X. 487

Utrum liceat quotidie hoc sacramentum suscipere.

IV. dist. XII. quest. III. art. 1. & I. Corinth. XI. lect. 7.

AD decimum sic proceditur. Videtur quod non liceat quotidie hoc sacramentum suscipere. Sicut enim baptismus repræsentat dominicam passionem, ita & hoc sacramentum. Sed non licet pluries baptizari, sed semel tantum: quia *Christus semel tantum pro peccatis nostris mortuus est*, ut dicitur I. Petr. III. 18. Ergo videtur quod non liceat hoc sacramentum quotidie suscipere.

2. Præterea. Veritas debet respondere figuræ. Sed agnus paschalis, qui fuit figura præcipua hujus sacramenti, ut supra dictum est (quest. LXXIII. art. 6.) non manducabatur nisi semel in anno: semel etiam in anno Ecclesia celebrat Christi passionem, cujus hoc sacramentum est memoriale. Ergo videtur quod non liceat quotidie sumere hoc sacramentum, sed solum semel in anno.

3. Præterea. Huic sacramento, in quo totus Christus continetur, maxima reverentia debetur. Ad reverentiam autem pertinet quod aliquis ab hoc sacramento abstineat: unde & laudatur Centurio, qui dixit Matth. VIII.

8. *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum: & Petrus, qui dixit Lucæ v. 8. Exi a me Domine, quia homo peccator ego sum.* Ergo non est laudabile quod homo quotidie hoc sacramentum suscipiat.

4. Præterea. Si esset laudabile frequenter hoc sacramentum accipere, quanto frequentius sumeretur, tanto esset laudabilius. Sed major esset frequentia, si homo pluries in die sumeret hoc sacramentum. Ergo esset laudabile quod homo pluries in die communicaret; quod tamen non habet Ecclesie consuetudo. Non ergo videtur esse laudabile quod aliquis quotidie hoc sacramentum accipiat.

5. Præterea. Ecclesia intendit suis statutis fidelium utilitati providere. Sed ex statuto Ecclesie fideles tenentur solum semel communicare in anno: unde dicitur extra, de penitentia, & remis. (cap. XII.) *Omnis utriusque sexus fidelis suscipiat reverenter, ad minus in Pascha Eucharistia sacramentum; nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum.* Non ergo est laudabile quod quotidie hoc sacramentum sumatur.

Sed contra est quod Augustinus dicit in Lib. de verbis Domini (serm. XXIII. cir. med.) *Iste panis quotidianus est: accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit.*

Respondeo dicendum, quod circa usum hujus sacramenti duo possunt considerari. Unum quidem ex parte ipsius sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris: & ideo utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat. Unde Ambrosius (1) dicit in Lib. IV. de sacramentis (cap. VI. a med.) *Si quotiescumque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, (*) deo semper accipere; qui semper pecco, deo semper habere medicinam.*

Alio modo potest considerari ex parte sacramenti, in quo requiritur ut cum magna devotione, & reverentia ad hoc sacramentum accedat. Et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quod quotidie sumat. Unde Augustinus cum dixisset, *Accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit*, subiungit: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere.* Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt pro-

(1) Ex quo refertur in Decretis distinct. 2. de consecrat. cap. *Si quotiescumque*; prius autem hic minus plene, detractis illis verbis quæ utrinque supplemus, ad perfectum & plenum sensum integran-

dum, ut semper mibi peccata dimittantur.

(*) Ita communiter. Nicolajus ex Ambrosio sic deo semper accipere, ut semper mibi peccata dimittantur; qui semper pecco &c.

propter corporis indispositionem, (1) vel animæ, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit præparatum. Unde in Lib. de eccl. dogmatibus (cap. liii. (2) dicitur: *Quotidie Eucharistie communionem accipere nec laudo, nec vitupero.*

Ad primum ergo dicendum, quod per sacramentum baptismi configuratur homo mortui Christi, in se suscipiens ejus characterem. Et ideo sicut Christus semel mortuus est, ita solum semel debet homo baptizari. Sed per hoc sacramentum non recipit homo Christi characterem, sed ipsum Christum, cujus virtus manet in æternum. Unde Hebr. x. 14. dicitur: *Una oblatione consumavit in sempiternum sanctificatos.* Et ideo quia quotidie homo indiget salutifera Christi virtute, quotidie potest laudabiliter hoc sacramentum suscipere. Et quia præcipue baptismus est spiritualis regeneratio, ideo sicut homo semel carnaliter nascitur, ita debet semel spiritaliter renasci per baptismum, ut Augustinus dicit super illud Joan. iii. *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex?* (tract. xi. in Joan. aliquant. ante med.) Sed hoc sacramentum est cibus spiritualis: unde sicut cibus corporalis quotidie sumitur; ita & hoc sacramentum quotidie sumere laudabile est. Unde Dominus Lucæ xi. 3. docet petere: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* In cuius expositione Augustinus dicit in Lib. de verbis Domini (loc. sup. cit.) „Si quotidie accipis (scilicet hoc sacramentum,) „quotidie tibi est hodie, tibi quotidie Christus resurgit: (*) hodie enim est, quando Christus resurgit.“

Ad secundum dicendum, quod agnus paschalis præcipue fuit figura hujus sacramenti quantum ad passionem Christi, quæ representatur per hoc sacramentum: & ideo semel tantum in anno sumebatur, quia Christus

semel mortuus est. Et propter hoc etiam Ecclesia celebrat semel in anno memoriam passionis Christi. Sed in hoc sacramento traditur nobis memoriale passionis Christi per modum cibi, qui quotidie sumitur: & ideo quantum ad hoc significatur per manna, quod quotidie dabatur populo in deserto.

Ad tertium dicendum, quod reverentia hujus sacramenti habet timorem amoris conjunctum: unde timor reverentiz ad Deum dicitur timor filialis, ut in secunda parte dictum est (1. 2. quæst. lxxvii. art. 4. ad 2. & 2. 2. quæst. xix.) ex amore enim provocatur desiderium sumendi, ex timore autem confluit humilitas reverendi. Et ideo utrumque pertinet ad reverentiam hujus sacramenti, & quod quotidie sumatur, & quod aliquando abstineatur. Unde Augustinus dicit (epist. lxxv. al. cxviii. cap. liii.) *Si dixerit quispiam, non quotidie accipiendam Eucharistiam, alius contra, faciat unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum: neque enim litigaverunt inter se Zachæus, & ille Centurio, cum alter eorum gaudens suscepit Dominum, alter dixit: Non sum dignus ut intres sub tectum meum: ambo Salvatorem honorificantes, quamvis non uno modo.* Amor tamen, & spes, ad quæ semper Scriptura nos provocat, præferuntur timori. Unde & cum Petrus dixisset, *Exi a me Domine, quia homo peccator sum,* respondit Jesus, *Noli timere.*

Ad quartum dicendum, quod quia Dominus dicit (Lucæ xi.) *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* non est pluries in die communicandum, ut saltem per hoc quod aliquis semel in die communicat, representetur unitas passionis Christi.

Ad quintum dicendum, quod secundum diversum statum Ecclesiæ diversa circa hoc statuta emanaverunt. Nam in primitiva Ecclesia, quando magna vigeat devotio fidei christiænæ, statutum fuit ut quotidie fideles communicarent: unde Anacletus Papa (epist.

I.

(2) Puta ex antedictis immunditiis procedentibus.
 (2) Inter opera Augustini tom 3. cuius nomine in Decretis dist 2. de consecrat. cap. *Quotidie* refertur, nec illius tamen est, ut jam sæpius notavimus. Quid autem illa quotidiana communio requirat, sic ibidem explicat quicumque sit ejus operis author, sicut etiam in Decretis additur; *Quamvis aliquis mordeatur peccato, peccandi non habeas de cetero voluntatem, & communicaturus satisfacias lacrimis & orationibus, & confidens de Domini misericordione qui peccata pia confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus ac securus: & hoc de illo dico quem capitalia & mortalia peccata*

non gravant: Nam quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publica penitentia satisficere, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari. An vero semper hæc publica penitentia necessaria? Non utriusque, nisi publica tantum intelligatur quæ Sacerdotum judicio in Ecclesia fieri solet, cum quis palam ad aures Sacerdotis peccata confiteatur, licet secreto illa dicat; ut inferius in Tractatu Penitentia suo loco recurret annotandum.

(*) *Id est vespere edie, cum mss. In edic. Patav. deest enim. Nicolaus: Hodie est enim tibi quicumque dies, quo tibi Christus resurgit.*

1. in med. & hab. cap. x. de consecrat. dist. 11. (1) dicit: *Pavilla consecratione, omnes communicent qui noluerint ecclesiasticis cavere liminibus: sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.* Postmodum vero, diminuto fidei fervore, Fabianus Papa (decreto VII. & hab. cap. XVI. de consecrat. dist. 11.) indulgit *ut si non frequentius, saltem ter in anno omnes communicent, scilicet in Pascha, Pentecoste, & Natali Domini.* Soter etiam Papa (decreto IV.) in cœna Domini dicit esse communicandum, ut habetur in Decret. de consecrat. dist. 11. (cap. XVII.) Postmodum propter iniquitatis abundantiam, refrigerante caritate multorum, statuit Innocentius III. (in concil. Lateran. IV. cap. XXI.) ut saltem semel in anno, scilicet in Pascha, fideles communicent. Consulitur tamen in Lib. de ecclesiasticis dogmatibus (cap. LIII.) omnibus diebus dominicis esse communicandum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem & ostendas, & recte intelligas, merito esse insinuatam a scripturis, & August. quod est, & non est licitum sumere Eucharistiam quotidie. A B. Aug. quidem, quod sit: ut ponitur in *arg. cont.* Ubi nota, quod ex *ly quotidianus* sumpsit D. Aug. occasionem non solum commendandi quotidianam Eucharistiam communionem: sed etiam ad talem sacramenti ipsius frequentiam exhortandi. Unde, sicut Christus dicens *ly quotidianum*, Luc.

11. loquitur, more suo, formaliter, id est de sacramenti usu quotidiano, quantum est ex parte sacramenti, quomodo & *tertia* articali conclusio locuta est, ita B. Aug. loqui formaliter intelligitur. Dixi *ly more suo*: quia solet Dominus formalem sensum habere in verbis: quotiescumque de tali pane cœlesti loquitur. Et merito quidem, ut altissimo sacramento altissimus verborum sensus, qui formalis est, correspondeat. Discurre per ipsum, studiosissime lector (non enim longius a textu Thomistico divertere proposui) capitulum sextum B. Joannis Evangelistæ, ubi præcipue de hoc agitur: & passim videbis, quæ dico. Ut *ly qui manducat hunc panem*: quantum est ex virtute panis, *vivet in æternum*. *Ly caro mea*, quantum est ex se, *est pro mundi vita*. *Ly non sicut manducaverunt patres vestri manna; & mortui sunt*, quantum fuit ex parte mannae, quia, sc. illud corporeum manna non habebat virtutem neque præservandi a morte peccati, & æterna, neque dandi vitam sive gratiæ, sive gloriæ. *Ly, &c.* a scripturis vero, quod non sit licitum quotidie communicare, insinuat tamquam a fortiori per hoc: quod de puellis ad regem Assuerum ingressuris dicitur Hester capit. 2. ita, *ut sex mensibus oleo ungerentur myrrino, & aliis sc. quibusdam pigmentis, & aromatibus uterentur*. Item per hoc, quod de pueris dicitur Daniel. c. 1. *ut enutritibus annis postea starent in conspectu regis*. Si enim puellæ tales, & pueri, etiam post tantas caras de pulchritudine, de ornatibus (ut ibi habetur) non permittebantur accedere ad secre-

(1) Velut ex epistola ejus 1. refertur in Decretis dist. 1. de consecrat. prope finem capituli *Episcopus quantum ad primam tantum appendixem; Distinct. autem 2. cap. quod incipit Pavilla quantum ad utramque; licet Callixto quædam Exemplaria tribuerent. Sed quod ex Fabiano subjungitur, sic habet caput Epsi; ubi Appendix notat idem in Concilio Turonensi 3. cap. 50. & in Capitularibus lib. 2. cap. 45. præter ultima verba quæ dies determinant, haberi. Sicut & caput quod *In cœna Domini* mox ibidem notatur, sic nomine Soteris absque indice loci decernit: *In cœna Domini a quibusdam percepto Eucharistia negligitur, quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus (exceptis his quibus pro gravissimis criminibus inhibetur) percipienda sit Ecclesiasticus usus demonstrativum etiam puniendum eadem die ad percipiendum corporis & sanguinis Domini sacramenta reconciliatur.* Denique quod ex Innocentio 3. indicatur, idem est quod jam supra in argumento notabatur haberi Extra de pœnitentiis & remissionibus, nempe cap. *Omnis*, & quod in Concilio Lateranensi 4. cap. 31. expresse decretum est. Adde quod sess. 13. in Concilio Tridentino can. 9. sic decernitur:*

Si quis negaverit omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Pascha ad communicandum juxta præceptum sanctæ matris B. clostia, anathema sit. Alioqui eadem sessione cap. & universos hortatur ut memores eximii amoris Jesu Christi qui dilectam animam suam in salutis nostræ pretium & carnem suam nobis ad manducandum dedit, hæc sacra mysteria corporis & sanguinis ejus ea devotione ac pietate venerentur, ut panem illum super substantialem frequenter suscipere possint; cuius vigore confortati ex hujus misera peregrinationis itinere ad caelestem patriam pervenire valeant, &c. Et sess. 22. cap. 6. *Optaret quidem sancta Synodus ut in singulis Missis fideles assistentes non solum spirituali affectu sed sacramentali etiam Eucharistia percipiione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret: Nec tamen si id non semper fiat, propterea Missas illas in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnet, sed probas atque adeo commendat, &c.*

secretum regis thalamum, nec stare in conspectu regis terreni; nisi post unum, vel tres annos; quid nobis exinde datur intelligi de iis, qui ad conspectum summi regis secretissimum, atque sacratissimum volunt accedere, idest Eucharistiam sumere? Hoc videlicet, quod debent multo magis ad tantam divinæ majestatis mensam accessuri, & studio magno spiritualibus ornamentis accurate præparari; & nonnisi post multos dies interpositos ad communionem ingredi, atque reverti. Porro, quantum pertinet ad illos spiritualis reverentiæ ornatus; & unde eos acquirere valeamus, quod totum ad præsentis articuli materiam facit, vide Veritates aureas super legem veterem, Gen. 14. concl. 3. Ex præmissis itaque omnibus ad illam quæstionem communiter sæpius ventilatam patet, quid secundum sanam tantorum virorum doctrinam simul cum scripturis acceptam de frequentia majori, vel minori communionis sacramentalis dicendum sit. Quam quidem tam lucide, tam copiose, tam resolute, tamque firmiter, sancte, & catholice, Doctor noster vere Angelicus enucleavit, ut nihil supra. *Secundo* vides: quomodo &c.

ARTICULUS XI. 488

Utrum liceat omnino a communione cessare.

IV. dist. XII. quæst. III. art. 2.

AD undecimum sic proceditur. Videtur quod liceat cessare omnino a communione. Laudatur enim Centurio de hoc quod dicit Marth. VIII. 8. *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum*: cui comparatur ille qui reputat a communione sibi esse abstinendum, ut dictum est (art. præc. ad 3.) Cum ergo nunquam legatur Christum in ejus domum venisse, videtur quod liceat alicui toto tempore vitæ suæ a communione abstinere.

2. Præterea. Cuilibet licet abstinere ab his quæ non sunt de necessitate salutis. Sed hoc sacramentum non est de necessitate salutis, ut supra dictum est (quæst. LXXXIII. art. 3.) Ergo licet a sumptione hujus sacramenti omnino cessare.

3. Præterea. Peccatores non tenentur communicare: unde Fabianus Papa (loc. cit. art. præc. ad 5.) cum dixisset, *Ter in anno omnes communicent*, adjunxit: *Nisi forte quis majoribus criminibus impediatur*. Si ergo illi

qui non sunt in peccato, tenentur communicare, videtur quod melioris conditionis sint peccatores quam iusti: quod est inconveniens. Ergo videtur quod etiam iustis liceat a communione cessare.

Sed contra est quod Dominus dicit Joan. VI. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis. & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. 1. hu. quæst.) duplex est modus percipiendi hoc sacramentum, scilicet spiritualis, & sacramentalis. Manifestum est autem quod omnes tenentur saltem spiritualiter manducare: quia hoc est Christo incorporari, ut supra dictum est (quæst. LXXXIII. art. 3. ad 1.) Spiritualis autem manducatio includit votum, seu desiderium percipiendi hoc sacramentum, ut supra dictum est (ibid.) Et ideo sine voto percipiendi hoc sacramentum non potest homini esse salus.

Frustra autem esset votum, nisi impleteret quando opportunitas adesset. Et ideo manifestum est quod homo tenetur hoc sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicentis Luc. XXII. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*. Ex statuto autem Ecclesiæ sunt determinata tempora exequendi Christi præceptum.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Gregorius dicit in Pastoralis (parte 1. cap. VI.) *illa est vera humilitas, cum ad respondendum quod utiliter precipitur, pertinax non est*. Et ideo non potest esse laudabilis humilitas, si contra præceptum Christi, & Ecclesiæ aliquis omnino a communione abstinere. Neque enim Centurioni præceptum fuit ut Christum in sua domo reciperet.

Ad secundum dicendum, quod hoc sacramentum dicitur non esse necessitatis, sicut baptismus, quantum ad pueros, quibus potest esse salus sine hoc sacramento, non autem sine sacramento baptismi; quantum vero ad adultos, utrumque est necessitatis.

Ad tertium dicendum, quod peccatores magnum detrimentum patiuntur ex hoc quod repelluntur a perceptione hujus sacramenti: unde per hoc non sunt melioris conditionis: & licet in peccatis permanentes non excusentur propter hoc a transgressione præcepti; pœnitentes tamen, qui, ut Innocentius dicit (loc. cit. art. præc. ad 5.) secundum consilium sacerdotis abstinere, excusantur.

APPENDIX.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, Concilio, Cyrillo, quod non licet cessare omnino a communione. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Jo. 6. *Nisi manducaveritis, &c. ut in arg. cons.* Ubi adverte, quod autoritas illa, si loquamur absolute de quibuscumque hominibus, intelligitur secundum D. Th. de manducatione spiritali, sic enim & pueri baptizati manducant, q. 73. art. 3. si vero loquamur tantum de adultis, intelligitur de manducatione sacramentali: & hoc modo ipse accipit hic illam. Alioquin, ut patet, non concluderet per autoritatem illam suum propositum: quod est, non licere, a communione sacramentali cessare omnino: seu quod in idem redit, sacramentum hoc esse necessitatis respectu adultorum. Ut ipse dicit in *ad 2. & dixit 1. q. 14. art. 3. & dixerat in 4. dist. 9. q. 1. art. 1. quasiuncula 2.* licet alia ratione sit necessitatis, quam baptismus, q. 73. art. 3. corp. Semper enim in hoc, quod Euch. sit modo nunc dicto sacramentum necessitatis, sibi constat D. Thomas: nisi quod in hac summa Theologiz doctiorem se demonstravit, quam in *sensentiarum lib. 4.* nunc citato. Nam ibi nullam fecit mentionem de praecepto Christi, quamvis nec illud negaverit, ut patet legenti locum ipsum; sed tantum de determinatione ecclesiae: hoc autem in loco fecit de utroque mentionem. Nec mirum est, aliquem seipso doctiorem, etate crescente, fieri: aut etiam se demonstrare talem, quando oportet. Quia igitur summam hanc, tamquam suum ultimum testamentum, voluit esse Divus Thomas: ideo supplere hic debuit, quod alibi non expresserat: maxime in tanti negotii decisione firma. Et certe quid firmitus in tanta re adduci potuit: quam praeceptum Christi dicentis: *Hoc facite in meam commemorationem*: ubi & praecipit, & ad praeceptum servandum, ex tenerrima sui ineffabilis amoris commemoratione, vehementer adstringit? Circa quod praeceptum ultra ea, quae dicta fuerunt in *not. post prob. concl. 3.* advertas; quod secundum Concilium *Trid.* ibi recitatum illud mandatum Christi necessario cadit super hoc facere. Concilium enim ipsum ead. sess. 22. etiam cap. 1. hoc patenter monstravit dicens. „ Deus, & Do-

„ minus noster Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, ut corpus & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini offerrent, praecipit per haec verba. Hoc facite in meam commemorationem, uti semper catholica Ecclesia intellexit, & docuit. „ Haec ibi. Si per verba illa praecipit, ut offerrent; ergo per eadem praecipit, ut sumerent (nam sacerdos offerens de necessitate ad sumendam Eucharistiam oblatam tenetur. *quest. 82. art. 4.* ex Concilio *Toletano.* ergo etiam per eadem praecipit, ut aliis illam ministrarent) ut aperuit ecclesia in hymno sup. not. citato. Dominus itaque per *ly hoc* intellexit illud totum, quod ipse tunc agebat, & offerre, quod praesupponit consecrare, & sumere, & aliis ministrare. Quandoquidem tunc ipse seipsum sub speciebus illis sacramentalibus Deo patri obtulit, teste Concilio *Trident. sess. 22. capit. 1.* seipsum sacramentaliter sumpsit, *quest. 81. articu. primo,* & seipsum aliis ministravit. *quest. 81. art. 2. servio.* Nec solum Doctor sanctus suo perspicacissimo intellectu penetravit tria illa, imo & quatuor comprehendi a Christo sub *ly Hoc*, ut ipse in praesenti textu breviter, ac subtiliter innuit, sed etiam Concil. *Trident.* quasi seipsum in sess. vigesima secunda, ut supra locutum, declarans adhuc aperte in sess. 23. cap. primo, dicit. „ Novum, visibile, & exterum, num sacerdotium a Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus, & sanguinem ejus, sacrae litterae ostendunt, & catholice Ecclesiae traditio semper docuit. „ Haec ibi. Ne tamen credideris, ob praemissam expositionem in textu corp. datam super *ly hoc facite*, &c. quod Divus Thomas nesciat, vel neget id, quod aliquando ipsemet virtualiter docuit, scilicet, quod *ly hoc facite* refertur ad sui commemorationem, tamquam si diceretur: *Hoc, quotiescumque feceritis, in meam commemorationem facietis.* Sed, tali sensu vult dicere, quod principale intentum per *ly hoc facite*, est praecipere de re fienda, idest consecranda, offerenda, sumenda, aliisque ministranda. Ac si, secundum doctorem ipsum, Christus per illa verba has duas sententias, quas intendebat, expressisset apertius dicens. Hoc totum, quod ego facio nunc, praecipio, ut vos postea faciatis: & quotiescumque hoc feceritis, facite in meam commemorationem. Ubi patet, quod ista relatio ad commemorationem

sequitur ad principale idest ad facere id quod & docet Ecclesia tamquam factis suis approbans omnem prædictam Beati Thomæ doctrinam, super *ly hoc facite*: dum admonet in canone Missæ sacerdotes: ut prius hoc, idest Eucharistiam, faciant, idest consecratam offerant: & postea subjungant, *hec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Ecce duo sensus de *ly hoc facite*: unus principalis, scilicet præceptum Christi, sine quo sacerdotes nec præsumerent, nec possent facere hoc: *alter* consequens, scilicet ordinare illud facere suum in memoriam Christi. A Concilio autem *Trident.* id, quod in principio appendicis positum est, insinuat per hoc, quod, dicit sessione decimatertia canone nono. „ Si quis negaverit, omnes, & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum; juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ: anathema sit. „ Hæc ibi. In quibus, quia in eodem præcepto de communionem continetur, videtur a simili subintelligendum circa communionem esse illud, quod de confessione expressit idem concilium sessione decimaquarta, capitulo quinto, dicens. „ Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christiani fideles confiterentur; quod jure divino necessarium, & institutum esse intellexerat: sed, ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. „ Hæc ibi. Ex quibus applicatis ad communionem confirmatur proprietates locutionis in textu *ly ex statuto Ecclesiæ sunt determinata tempora exequendi Christi præceptum*. A Beato Cyrillo item insinuat id ipsum per hoc, quod super B. Joannis Evangelium dicit. „ Sciant baptizati homines, & divinæ gratiæ participes facti: si rarius in ecclesiam proficiantur, & longo temporum spatio, propter simulatam religionem mystice communicare Christo recusent ab æterna se vita procul depellere. Quippe recusatio hujusmodi, quamvis ex religione proficisci videatur, & scandalum facit, & laqueos instruit. Quare oportet, omnibus

Summ. S. Tb. Tom. XII.

„ viribus a peccato mundari: & esse vivendi jactis fundamentis, magna cum fiducia ad sumendam vitam concurrere. Hæc ibi. Ex prædictis patet: contra hæresim *Neutralium* sacramentiariorum dicentium: quod neque una species, neque utraque sacramenti, est necessaria: sed sola fides sufficit. *Secundo* vides: quomodo &c.

ARTICULUS XII. 489

Utrum liceat sumere corpus Christi sine sanguine.

Inf. quest. lxxxii. art. 4. & IV. dist. xii. quest. 111. art. 1. quest. 2.

AD duodecimum sic proceditur. Videtur quod non liceat sumere corpus Christi sine sanguine. Dicit enim Gelasius Papa, & habetur de consecrat. dist. 11. (cap. XII.) *Comperimus quod quidam, sumpta tantummodo corporis sacri portione, a calice sacrati cruoris abstinent; qui proculdubio, quoniam nescio qua superstitione docentur adstringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur.* Non ergo licet sumere corpus Christi sine ejus sanguine.

2. Præterea. Ad perfectionem hujus sacramenti concurrit & manducatio corporis, & potatio sanguinis: ut supra habitum est (1) Si ergo sumatur corpus sine sanguine, erit sacramentum imperfectum; quod ad sacrilegium pertinere videtur: unde ibidem Gelasius subdit: *quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio provenire non potest.*

3. Præterea. Hoc sacramentum celebratur in memoriam dominicæ passionis, ut supra dictum est (loc. cit.) & sumitur pro animæ salute. Sed passio Christi magis exprimitur in sanguine quam in corpore: sanguis etiam pro salute animæ offertur, ut supra habitum est (ibid.) Potius ergo esset abstinendum a sumptione corporis quam a sumptione sanguinis. Ergo accedentes ad hoc sacramentum non debent sumere corpus Christi sine ejus sanguine.

Sed contra est multarum Ecclesiarum usus, in quibus populo communicanti datur corpus Christi sumendum, non autem sanguis. (2)

I i Ref-

(1) Tum quest. 74. art. 1. ubi proinde materia illius panis, & vinum assignatur: Tum quest. 76. art. 2. ad 1. ubi duæ species consecrari dicuntur non obstante quod Christus in alterutra separatim contineatur totus. Ex istdem etiam locis ea sumuntur quæ his paulo post indicantur jam superius dicta esse.

(2) Et quidem nunc omnium Ecclesiarum (in Occidente saltem) hic usus est: Hinc sess. 13 Concilii Constantiensis ad refellendum hunc errorem quod quidam in nonnullis partibus mundi afferere temerarie præsumebant populum Christianum debere Sacramentum

Respondeo dicendum, quod circa usum hujus sacramenti duo possunt considerari, unum ex parte ipsius sacramenti, aliud ex parte summentium. Ex parte quidem ipsius sacramenti convenit quod utrumque sumatur, scilicet, & corpus, & sanguis, quia in utroque consistit perfectio sacramenti. Et ideo quia ad sacerdotem pertinet hoc sacramentum consecrare, & perficere, nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine.

Ex parte autem summentium requiritur summa reverentia, & cautela, ne aliquid accidat quod vergat ad injuriam tanti mysterii. Quod præcipue posset accidere in sanguinis sumptione, qui quidem si incaute sumeretur, de facili posset effundi. Et quia crevit multitudo populi christiani, in qua continentur senes, & juvenes, & parvuli, quorum quidam non sunt tantæ discretionis, ut cautelam debitam circa usum hujus sacramenti adhibeant; ideo provide in quibusdam Ecclesiis observatur ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum a Sacerdote sumatur.

Ad primum ergo dicendum, quod Gelasius loquitur quantum ad sacerdotes, qui sicut totum consecrant sacramentum, ita etiam toti communicare debent. Ut enim legitur in Concilio Toletano (XII. can. v.) *quale eris sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur*.

Ad secundum dicendum, quod perfectio hujus sacramenti non est in usu fidelium, sed in consecratione materiæ. Et ideo nihil derogat perfectioni hujus sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine, dummodo sacerdos consecrans sumat utrumque.

Ad tertium dicendum, quod representatio dominicæ passionis agitur in ipsa consecratione hujus sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari. Potest autem a populo corpus sine sanguine sumi; nec exinde sequitur aliquod detrimentum: quia sacerdos in persona omnium sanguinem offert, & sumit; & sub utraque specie totus Christus continetur, ut supra habitum est (quæst. lxxvi. art. 2.)

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Caliculariorum, Hussitarum, & Bobemorum*, dicentium: sub utraque specie panis, & vini necessario esse communicandum. Et addentium: quod communicans sub una tantum specie committit sacrilegium, & agit contra præceptum Christi præcipientis esse communicandum sub utraque specie, ideo peccat etiam, si laicus sit. Et destruas errorem *Lutheri*, ut refertur in *Bulla Leonis X.* contra errores illius, dicentis

mentum Eucharistiæ sumere sub utraque specie, ut & sic passim communicabant, sic dicitur ac decernitur: *Licet in primitiva Ecclesia hujusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, tamen hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta quod a conscientibus sub utraque specie, & a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur; cum firmissime credendum sit & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis quam sub specie vini contineri: Qua propter dicere quod hanc legem & consuetudinem observare sit sacrilegium aut illicitum, censeri debet erroneum: & pertinaciter assertentes oppositum eamquam hæresici arcendi & graviter puniendi sunt: Et itox: Item præcipimus sub panis excommunicationis quod nullus Presbyter communicez populum sub utraque specie panis & vini: Sed & in Concilio Tridentino sess. 21. cap. 1. Sancta Synodus a Spiritu Sancto edocta (qui est spiritus consilii & pietatis) atque ipsius Ecclesie judicium & consuetudinem sequuta, declarat & docet nullo divino præcepto laicos & Clericos non conscienties obligari ad Eucharistiæ sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto salva fide dubitari posse quin illis ulterius speciei communicatio ad salutem sufficiens: Nam etsi Christus Dominus in ultima cena venerabile hoc Sacramentum in panis & vini speciebus instituit & Apostolis tradidit, non*

tamen illa institutio & traditio eo tendunt ut omnes Christi fideles ad utramque speciem accipiendam astringantur: Sed neque ex sermone illo apud Joannem c. 6. recte colligitur utriusque speciei communionem a Domino præceptam esse, utrumque juxta varias Patrum & Doctorum interpretationes intellegitur: Nam qui dixit, Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque, Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: Et qui dixit, Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, dixit etiam: Panis quem ego dabo; caro mea est pro mundi vita, &c. Unde can. 1. Si quis dixerit ex Dei præcepto vel necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit: Et can. 2. Si quis dixerit sanctam Ecclesiam Catholicam non iustis causis & rationibus adductam fuisse ut laicos atque etiam Clericos non conscienties sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit: Et can. 3. Si quis negaverit totum & integrum Christum, omnium gratiarum fontem & auctorem sub una panis specie sumi; (ut quidam falso assunt) non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur, anathema sit.

cantis: quod consultum videtur, quod Ec-
 clesia in communi concilio statueret; Laicos
 sub utraque specie communicandos. *Secundo*
habes: quomodo per rationem ostendas, has
 merito damnari a Concilio *Constantiensi* sess.
 decima tertia. „ Licet Christus suis discipu-
 „ lis administraverit sub utraque specie pa-
 „ nis, & vini hoc venerabile sacramentum,
 „ tamen, hoc non obstante, approbata con-
 „ suetudo Ecclesie servat: quod a laicis tan-
 „ tummodo sub specie panis suscipiatur. Et,
 „ licet in primitiva Ecclesia hujusmodi sa-
 „ cramentum reciperetur a fidelibus sub utra-
 „ que specie: tamen hæc consuetudo ad evi-
 „ tandum aliqua pericula, & scandala est
 „ rationabiliter introducta; quod a conficien-
 „ tibus sub utraque specie, & a laicis tan-
 „ tummodo sub specie panis suscipiatur: cum
 „ firmissime credendum sit, & nullatenus du-
 „ bitandum, Christi corpus integrum, & san-
 „ guinem tam sub specie panis, quam sub
 „ specie vini, veraciter contineri. Quapro-
 „ pter dicere, quod hanc consuetudinem, &
 „ legem observare sit sacrilegium, aut illicitum,
 „ censei debet erroneum: & pertinaci-
 „ ter asserentes oppositum præmissorum,
 „ tamquam hæretici, accendi sunt, & gravi-
 „ ter puniendi per diocesanos locorum, aut
 „ inquitores hæreticæ pravitatis. Item præ-
 „ cipimus: quod nullus presbyter communi-
 „ cet populum sub utraque specie panis, &
 „ vini, „ Hæc ibi. Ubi nota *ly hoc non ob-*
stante. Non enim Christus laicis tunc, sed
 sacerdotibus sacramentum tale administrabat:
 quoniam ipse in cœna illa discipulos instituit
 sacerdotes, teste Concilio *Trid. sess. 22. can.*
1. & can. 2. Ibi etiam nota *ly hæc consuetu-*
do est rationabiliter introducta, & ly asserentes
oppositum, tamquam hæretici, &c. Negant e-
 nim hi auctoritatem juridicam Ecclesie,
 quam habet a Christo in administratione sa-
 cramentorum; pro quo melius intelligendo
 vide Conc. *Trident. sess. 21. can. 2. recita-*
tum sup. art. 8. ad primum, in exam. Item
 merito damnari ab eodem Concilio *Trident.*
sess. 21. capitulo primo. Sancta ipsa synodus
a Spiritu sancto edicta, atque ipsius Ecclesie
judicium, & consuetudinem secuta declarat,
ac docet: nullo divino præcepto laicos, & cle-
ricos non conficientes obligari ad Eucharistie sa-
cramentum sub utraque specie sumendum. Ne-
que ullo pacto, salva fide, dubitari posse, quin
illis alterius speciei communicatio ad salutem suffi-
ciat. Nam, etsi Christus Dominus sacramen-
tum hoc in panis, & vini speciebus instituit,
& Apostolis tradidit: non tamen illa institu-

„ tio, & traditio eo tendunt, ut omnes Christi
 „ fideles statuto Domini ad utramque speciem ac-
 „ cipiendum adstringantur. Sed neque ex sermo-
 „ ne illo apud Joann. sexto recte colligitur, utrius-
 „ que speciei communionem a Domino præceptam
 „ esse. Namque, qui dixit: Nisi manducaveritis
 „ carnem filii hominis, & biberitis ejus sangui-
 „ nem, non habebitis vitam in vobis, dixit quo-
 „ que, si quis manducaverit ex hoc pane, vi-
 „ vet in æternum. Et qui dixit: Qui manducat
 „ meam carnem, & bibit meum sanguinem, ha-
 „ bet vitam æternam, dixit, etiam; Panis,
 „ quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.
 „ Et denique, qui dixit: Qui manducat meam
 „ carnem, & bibit meum sanguinem, in me ma-
 „ net, & ego illo, dixit nihilominus; Qui ma-
 „ nucat hunc panem, vivet in æternum. Hæc
 „ ibi. Ubi vides, a Domino subindicatum fuisse,
 „ duplicem consuetudinem sumendæ Eucha-
 „ ristie, quandoque, scilicet sub utraque spe-
 „ cie, quandoque vero sub specie solum panis,
 „ futuram esse in Ecclesia; & utramque suffi-
 „ cientem ad salutem; & consequenter utram-
 „ que pro suo tempore bonam: & simul pro-
 „ pterea vides: quod ipsemet utramque con-
 „ suetudinem illam approbavit. Item merito
 „ damnari ab eodem sessione eadem, capitulo
 „ secundo. „ Quare agnoscens sancta mater
 „ Ecclesia hanc suam in administratione sa-
 „ cramentorum auctoritatem, licet ab initio
 „ Christianæ religionis non infrequens utrius-
 „ que speciei usus fuisset, tamen progressu
 „ temporis, latissime jam mutata illa con-
 „ suetudine, gravibus, & justis causis addu-
 „ ctis hanc consuetudinem sub altera specie
 „ communicandi approbavit; & pro lege ha-
 „ bendam decrevit. Quam reprobare, aut si-
 „ ne ipsius Ecclesie auctoritate pro libito
 „ mutare, non licet. Hæc ibi. Et capitulo
 „ tertio. Insuper declarat, fatendum esse, sub
 „ altera tantum specie totum, atque inte-
 „ grum Christum, verumque sacramentum
 „ sumi, ac propterea, quoad fructum attri-
 „ net, nulla gratia necessaria ad salutem eos
 „ defraudari, qui unam speciem solum acci-
 „ piunt. Hæc ibi, & canon. 1. Si quis di-
 „ xerit: ex Dei præcepto, vel necessitate sa-
 „ lutis, omnes, & singulos Christi fideles
 „ utramque speciem sanctissimi Eucharistie
 „ sacramenti sumere debere; anathema sit.
 „ Et canon. secundo. Si quis dixerit: sanctam
 „ Ecclesiam catholicam non justis causis, &
 „ rationibus adductam fuisse; ut laicos, at-
 „ que etiam clericos non conficientes, sub
 „ panis tantummodo specie communicaret:
 „ aut in eo errasse: anathema sit. Et canon.

„ 3. Si quis negaverit; totum, & integrum
 „ Christum, omnium gratiarum fontem, &
 „ authorem, sub una panis specie sumi: quia,
 „ ut quidam falso asserunt, non secundum
 „ ipsius Christi institutionem sub utraque spe-
 „ cie sumatur: anathema sit. „ Hæc ibi.
 Item merito damnari illum errorem *Lus-*
shævi a Papa *Leone X.* in prædicta Bulla. Ex
 quibus omnibus patet & vafrities grandis hæ-
 reticorum, qui sub pallio zelandi pro salute
 populorum contra reverentiam Christi arman-
 tur, sanguinem ipsius effundere parvipenden-
 tes: & irrationabilitas, atque stoltitia eorum-
 dem. Non enim irrationabile solum, sed &
 stultum est: cum tantumdem boni, quod quæ-
 ris, possis absque criminis periculo veraciter
 obtinere: præligere illud cum tanti sacrilegii
 periculo, atque scandalo consequi, ut omni-
 bus, dummodo sensum reprobum non habeant,
 manifestissime constat ex terminis.
Tertio vides: quomodo &c.

Q U A E S T I O LXXXI.

*De modo quo Christus usus est hoc
 Sacramento,*

In quatuor articulos divisa.

DEinde considerandum est de usu huius sa-
 cramenti, quo Christus usus est in pri-
 ma sui institutione: & circa hoc quærentur
 quatuor.

Primo, utrum Christus sumpserit suum
 corpus, & sanguinem.

Secundo, utrum Judæ dederit.

Tertio, quale corpus sumpserit, aut dede-
 rit, utrum scilicet passibile, vel impassibile.

Quarto, quomodo se habuisset Christus sub
 hoc sacramento, si fuisset in triduo mortis
 reservatum, aut consecratum.

A R T I C U L U S I. 490

*Utrum Christus sumpserit suum corpus, &
 sanguinem.*

*Inf. quæst. lxxxiv. art. 7. ad. 4. & IV.
 dist. xi. quæst. 111. art. 1.*

AD primum sic proceditur. Videtur quod
 Christus non sumpserit corpus suum, &
 sanguinem. Non enim de factis Christi, &
 dictis asseri debet quod autoritate sacræ
 Scripturæ non traditur. Sed in Evangeliiis
 non habetur quod Christus corpus suum man-

ducaverit, aut sanguinem suum biberit. Non
 ergo est hoc asserendum.

2. Præterea. Nihil potest esse in seipso,
 nisi forte ratione partium, prout scilicet una
 pars ejus est in alia, ut habetur IV. Physi-
 cor. (tex. 34.) Sed illud quod manducatur,
 & bibitur, est in manducante, & bibente.
 Cum igitur totus Christus sit sub utraque
 specie sacramenti, videtur impossibile fuisse
 quod ipse sumpserit hoc sacramentum.

3. Præterea. Duplex est sumptio huius sa-
 cramenti, scilicet spiritualis, & sacramenta-
 lis. Sed spiritualis non competeat Christo,
 quia nihil a sacramento accipit; & per con-
 sequens nec sacramentalis, quæ sine spiritua-
 li est imperfecta, ut supra habitum est (quæst.
 præc. art. 1.) Ergo Christus nullo modo
 hoc sacramentum sumpserit.

Sed contra est quod Hieronymus dicit ad
 Hebræos (quæst. 11. a med.) *Dominus
 Jesus Christus ipse convivia, & convivium,
 ipse comedens, & qui comeditur.*

Respondeo dicendum, quod quidam dixe-
 runt, quod Christus in cæna corpus, & san-
 guinem suum discipulis suis tradidit, non
 tamen ipse sumpserit.

Sed hoc non videtur convenienter dici:
 quia Christus ea quæ ab aliis observanda in-
 stituit, ipse primitus observavit. Unde &
 ipse prius baptizari voluit quam aliis bap-
 tismum imponeret, secundum illud Act. 1. 1.
 Cæpit Jesus facere, & docere. Unde & primo
 ipse corpus suum, & sanguinem sumpserit, &
 postea discipulis sumendum tradidit. Et hoc
 est quod Ruth 111. super illud, *Cumque co-
 medisset, & bibisset &c.* dicit Glossa (ordi-
 din.) quod „ Christus comedit, & bibit in
 „ cæna, cum corporis, & sanguinis sui sa-
 „ cramentum discipulis tradidit. Unde quia
 „ pueri communicaverunt carni, & sangui-
 „ ni, & ipse participavit eisdem. “

Ad primum ergo dicendum, quod in Evan-
 geliis legitur, quod Christus accepit panem,
 & calicem. Non est autem intelligendum
 quod acceperit solum in manibus, ut quidam
 dicunt; sed eo modo accepit quo aliis acci-
 piendum tradidit: unde cum discipulis dixe-
 rit, *Accipite, & comedite,* & iterum, *Acci-
 pite, & bibite,* intelligendum est quod ipse
 accipiens comederit, & biberit. Unde & qui-
 dam metricè dixerunt:

*Rex sedet in cæna turba cinctus duodena:
 Se tenet in manibus, se cibis ipse cibis.*

Ad secundum, dicendum, quod, sicut su-
 pra dictum est (quæst. lxxvi. art. 5.) Chri-
 stus secundum quod est sub hoc sacramento, com-

comparatur ad locum non secundum proprias dimensiones, sed secundum dimensiones specierum sacramentalium; ita quod in quocumque loco ubi sunt illæ species, est ipse Christus: & quia species illæ potuerunt esse in manibus, & in ore Christi, ipse totus Christus potuit esse in suis manibus, & in suo ore. Non autem hoc potuisset esse secundum quod comparatur ad locam per proprias dimensiones.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est (quæst. lxxix. art. 1. ad 2.) effectus hujus sacramenti est non solum augmentum habitualis gratiæ, sed etiam quædam actualis delectatio spiritualis dulcedinis. Quamvis autem Christo gratia non fuerit augmentata ex susceptione hujus sacramenti; habuit tamen quamdam spirituales delectationem in nova institutione hujus sacramenti. Unde ipse dicebat Luc. xxii. 15. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*: quod Eusebius (1) exponit de novo mysterio novi Testamenti, quod tradebat discipulis. (Hab. in car. S. Th.) Et ideo spiritualiter manducavit, & similiter sacramentaliter, in quantum corpus suum sub sacramento sumpsit, quod sacramentum sui corporis intellexit, & disposuit: aliter tamen quam ceteri sacramentaliter, & spiritualiter sumant: (*) qui augmentum gratiæ suscipiunt, & sacramentalibus signis indigent ad veritatis perceptionem.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem destruas errorem *Lutheri*, ut refert Fr. Joseph Angles Valentinus Ord. Min. in *lib. Flores Theologicarum questionum, de Eucharistia, qu. 2.* ubi & error ipse ab eodem damnatur) dicentis; Christus in cœna corpus suum non sumpsit; quare nec sacerdotes sumere debent, sed solum consecrare, & sub utraque specie populo ministrare. *Secundo* habes, quomodo per rationem ostendas, eum merito damnari a sancto Hieronymo; secundum quod ponitur in *arg. contr.* Ubi nota ex *ly comedens, & qui comeditur* motivum magnum; unde ad sic dicendum motus est ipse Hieronymus. Consideravit namque, quod sa-

cramentum hoc est memoriale Dominicæ passionis (ut patet ex *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. & 1. Corinths. 11.*) & quod in passione idem ipse Christus fuit sacerdos, & hostia, ut patet ex *ly obsulis semetipsum*: Hebræ. 9. & Concilio *Tridentino session. 22. capit. 2.* Ex eo igitur, quod in principali, scilicet in passione, Dominus fuit simul offerens, & oblatio, motus est Beatus Hieronymus, & iure quidem convenienti, ut scilicet inter memoriale, & principale correspondentia fieret ad ponendum, quod in sacramento hujus institutione Dominus fuerit simul & comedens, & qui comeditur. Item merito damnari ab Evangelistis per *ly Accipite panem, & calicem*; secundum expositionem responsionis ad *primum*. Item a Lucæ 22. per *ly Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*, secundum expositionem Eusebii in responsione ad *tertium*. Ubi vigilanter nota *ly manducare vobiscum*. Non enim hoc dicit tantum, dare eis pascha illud novum, idest Eucharistiam, ad manducandum (ut patet) sed simul dicit, Christum manducasse illud cum eis; ut ex ista loquendi serie intelligamus: quod ipse prior novum hoc pascha comederit, deinde Apostolis comedendum dederit. Item merito damnari ab Ecclesia (si tamen consideretur *consequentia* illa facta a *Luthero*, scilicet, *Quare nec sacerdotes sumere debent*) factis ipsis. Ecclesia enim Catholica facit oppositum illius consequentis *Lutherani*, idest facit, quod sacerdotes conficientes sumant Eucharistiam: ut quotidie patet. Quintimo & contra negantes, istud oppositum illius consequentis esse licitum, exurgit in Concilio *Trid.* sessione 13. can. 10. dicens. *Si quis dixerit; non licere sacerdoti celebranti seipsum communicare: Anathema sit.* Hæc ibi. Istud ergo factum sanctæ Ecclesiæ retorque contra *Lutherum*, ut conterantur dentes ejus in ore ipsius, *Psal. 57.* tali modo. Christus, inquis tu, in Cœna Corpus suum non sumpsit; quare nec sacerdotes sumere debent: sed sacerdotes, inquit Ecclesia, Corpus Christi sumere debent. Ergo Christus in Cœna corpus suum sumpsit. Ceterum contra illud chimericum ejus, scilicet de debito utramque speciem populo ministrandi, quod addit patuit jam abunde *q. 80. art. 12. appen-*

Tertio.

(1) Ex quo & ipse sanctus Thomas in eum locum refert, scilicet in *Catena aurea* sua super 23. Lucæ, ubi & notavimus ex *Catena Græcorum* id ab illo fuisse mutuatum; sicut etiam *Corderius* ibidem annotavit.

(*) *lia cum mss. Camer. & Alcan. Theologi. Edit.*

Rom. qui augmentum gratiæ suscipiunt sub sacramentalibus signis, quibus indigent &c. *Nostram lectionem resinent Nicolajus, & edic. Parav. mutato, tantum qui in quia. Al.* quia qui augmentum gratiæ suscipiunt, etiam sacramentalibus signis indigent &c.

Tertio vides : quomodo &c.

ARTICULUS II. 491

Utrum Christus dederit Judæ corpus suum.

IV. dist. XI. quest. 11. art. 2. quest. 1. & 2.
& Joan. XIII. lect. 3. fin. &
lect. 4. fin.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod Christus Judæ non dederit corpus suum. Ut enim legitur Matth. xxvi. 29. postquam dedit Dominus corpus suum, & sanguinem discipulis, dixit eis: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illam, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* (1) Ex quo videtur quod illi quibus corpus suum, & sanguinem dederat, cum eo essent iterum bibituri. Sed Judas postea cum ipso non bibit. Ergo non accepit cum aliis discipulis corpus Christi, & sanguinem.

2. Præterea. Dominus implevit quod præcepit, secundum illud Act. 1. 1. (2) *Cœpit Jesus facere, & docere.* Sed ipse præcepit Matth. vii. 6. *Nolite sanctum dare canibus.* Cum ergo ipse cognosceret Judam esse peccatorem, videtur quod ei corpus suum, & sanguinem non dederit.

3. Præterea. Christus specialiter legitur Judæ panem intinctum porrexisse Joan. xiii. Si ergo corpus suum ei dedit, videtur quod sub buccella ei dederit: præcipue cum legatur ibidem, quod post buccellam introiit in eum *Satanas*: ubi Augustinus dicit (tract. lxii. in Joan. a princ.) „ Hinc nos docemur,

„ quam sit cavendum male accipere bonum. Si enim corripitur qui non dijudicat, id est non discernit corpus Domini a ceteris cibis, quomodo non damnabitur qui ad ejus mensam fingens amicum, accedit inimicus? „ Sed cum buccella intincta non accepit corpus Christi: ut enim Augustinus dicit super illud Joan. xiii. *Cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotibus* (loc. cit.) „ non, ut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas corpus Christi accepit. „ Ergo videtur quod Judas corpus Christi non accepit.

Sed contra est quod Chrysostomus dicit (hom. lxxxiii. in Matth. in princ. (3)) *Judas particeps existens mysteriorum conversus non est: unde fit scelus ejus utrinque immanius, sum quia tali proposito imbutus adis mysteria, tum quia adiens melior factus non fuit nec metu, nec beneficio, nec honore.*

Respondeo dicendum, quod Hilarius posuit super Matthæum (can. xxx.) quod Christus Judæ corpus suum, & sanguinem non dedit. Et hoc quidem conveniens fuisset, considerata malitia Judæ.

Sed quia Christus nobis debuit esse exemplum justitiæ, non conveniebat ejus magisterio ut Judam occultum peccatorem sine accusatore, & evidenti probatione ab aliorum communionem separaret; ne per hoc daretur exemplum prælati Ecclesiæ similia faciendi, & ipse Judas exasperatus inde sumeret occasionem peccandi. Et ideo dicendum est, quod Judas cum aliis discipulis corpus Domini, & sanguinem suscepit, ut dicit Dionysius in Lib. eccl. Hierarch. (cap. 111. inter princ. & med.) & Augustinus super Joan. (tract. lxii. (4))

Ad

(1) Sive in Regno Dei, ut exprimitur Marc. 14. vers. 25. Lucæ autem 22. vers. 18. *Donec regnum Dei veniat.*

(2) Ubi Beda: *Nosandum (inquit) quod ait Scriptur: Cœpit Jesus facere & docere; primo facere postea docere; quia Jesus bonum Doctorem instituens, nulla nisi que fecit, docuit: Similia etiam Antiochus tom. 12. Bibliothecæ Patrum homil. 111. Et homil. 1. in Acta Chrylest. Vide quomodo dictis suis per opera fidem conciliarit; ut variis exemplis probat: Quamvis & primum illud referendum ad miracula videatur.*

(3) Non homil. 46. in Joannem, ut ad marginem prius notabatur: Aliis enim verbis, etsi eodem sensu, ibi super illud Joan. 6. *Unus ex vobis diabolus est,* monens nos ut ex Judæ ruina nobis attendamus

as meliores efficiamus: *Si enim (inquit) ille qui sancto choro Apostolorum annumeratus erat, qui tantum donum consecutus fuerat, qui miracula fecerat, nullam ex tantis Christi beneficiis, ex lotione pedum, ex mensæ participatione utilitatem consequutus est, timeamus quoque, &c.*

(4) Dionysius quidem lib. de ecclesiastica hier. c. 3. part. 3. §. 1. ubi *divinissima cœna ac archiepiscopica* (ut appellat) expertem illum dicit factum esse qui non sancte cum illo sacra canaverat (2) *et ipsa quædam participatio* quod violento ac propositio sensu quidam explicant quasi vocatus quidem ad læeram cœnam sed ab illa exclusus indicetur; cum sit utique sensus quod propter sacræ mensæ participationem indignam cœleti convivio privari meruerit. Sed Augustinus præter illa quæ paulo inferius refert expresse

Ad primum ergo dicendum, quod illa est ratio Hilarii (loc cit.) ad ostendendum quod Judas corpus Christi non sumpsit; non tamen cogit; quia Christus loquitur discipulis, a quorum collegio Judas se separavit. Non autem Christus eum exclusit: & ideo Christus, quantum est in se, etiam cum Juda vinum in regno Dei bibit; sed hoc convivium ipse Judas repudiavit.

Ad secundum dicendum, quod Christo nota erat Judæ iniquitas, sicut Deo; non autem erat sibi nota per modum quo hominibus innorescit. Et ideo Christus Judam non repulit a communione, ut daret exemplum, tales peccatores occultos non esse ab aliis sacerdotibus expellendos.

Ad tertium dicendum, quod sine dubio Judas sub pane intincto corpus Christi non sumpsit, sed simplicem panem. *Significatur autem fortassis, ut Augustinus ibidem dicit, per panis intinctionem fictio Judæ: ut enim inficiantur nonnulla, insinguntur. Si autem bonum aliquid hic significat intinctio (scilicet dulcedinem bonitatis divinæ, quia panis ex intinctione sapidiior redditur;) eidem bono ingratus non immerito est secuta damnatio. Et propter hanc ingratitude id quod est bonum, factum est ei malum, sicut accidit circa fumentes corpus Christi indigne: & sicut Augustinus ibidem dicit, intelligendum est quod Dominus jam antea distribuerat omnibus discipulis suis sacramentum corporis, & sanguinis sui, ubi & ipse Judas erat, sicut Lucas narrat; ac deinde ad hoc ventum est, ubi secundum narrationem Joannis Dominus per buccellam intinctam, atque porrectam suam exprimit proditorem.*

A P P E N D I X.

EX articul. habes primo: quomodo per rationem destruas errorem quorundam in-nominatorum, ut refert Gabriel Prateolus, rit. *Judas Iscariotes*, dicentium: quod Judas Iscarioth in Cœna Domini non accepit verum corpus Christi. *Secundo* habes: quomodo

per rationem ostendas, hinc merito damnari a D. Chryl. secundum quod patet in *arg. contr.* Item ab eodem in serm. *Paucis bodie, o Christi misericordia, o Juda dementia! Ille eum pacifcebat, ut venderet: Christus ei sanguinem, quem vendidit, offerebat: ut haberes remissionem peccatorum, si tamen impius existere noluisset.* Hæc ibi. Item a D. Augustino, secundum quod patet in *respon. ad tertium.* Hæc faciunt pro declaratione probationis conclus. 3. ubi allegantur SS. Aug. & Chryl. Item a Papa Leone in serm. „ Scio quidem: „ cum in Cayphæ atrio tractaretur, quo- „ modo Christus deberet occidi: ille corporis, „ & sanguinis sui ordinans sacramentum do- „ cebat, qualis Deo hostia deberet offerri, „ nec traditore submoto, ut ostenderetur nul- „ la injuria exasperatus. Dicens quoque; „ unus vestrum me traditurus est, non aspè- „ ra, non aperta impium increpatione con- „ fudit, ut facilius corrigeret pœnitudo, quem „ nulla deformasset abjectio. Cur infelix Ju- „ da tanta benignitate non uteris? Ecce „ Christus nulli te, nisi tibi indicat, nec „ nomen tuum, nec persona detegitur, non „ Apostolici ordinis honor, nec sacramentorum „ tibi communio denegatur. Respice: Clè- „ mentia invitat, salus pulsat, ad vitam te „ vita revocat. „ Hæc ibi: quæ pro aliqua parte faciunt ad qu. 80. art. 6. *append. ly Veh homini, &c.* & ideo diffusius hic verba ejus recitata sunt. Item a B. Cypriano in serm. de cœna Domini. „ Ubi sacrum cibum „ mens perfida tetigit, & sceleratum os pa- „ nis sanctificatus intravit; parricidalis ani- „ mus vim tanti sacramenti non sustinens, „ quasi palea, de area exsufflatus est. „ Hæc ibi. *Tertio* vides: quomodo &c.

AR-

se sanctus Thomas: *Christus quid vobis fecit?* (inquit super Psal. 10. Donatistas alloquens) *qui traditorem suum tanta patientia perivit ut ei primum Eucharistiam consecram manibus suis & ore suo commendatam, sicut & ceteris Apostolis, traderet: Ut & epist. 163. post medium quod primum sacramentum corporis & sanguinis sui nondum illo excluso communiter omnibus dedit, &c.* Adde quod Chryostomus rursus homil. 9. de prodicione Judæ: *Cum ceteris adfuit Judas (inquit & sacrificij com-*

municationem meruit (idest accepit, &c.) Et serm. 3. de resurrectione: O crudelo proditoris convivium! Rogo quibus oculis aspicebar quem sub dense premebas parricida pariter & conviva? Et ser. 7. de passione Domini S. Leo: Corporis & sanguinis sui ordinans sacramentum docebat Christus qualis Deo hostia deberet offerri, nec traditore submoto, ut ostenderetur nulla injuria exasperatus, &c. Et Ambros. lib. de Tobia cap. 14. *Miser perit in illo convivio (Judas) quo alii salvantur, &c.*

ARTICULUS III. 492

Utrum Christus sumpserit, & discipulis dederit corpus suum impassibile.

IV. dist. XI. quæst. III. art. 3. & dist. XII. quæst. I. art. 3. quæst. I. cor.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod Christus sumpserit, & discipulis dederit corpus suum impassibile. Quia super illud Matth. XVII. *Transfiguratus est ante eos*, dicit quædam Glossa (ordin.) „ Illud corpus „ quod habuit per naturam, dedit discipulis „ in cœna, non mortale, & passibile. “ Et Levit. II. super illud, *Si oblatio sua fuerit de sartagine*, dicit Glossa (ordin. Elych.) “ „ Crux super omnia fortis carnem Christi „ quæ ante passionem non videbatur efui „ apta, post aptam fecit, “ Sed Christus dedit corpus suum ut aptum ad manducandum. Ergo dedit tale, quale habuit post passionem, scilicet impassibile, & immortale.

2. Præterea. Omne corpus passibile per contactum, & manducationem patitur. Si ergo corpus Christi erat passibile, per contactum, & comestionem discipulorum passum fuisset.

3. Præterea. Verba sacramentalia non sunt modo majoris virtutis quando proferuntur a sacerdote in persona Christi, quam tunc quando fuerunt prolata ab ipso Christo. Sed nunc virtute verborum sacramentalium in altari consecratur corpus Christi impassibile, & immortale. Ergo multo magis tunc.

Sed contra est quod, sicut Innocentius III. dicit (Lib. IV. de myster. Missæ cap. XII. sub fi.) *tale corpus tunc dedit discipulis, quale habuit*. Habuit autem tunc corpus passibile, & mortale. Ergo corpus passibile, & mortale discipulis dedit.

Respondedo dicendum, quod Hugo de san-

cto Victore posuit (1) vide Supplem. quæst. xlv. art. 2.) quod Christus ante passionem diversis temporibus quatuor dotes corporis glorificati assumpserit; scilicet subtilitatem in natiuitate, quando exiit de clauso utero Virginis; agilitatem, quando ambulavit sicis pedibus super mare; claritatem in transfiguratione, impassibilitatem in cœna, quando corpus suum discipulis tradidit manducandum. Et secundum hoc dedit discipulis suum corpus suum impassibile, & immortale.

Sed quidquid sit de aliis, de quibus supra dictum est (quæst. xxviii. art. 2. ad 3. & quæst. xlv. art. 2. & quæst. liv. 1. ad 1.) quid sentiri debeat; circa impassibilitatem tamen impossibile est esse quod dicitur. Manifestum est enim quod idem corpus Christi erat quod a discipulis tunc in propria specie videbatur, & in specie sacramenti sumebatur. Non autem erat impassibile, secundum quod in propria specie videbatur; quinimo erat passioni paratum. Unde nec ipsum corpus Christi, quod in specie sacramenti dabatur, impassibile erat.

Impassibili tamen modo erat sub specie sacramenti, quod in se erat passibile, sicut invisibiliter, quod in se erat visibile. Sicut enim visio requirit contactum corporis quod videtur ad circumstantes medium visionis, ita passio requirit contactum corporis quod patitur, ad ea quæ agunt. Corpus autem Christi secundum quod est sub sacramento, ut supra dictum est (quæst. lxxvi. art. 4. 5. & 6.) non comparatur ad ea quæ circumstant, mediantibus propriis dimensionibus, quibus corpora se tangunt, sed mediantibus dimensionibus specierum panis, & vini: & ideo species illæ sunt quæ patiuntur, & videntur, non autem ipsum corpus Christi.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus dicitur in cœna non dedisse corpus suum mortale, & passibile, quia non dedit mortali, & passibili modo. Crux autem fecit carnem Christi

(1) Cuius nomine jam superius id retulit, nimirum quæst. 45. art. 2. ubi non ex Hugone sed ex Innoc. 3. lib. 4. de mysteriis Missæ cap. 12. sumptum esse indicavimus ad calcem: Sic enim ibi per eandem occasionem Innocentius: *Quatuor sunt glorificati corporis propria qualitates: videlicet claritas, subtilitas, agilitas, & impassibilitas*: Et paulo post: *Singulas sibi Christus singulatim accepit antequam resurgens a mortuis naturam glorificati corporis induisset: Subtilitatem, cum nasceretur ex virgine: Claritatem cum transfiguraretur in monte: Agilitatem, cum incederet super mare: Impassibilitatem, cum manducaretur in cœna: Sicut enim si quom passibilitatis exhibuit in corpore immortali*

cum post resurrectionem ostendit manus & latus, sic in corpore mortali signum impassibilitatis ostendit cum carnem & sanguinem ante passionem exhibuit: Sed subjungit mox: Potest tamen salva fide concedi quod tale tunc dedit quale tunc habuit, mortale videlicet & passibile: non quod posset pati in Sacramento, sed quod sub Sacramento poterat pati: Nunc autem sumitur a nobis immortale & impassibile: nec tamen majorem nunc habet efficaciam sicut nec majorem potentiam. Quod autem passibilis edebatur nec tamen ledebatur, non erat humana nature sed divina potentia, qua volebat quidquid omnino volebat.

Christi aptam manducationi, in quantum hoc sacramentum repræsentat passionem Christi.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procederet, si corpus Christi, sicut erat passibile ita passibili modo fuisset sub hoc sacramento.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est (quæst. lxxvi. art. 4.) accidentia corporis Christi sunt in sacramento ex reali concomitantia, non autem ex vi sacramenti, ex qua est ibi substantia corporis Christi. Et ideo virtus verborum sacramentalium ad hoc se extendit, ut sit sub sacramento corpus Christi, scilicet quibuscumque accidentibus realiter in eo existentibus.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, Papa, & Concilio, quod Christus dedit discipulis corpus suum passibile sub specie sacramenti. A scripturis quidem per hoc; quod Dominus dans discipulis Eucharistia sacramentum dixit Lucæ 22. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Non enim traditum est pro nobis passioni corpus Christi impassibile, ut patet, sed passibile. Si ergo dedisset tunc eis corpus impassibile: utique ad ly *corpus* non addidisset ly *quod pro vobis tradetur.* A Papa autem Innocentio, secundum quod cum applicatione ponitur in argu. contr. A Concilio quoque Tridentino, per hoc quod determinat, quod sub specie panis; & vini nihil ex vi verborum reperitur, nisi solum corpus, & sanguis; quæcumque vero alia ex reali concomitantia. Dicit namque sels. 13. cap. tertio: "Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit: statim post consecrationem verum Domini nostri corpus existere sub specie panis, verumque ejus sanguinem sub specie vini, ex vi verborum ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantia, qua partes Christi, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter

Summa S. Th. Tom. XII.

„ se copulantur; divinitatem porro propter „ admirabilem illam ejus cum corpore, & „ anima hypostaticam unionem. “ Hæc ibi. Cum ergo impassibilitas, vel passibilitas mortalitas vel immortalitas, non sint corpus, nec sanguis (ut patet) relinquitur necessario concludendum, quod nihil horum sub speciebus illis est ex vi verborum sacramentalium; sed tantum ex vi naturalis concomitantia. Facillimum modo est ex istis discurrere ad propositum. *Secundo vides: quomodo &c.*

ARTICULUS IV. 493

Verum si hoc sacramentum tempore mortis Christi fuisset servatum, vel consecratum, ibi moreretur.

IV. dist. x. art. 2. quæst. 1. ca. & dist. xi. quæst. 111. art. 4. & IV. cont. cap. lxiv. & quol. v. art. 11. ad 1. & Jo. vi. lect. 6. fin. & I. Cor. xi. lect. 6. fin.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod si hoc sacramentum tempore mortis Christi fuisset servatum in pixide, vel ab aliquo Apostolorum consecratum, non ibi moreretur. Mors enim Christi accidit per ejus passionem. Sed Christus impassibili modo etiam tunc erat in hoc sacramento. Ergo non poterat mori in hoc sacramento.

2. Præterea. In morte Christi separatus fuit sanguis ejus a corpore. Sed in hoc sacramento simul est corpus Christi, & sanguis. Ergo Christus in hoc sacramento non moreretur.

3. Præterea. Mors accidit per separationem animæ a corpore. Sed in hoc sacramento continetur tam corpus quam anima Christi. Ergo in hoc sacramento non poterat Christus mori.

Sed contra est quod idem Christus, qui erat in cruce, fuisset in sacramento. Sed in cruce moriebatur. Ergo & in sacramento conservato moreretur. (1)

K k

Ref.

(1) Hinc iterum Innocentius 3. lib. 4. de mysteriis Missæ cap. 11. ubi supra: *Fuerunt qui dicebant quod sicut idem veraciter ipse erat qui dabat & qui dabatur, ita in eo quod dabat, erat passibilis & mortalis, & in eo quod dabatur, erat impassibilis & immortalis: sicut visibiliter gestabat, & invisibiliter gestabatur; invisibiliter, inquam, quantum ad formam corporis, non quantum ad speciem Sa-*

cramenti: Nam in eo quod gestabat, quod erat, apparebat: In eo vero quod gestabatur, quod erat ipse non videbatur, quia forma panis & vini velisbat formam carnis & sanguinis. Quoniam ergo immortalis dabatur, incorruptibilis videbatur: Hi profecto concedunt, posito quod pars aliqua sacramenti per triduum mortis Christi reservec fuisset, idem corpus simul & jacebat mortuum in sepulchro & mor-

nebat

Respondeo dicendum, quod corpus Christi idem in substantia est in hoc sacramento, & in propria specie; sed non eodem modo: nam in propria specie contingit circumstantia corpora per proprias dimensiones; non autem prout est in hoc sacramento, ut supra dictum est (art. præc.) Et ideo quidquid pertinet ad Christum, secundum quod in se est, potest attribui ei & in propria specie, & in sacramento existenti, sicut vivere, mori, dolere, animatum, vel inanimatum esse, & cetera hujusmodi; quæcumque vero conveniunt ei per comparisonem ad corpora extrinseca, possunt ei attribui in propria specie existenti, non autem prout est in sacramento, sicut irrideri, conspui, crucifigi, flagellari, & cetera hujusmodi. Unde & quidam metricæ dixerunt.

Pixide servato poteris sociare dolorem

Innatum; sed non illatus convenis illi.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut dictum est (in corp. art.) passio convenit corpori passio per comparisonem ad agens extrinsecum. Et ideo Christus, secundum quod est sub hoc sacramento, pati non potest, potest tamen mori.

Ad secundum dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. lxxvi. art. 2.) sub specie panis est corpus Christi ex vi consecrationis, sanguis autem sub specie vini. Sed nunc quidem, quando realiter sanguis Christi non est separatus ab ejus corpore, ex reali concomitantia & sanguis Christi est sub specie panis simul cum corpore, & corpus sub specie vini simul cum sanguine. Sed si tempore passionis Christi, quando realiter sanguis fuit separatus a corpore Christi, fuisset hoc sacramentum consecratum, sub specie panis fuisset solum corpus, & sub specie vini fuisset solum sanguis.

Ad tertium dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. lxxvi. art. 1. ad 1.) anima Christi est in hoc sacramento ex reali concomitantia, quia non est sine corpore; non autem ex vi consecrationis. Et ideo si tunc fuisset hoc sacramentum consecratum, vel peractum, quando anima erat a corpore realiter separata, non fuisset anima Christi

sub hoc sacramento, non propter defectum virtutis verborum, sed propter aliam dispositionem rei.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo, per rationem ostendas, merito esse a scripturis, & Conciliis simul insinuatam: quod, si hoc sacramentum fuisset, tempore mortis Christi in cruce, conservatum in pixide, Christus tunc ibi mortuus esset, absque eo, quod ibi crucifigeretur. Item, quod, si fuisset tempore mortis Christi durante, idest in illo triduo consecratum corpus sub specie panis, tunc fuisset sine sanguine, & sine anima: & sanguis sub specie vini sine corpore, & sine anima. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Luc. 22. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* A Concilio autem Florentino, per hoc, quod dicit, corpus Christi esse in hoc sacramento sub specie panis. Vide q. 76. a. 1. 2. 3. in *Eluc.* A Concilio quoque Tridentino, per hoc, quod dicit sanguinem, & animam esse sub specie panis, & corpus, animamque esse sub specie vini, ex reali concomitantia solum, art. 2. *append.* His enim omnibus simul junctis, patet intentum, quod proponebatur. Nam, si est, ut vere est, in sacramento sub specie panis corpus idem numero, quod tradetur, scilicet ad mortem, & de facto morietur crucifixum: constat, quod ipsum ibi tunc morietur, non tamen in cruce clavibus affixum. Alioquin, si ibi vere non moreretur, non esset ibi idem corpus numero, ut patet, quod in cruce mortuum est: & si ipsum ibi tunc crucifigeretur, non esset sub specie tantum aliena, scilicet panis, non propria, ut patet ex ratione allata in tex. corpor. Item si est, ut vere est sanguis, & anima sub specie panis, corpus item, & anima sub specie vini, ex reali concomitantia solum, constat, quod ipsum corpus in sacramento tunc, quando realiter divisus erat sanguis, & anima, confecto, fuisset sub specie panis sine sanguine, & anima; similiter sanguis fuisset sub specie vini sine corpore, & anima. Alioquin, ut ex-

nebat vivum sub Sacramento; in ara crucis patiebatur, & sub forma panis non ladebatur: Sed quoniam incredibile judicatur ut secundum eandem naturam simul esset mortalis & immortalis (quod ei tamen congruebat secundum eandem personam) fuerunt alii qui dixerunt quod Christus mortalis usque fuit, sed voluntate non necessitate: Ut ergo proba-

ret quod mortalis erat non necessitate sed voluntate, quando voluit mortalitatem deposuit, quando voluit immortalitatem (vel immortalitatem) accepit: Subindeque adjungit ea que superius notata sunt tum ad istam opinionem explicandam per impassibilitatis dotem quam eum assumpsisse supponit, tum ad opinionem veriore de passibilitate astruendam.

terminis patet, illud dictum Concilii de reali tantum concomitantia tolleretur, idest, non esset verum. Quod, cum sit hæreticum, sicut & negare præmissa dicta tum Florentini Concilii, tum Evangelii: sequitur aperte, quod necessum est de fide confiteri, quæ in principio appendicis proposita fuerant. Secundo vides: quomodo &c.

Utrum consecratio hujus sacramenti sit propria sacerdotis.

QUESTIO LXXXII.

*De ministro hujus sacramenti,
In decem articulos divisa.*

DEinde considerandum est de ministro hujus sacramenti: & circa hoc quaeruntur decem.

Primo, utrum consecrare hoc sacramentum sit proprium sacerdotis.

Secundo, utrum plures sacerdotes simul possint eandem hostiam consecrare.

Tertio, utrum dispensatio hujus sacramenti pertineat ad solum sacerdotem.

Quarto, utrum liceat sacerdoti consecranti a communione abstinere.

Quinto, utrum sacerdos peccator possit conficere hoc sacramentum.

Sexto, utrum Missa mali sacerdotis minus valeat quam boni.

Septimo, utrum hæretici, schismatici, vel excommunicati possint conficere hoc sacramentum.

Octavo, utrum degradati.

Nono, utrum peccent a talibus communionem recipientes.

Decimo, utrum liceat sacerdoti omnino a celebratione abstinere.

IV. dist. XIII. art. 1. quest. 1. & dist. XVII. quest. III. art. 3. quest. 1. cor. & dist. XIV. quest. II. art. 1. quest. 2. cor. & art. 2. ad 2.

AD primum sic proceditur. Videtur quod consecratio hujus sacramenti non sit propria sacerdotis. Dictum est enim supra (quest. lxxviii. art. 4.) quod hoc sacramentum consecratur virtute verborum, quæ sunt forma hujus sacramenti. Sed illa verba non mutantur, siue dicantur a sacerdote, siue a quocumque alio. Ergo videtur quod non solus sacerdos, sed etiam quilibet alius possit hoc sacramentum consecrare.

2. Præterea. Sacerdos hoc sacramentum conficit in persona Christi. Sed laicus sanctus est unicus Christo per caritatem. Ergo videtur quod etiam laicus possit hoc sacramentum conficere: unde & Chryostomus dicit super Matth. (1) quod *omnis sanctus est sacerdos*.

3. Præterea. Sicut baptismus ordinatur ad hominum salutem, ita & hoc sacramentum, sicut ex supradictis patet (quest. lxxix.) Sed etiam laicus potest baptizare, ut supra dictum est (quest. lxxvii. art. 3.) Non ergo est proprium sacerdotis conficere hoc sacramentum.

4. Præterea. Hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ. Sed alias materias consecrare, scilicet chrisma, & oleum sanctum, & oleum benedictum, pertinet ad solum Episcopum; quarum tamen consecratio non est tantæ dignitatis, sicut consecratio Eucharistiæ, in qua est totus Christus. Ergo non est proprium sacerdotis, sed solius Episcopi hoc sacramentum conficere.

Sed contra est quod Isidorus dicit in quadam epistola (ad Laudefred. quæ hab. post Concil. Tolet. VIII.) & habetur in Decret. dist. xxv. (cap. *Perleflis*.) *Ad presbyterum pertinet sacramentum corporis, & sanguinis Domini in altari Dei conficere.* (2)

K k 2

Ref.

(1) Vel sub nomine Chryostomi author operis imperfecti super Matth. homil. 43. in illa verba ex Matth. 23. *Super cathedram Moysi, &c.* ubi plenius ait *Multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes; multi nomine, pauci opere: Quia cathedra non facit sacerdo-*

tem, sed sacerdos cathedram: non locus sanctificat hominem, sed homo locum: Non omnis sacerdos sanctus est, sed omnis sanctus sacerdos est.

(2) Ut cap. *Perleflis* §. *Ad Presbyterum* videre est,

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est (quæst. lxxviii. art. 1. & 4.) hoc sacramentum est tantæ dignitatis quod non conficitur nisi in persona Christi. Quicumque autem aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam. Sicut autem baptizato conceditur a Christo potestas sumendi hoc sacramentum; ita sacerdoti, cum ordinatur, confertur potestas hoc sacramentum consecrandi in persona Christi. Per hoc enim ponitur in gradu eorum quibus dictum est a Domino Lucæ xxii. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Et ideo dicendum est, quod proprium est sacerdotum conficere hoc sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod virtus sacramentalis in pluribus consistit, & non in uno tantum, sicut virtus baptismi consistit in ipsis verbis, & in aqua. Unde & virtus consecrativa non solum consistit in ipsis verbis, sed etiam in potestate sacerdoti tradita in sua consecratione, & ordinatione, cum ei dicitur ab Episcopo: *Accipe potestatem offerendi in Ecclesia sacrificium tam pro vivis, quam pro mortuis.* Nam & virtus instrumentalis in pluribus instrumentis consistit, per quæ agit principale agens.

Ad secundum dicendum, quod laicus iustus unicus est Christo unione spiritali per fidem, & caritatem, non autem per sacramentalem potestatem: & ideo habet spirituale sacerdotium ad offerendum spiritalia hostias, de quibus dicitur in Psal. l. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus:* & Rom. xii. 1. *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem.* Unde & I. Petri ii. 5. dicitur: *Sacerdotium sanctum, offerre spiritalia hostias.*

Ad tertium dicendum, quod perceptio huius sacramenti non est tantæ necessitatis, si-

cut perceptio baptismi, ut ex supradictis patet (quæst. lxxviii. art. 3. & quæst. lxxx. art. 11. ad 2.) Et ideo licet in necessitate articulo laicus possit baptizare, non tamen potest hoc sacramentum conficere.

Ad quartum dicendum, quod Episcopus accipit potestatem ut agat in persona Christi super corpus ejus mysticum, idest super Ecclesiam: quam quidem potestatem non accipit sacerdos in sua consecratione, licet possit eam habere ex Episcopi commissione. Et ideo ea quæ non pertinent ad dispositionem corporis mystici, non reservantur Episcopo, sicut consecratio huius sacramenti. Ad Episcopum vero pertinet tradere non solum populo, sed etiam sacerdotibus ea ex quibus possunt propriis officiis uti. Et quia benedictio chrisimatis, & olei sancti, & olei infirmorum, & aliorum quæ consecrantur, putâ altaris, Ecclesiæ, vestium, & vasorum, præstat quamdam idoneitatem ad sacramenta perficienda, quæ pertinent ad officium sacerdotum; ideo tales consecrationes Episcopo reservantur, tamquam principi totius ecclesiastici ordinis.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses *Pauperum de Lugduno* dicentium: quod omnis homo iustus sine factionis, etiam si laicus fuerit, potest consecrare corpus Christi. Et *Lutheri* dicentis, omnes Christianos, nulla status, aut sexus discretione facta, esse sacerdotes, & æqualem potestatem habere. Secundum ergo istos (ut patet) non est proprium sacerdotis sacramentalis, idest rite ordinati ab Episcopo, consecrare Eucharistiam: & pro tanto hic adducuntur, & damnantur. *Secundo* igitur habes

est: Refertur autem ex epistola Iſidori ad Iudifredum seu Lansfredum quam integram haberi in codice Bibliothecæ Dominicanorum Appendix ibi notat; eamque Ivo parte 6. cap. 20. ad Ludifredum Cordubensem Episcopum directam esse dicit. Adde quod Canon. 24. Concilii Nicæni Diaconos arguit sacramenta Sacerdotibus ministrantes, quia *neque regula neque consuetudo tradidit, ut qui offerendi sacrificii non habent potestatem, his qui offerunt corpus Christi porrigant.* Adde quod Extra de summa Trinitate & fide catholica ex Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. ut cap. *Firmiter* versus finem habetur: *Et hoc usique Sacramentum nemo potest conficere nisi Sacerdos qui rite fuerit ordinatus* &c. Adde quod Sess. 13. cap. 1. & can. 2. Concilium Tridentinum solis Sacerdotibus hanc potestatem datam docet ac definit: *Si quis dixerit* (inquit) *illis verbis Hoc facite in*

meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse ut ipsi alii que Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, anathema sit: Præter alia plura quæ tum ex Conciliis tum ex Patribus ad id probandum peti possunt, ut ex Dionysio lib. de eccl. hierarch. cap. 5. ex Irenæo in epistola quam ad Trallianos inscripsit; ex Chryostomo in homil. 9. de prodicione Judæ, ubi ait quod *Sacerdotis ore verba proferuntur, virtutis autem Dei consecrantur*; ex Ambros. lib. 4. de sacramentis cap. 3. ubi ait quod *cum venitur ad sacramentum venerabile conficiendum, jam non suis sed Christi sermonibus utitur qui conficit Sacerdos*; ex Hieronymo in epist. quam ad Paulinum scripsit, ubi ait: *Ab'it ut quidquam sinistra de illis loquat, qui sacram Christi corpus ore proprio conficiunt, &c.*

bes; quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari a Concilio *Lateranensi* sub *Innocentio III.* extra, de summa Trinitate, & fide catho. cap. *firmiter.* Hoc usque altaris sacramentum nemo potest consecrare, nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus secundum claves Ecclesie; quas ipse concessit *Apostolis*, eorumque successoribus, *Jesus Christus.* Hæc ibi. Item a Concil. *Trid. sess. 23. c. 1. 4. & can. 1. 6.* item *sess. 22. ca. 1. & can. 2.* Cujus verba, quoniam alibi explicite adducta sunt, ideo non replicantur hic. Item ab Ecclesia patenter dicente, in hymno festi corporis Christi. Sic sacrificium istud instruit: Cujus officium committi voluit solis presbyteris. Item, & quidem a fortiori, damnari a Concilio *Rbemensis*, ut recitatur in *Decretis*, de consecr. di. 2. Pervenit ad notitiam nostram: quod quidam presbyteri intantum parvipendunt divina mysteria, ut laico, vel feminae sacrum corpus Domini tradant ad deferendam infirmis; & quibus prohibetur, ne sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis sancta sanctorum committunt. Quod quam sit horribile, quamque detestabile, omnium religionum animadvertit prudentia. Igitur interdicit per omnia synodus, ne talis temeraria præsumptio ulterius fiat, sed omnino presbyter per semetipsum infirmum communicet. Hæc ibi. Item, & quidem a fortiori, similiter a Papa *Clemente.* Sacerdotum, aliorumque clericorum Ecclesiis servientium honores a laicorum loco discrete apparere, convenit. Quamobrem nulli laicorum liceat, in eo loco, ubi sacerdotes, & reliqui clerici consistunt, quando Missa celebratur, consistere: ut libere, ac honorifice possint sacra officia exercere. Hæc ille: & recitatur in *Decretis*, de consecr. dist. 2. Dixi utrobique *ly a fortiori*: quoniam, si horribile, detestabileque vehementer apud omnes recte sentientes apparet, quod laicus; sive mas, sive femina, contingat sacrum Domini corpus, multo utique magis pro horribilissimo, detestabilissimoque monstro habebit universon bene ratiocinantium prudentia positionem hanc, sc. quod laicus, vel mulier possit consecrare corpus Domini. Et, si illi, qui permittebant ipsam infandam abusionem, judicantur, & merito, quod valde nimis parvipendebant sacra Dei mysteria: magis uti-

que in immensum de talium parvipensione judicandi meritissime sunt, qui consecrationem corporis Domini laicis, & (quod non eos magis pudet) mulieribus convenire faterentur. Quod autem deduco nunc a fortiori ex illo cap. *Pervenit*: tu quoque similiter (servata proportione) deducas ex illo cap. *Sacerdotum.* Ceterum, si prædictarum hæresum placuerit agnoscere ampliores damnationes, videbis supra *articulorum nu. 14.* Item *2. articulorum nu. 81* item *Additio. articulorum nu. 28. 29. 31. 34. 123.* ubique cum *Elucid.* item *Veritates aureas super totam legem veterem, Exo. 28. concl. 1. & Num. 3. concl. 3.* Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 495

Utrum plures sacerdotes possint unam & eandem hostiam consecrare.

IV. dist. XIII. quæst. 1. art. 2. quæst. 1.

AD secundam sic proceditur. Videtur quod plures sacerdotes non possint unam & eandem hostiam consecrare. Dicitur enim supra (quæst. *lxxvii.* art. 6.) quod plures non possunt simul unum baptizare. Sed non minor vis est sacerdotis consecrantis quam hominis baptizantis. Ergo etiam non possunt simul plures unam hostiam consecrare.

2. Præterea. Quod potest fieri per unum, superflue fit per multos. In sacramentis autem nihil debet esse superfluum. Cum ergo unus sufficiat ad consecrandum, videtur quod plures non possint unam hostiam consecrare.

3. Præterea. Sicut dicit *Augustinus* super *Joan.* (tract. *xxvi.* inter med. & fin.) hoc sacramentum est sacramentum unitatis: Sed contrarium unitati esse videtur multitudo. Ergo non videtur conveniens esse huic sacramento quod plures sacerdotes eandem hostiam consecrent.

Sed contra est quod secundum consuetudinem quarundam Ecclesiarum sacerdotes, cum de novo ordinantur, concelebrant Episcopo ordinanti. (1)

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (art. præc.) sacerdos, cum ordinatur, constituitur in gradu eorum qui a Domino acceperunt potestatem consecrandi in cæna. Et ideo secundum consuetudinem quarundam Ec-

(1) Quod & nunc passim observatur, licet non semper observatum ubique sequentia *Innocentii* verba

supponant.

Ecclesiarum, sicut Apostoli Christo cœnanti concœnauerunt, ita novi ordinati Episcopo ordinanti concelebrant.

Nec propter hoc iteratur consecratio super eandem hostiam: quia, sicut Innocentius III. dicit (Lib. IV. de myst. Missæ cap. xxv. in med. (1) *omnium consensus debet ferri ad idem instans consecrationis.*

Ad primum ergo dicendum, quod Christus non legitur simul baptizasse cum Apostolis, quando injunxit eis officium baptizandi: & ideo non est similis ratio.

Ad secundum dicendum, quod si quilibet sacerdotum operaretur in virtute propria, superfluerent alii celebrantes, uno sufficienter celebrante. Sed quia sacerdos non consecrat nisi in persona Christi, multi autem sunt unum in Christo; ideo non refert utrum per unum, aut per multos hoc sacramentum consecratur, nisi quod oportet ritum Ecclesiæ servari.

Ad tertium dicendum, quod Eucharistia est sacramentum unitatis ecclesiasticæ, quæ attenditur secundum hoc quod multi sunt unum in Christo.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem excludas errorem quorundam dicentium: quod non possunt plures sacerdotes unam, & eandem hostiam consecrare. *Secundo* habes: quomodo per rationem pie imitationis, quam text. corp. dixit, ostendas, illum merito damnari a consuetudine Ecclesiæ Romanæ, quæ explicata est tum in *argum. 2.º*, tum in notationibus illis ante argumenta. Et talis Ecclesiæ consuetudo, etiam si nihil aliud huic suffragaretur, sufficit & ad faciendum positionem illam esse habendam pro errore, & ad condemnationem ipsius erroris. Hoc enim non obscure videtur docuisse Apostolus per hoc, quod, ad quamdam questionem terminandam, & imponendum silentium contradicentibus, dixit 1. Corinth. *1. nos saltem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Ecce. Addicit consuetudinem Ecclesiæ Dei, tamquam magnum, quod vere est, sui dicti, de velando capite muli-

ebri, fundamentum, & nunquam validum, quod vere est, pro adversariis convincendis responsum. Vide, quam optime consona huic Apostolicæ doctrinæ sint illa, quæ ex Divo Thoma adduximus supra *nos. 3. ante argumentum primum & exam. 2. ac 3. post argumentum secundum.* Porro, quod alii, quicumque sint, Ecclesia docente, tacere debent ponentes manam suam super os suum, ostendit sanctus Doctor abundanter *2. 2. qu. 11. ar. 2. ad 3. Item, & clarius, monstratur ab Ecclesia oppositum prædictæ positionis (& per consequens ab ipsa error ille condemnatur) adhuc oppositum, inquam, demonstrat clarius, quando statuit: quod duo Episcopi, scilicet, consecrator, & consecratus debent concelebrare, id est, non tantum canonem Missæ simul dicere, sed & eandem hostiam consecrare. Unde in altari eodem sese mutuo expectant: super eandem numero materiam verba consecrationis dicturi. Hæc certe consuetudo Ecclesiæ tam aperte per se loquitur, quod & Ecclesia vult, quod hi duo eandem hostiam consecrent, & consequenter quod de mente Ecclesiæ est, quod plures sacerdotes possunt consecrare eandem hostiam; ut etiam, si quis ore proterviret, non posset tamen corde concipere contrarium, scilicet, quod Ecclesia in hac sua consuetudine non haberet mentem, qualem nunc diximus. *Tertio* vides: quomodo &c.*

A R T I C U L U S III. 496

Utrum dispensatio hujus sacramenti pertineat solum ad sacerdotem.

IV. dist. XI. quest. 11. art. 1 quest. 1. ad 3. & dist. XIII. quest. 1. art. 3. quest. 1. & 2.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod non pertineat solum ad sacerdotem dispensatio hujus sacramenti. Sanguis enim Christi non minus pertinet ad hoc sacramentum quam corpus. Sed sanguis Christi dispensatur per diaconos: unde & beatus Laurentius dixit beato Sixto: *Experire, utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti dominici*

(1) Sic enim ibi: *Cum interdum uni Pontifici multi Sacerdotes concelebrant, si forte non omnes simul consecratoria verba pronuntiant, queritur an ille solus conficiat qui primus pronuntias: Quid ergo cessari faciunt? An iterant Sacramentum? Poterit ergo contingere quod ille non conficiat qui celebrat*

principaliter, & ille conficiat qui secundario celebravit, & sic pia celebrantis intentio (vel devotio) frustrabitur: Sane dici & responderi probabiliter potest quod siue prius siue posterius proferant Sacerdotes, referri debet eorum intentio ad instans prolationis Episcopi cui concelebrant, &c.

minici sanguinis dispensationem. (1) Ergo & pari ratione dispensatio corporis Christi non pertinet ad solos sacerdotes

2. Præterea. Sacerdotes constituuntur ministri sacramentorum. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ, non in usu, ad quem pertinet dispensatio. Ergo videtur quod non pertineat ad sacerdotem corpus Domini dispensare.

3. Præterea. Dionysius dicit in Lib. eccl. Hier. (cap. III. a princ. & cap. IV.) quod hoc sacramentum habet perfectivam virtutem, sicut & chrisma. Sed signare chrismate baptizatos non pertinet ad sacerdotem, sed ad Episcopum. Ergo etiam dispensare hoc sacramentum pertinet ad Episcopum, non ad sacerdotem.

Sed contra est quod dicitur de consecr. dist. XII. (cap. XXVII.) *Pervenit ad nositiam nostram quod quidam presbyteri laico, aut famina corpus Domini tradunt ad deferendum infirmis. Igitur interdictis Synodus ne talis presumptio ulterius fiat, sed presbyter per semetipsum infirmos communicet.* (2)

Respondeo dicendum, quod ad sacerdotem pertinet dispensatio corporis Christi, propter tria.

Primo quidem quia, sicut dictum est (art. 1. hu. quæst.) ipse consecrat in persona Christi. Ipse autem Christus sicut consecravit corpus suum in cœna, (3) ita & aliis sumendum dedit. Unde sicut ad sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio. Secundo quia sacerdos constituitur medius inter Deum & po-

pulum: unde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, (4) ita ad eum pertinet dona sanctificata divinitus populo tradere. Tertio quia in reverentiam hujus sacramenti, a nulla re contingitur nisi consecrata: unde & corporale, & calix consecrantur, & similiter manus sacerdotis, ad tangendum hoc sacramentum: unde nulli alii tangere licet, nisi in necessitate, puta si caderet in terram, vel in aliquo alio necessitatis casu. (5)

Ad primum ergo dicendum, quod diaconus quasi propinquus ordini sacerdotali aliquid participat de ejus officio, ut scilicet dispenset sanguinem, non autem corpus, nisi in necessitate, jubente Episcopo, vel presbytero. Primo quidem quia sanguis Christi continetur in vase; unde non oportet quod tangatur a dispensante, sicut tangitur corpus Christi. Secundo quia sanguis designat redemptionem a Christo in populum derivatam; unde & sanguini admiscetur aqua, quæ significat populum. Et quia diaconi sunt inter sacerdotem, & populum: magis convenit diaconis dispensatio sanguinis quam dispensatio corporis.

Ad secundum dicendum, quod ejusdem est hoc sacramentum dispensare, & consecrare, ratione jam dicta (in corp. art.)

Ad tertium dicendum, quod sicut diaconus in aliquo participat illuminativam virtutem sacerdotis, inquantum dispensat sanguinem; ita sacerdos participat perfectivam dispensationem Episcopi, inquantum dispensat hoc sacramentum, quo perficitur homo secundum se per comparisonem ad Christum. Aliæ autem.

(1) Sicut in officio Ecclesiæ habetur etiam nunc, & in veteri nostro Prædicatorum Rituali tempore S. Thomæ sic habebatur: Sed cur scrupulosus immutatum quod Ambrosius lib. 1. de officiis cap. 41. expresse habet *cui commissi dominici sanguinis consecrationem?* hoc est non actionem consecrandi perficiendam, ut immutator sibi finxit, sed ipsammet consecrationem distribuendam, &c.

(2) Ex capite 2. Concilii Rhemenfis prænotatur, ubi plenus id habetur quibusdam interjectis; indeque concluditur quod *si aliter fecerit, gradus sui periculo, subjacebis Sacerdos*, ut cap. *Pervenit* videre est.

(3) Nec tantum consecravit sed primus ipse sumpsit, ut art. 1. superioris quæstionis dictum est ex Professo.

(4) Sic ad Hebr. 5. vers. 1. *Omnis Pontifex in iis qua sunt ad Deum constitui dicitur ut offerat pro hominibus dona*, &c.

(5) Puta cum olim propter persecutionum frequens discrimen sumptam de manu Sacerdotis hostiam domum deferrebant, ut si aliquod momentis periculum urgeret, ad sumendum Eucharistiam & animum

per illam roborandum parati semper essent; vel circa periculum etiam propter quasdam alias causas cum in ipso communionis puncto Sacerdotem præsentem non haberent: Hinc Basilius ad Cæsariam Patriam: *In persecutionis temporibus necessitate cogi quempiam non præsentem aliquo Sacerdote communionem propria manu sumere nequaquam grave videri posse, superfluum est demonstrare; quia id longo usu confirmatum est: Omnes etiam qui vitam in eremo solitariam agunt, ubi non est Sacerdos, communionem domi servantes, communicant seipso:* Hinc Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi mystagogica 5. *Non expansis manuum volis accede, sed sinistram veluti sedem quamdam supponens dextra qua tantum Regem susceptura est, concava manu corpus Christi suscipe:* Hinc ferm. de lapsis refert Cyprianus feminam quamdam cum arcam suam in qua *Sanctum Domini* (hoc est Eucharistiam) reposuerat, indignis aperire manibus vellet, igne inde surgente deterritam ne attingere id auderet; ut & alium qui manibus immunis Eucharistiam sibi a Sacerdote datam portans, *non sibi cinerem* (ut jam supra) invenit.

autem perfectiones, quibus homo perficitur per comparationem ad alios, Episcopo referantur.

APPENDIX.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a Papa, Ecclesia, & Conciliis: quod ad sacerdotem solum, idest non ad carentes ordine sacerdotali, pertinet dispensatio corporis Christi. A Papa quidem *Clemente*; ut habes in Decretis, *De consec. dist. c. sacerdotum*. Vide hoc recitatum sup. a. 1. *append.* Per talem enim prohibitionem de laicis, sive maribus, sive feminis, factam insinuat multo magis: quod dispensare sacrum corpus Domini non ad laicos, sed ad solum sacerdotem pertinet. A Concilio autem *Rhemensi*, ut patet in Decr. *De consecr. dist. 2. c. pervenit*. Vide verba ejus recitata in *arg. cont.* & diffusius sup. art. 1. *appen.* Ubi ex ipso patet etiam: quod dicere, dispensationem corporis Domini posse pertinere ad laicos, est multum horribile, & detestabile; & consequenter ab oppositis, quod valde consonum est, & commendatione necessario dignum, dicere: quod talis dispensatio ad solum sacerdotem pertinet. A Concilio quoque *Tyrid.* solis sacerdotibus datam esse ministrandi potestatem dicitur, *sess. 23. cap. 1. A Domino salvatore nostro Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus, & sanguinem ejus, sacra littera ostendunt, & catholica traditio semper dicit*. Hæc ibi. Et in c. 4. definit, laicos non esse sacerdotes. Ab Ecclesia etiam tota insinuat per *ly Cujus officium committi voluit solis presbyteris, quibus sic congruis, ut sumant, & dent ceteris*. Hæc illa in hymno festi corporis Christi. *Secundo* vides: quomodo &c.

Utrum sacerdos consecrans teneatur sumere hoc sacramentum.

Sup. quest. lxxx. art. 12. & IV. dist. xii. quest. 111. art. 1. quest. 2.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod sacerdos consecrans non teneatur sumere hoc sacramentum. In aliis enim consecrationibus ille qui consecrat materiam, non utitur ea, sicut Episcopus consecrans chrismum non linitur eodem. Sed hoc sacramentum consistit in consecratione materię. Ergo sacerdos perficiens hoc sacramentum non necesse habet uti eodem, sed potest licite a sumptione ejus abstinere.

2. Præterea. In aliis sacramentis minister non præbet sacramentum sibiipsi: nullus enim baptizare potest seipsum, ut supra dictum est (*quest. lxxvi. art. 5. ad 4.*) Sed sicut baptismus ordinate dispensatur, ita & hoc sacramentum. Ergo sacerdos perficiens hoc sacramentum non debet ipsum sumere a seipso.

3. Præterea. Contingit quandoque quod miraculose corpus Christi in altari apparet sub specie carnis, & sanguis sub specie sanguinis; quæ non sunt apta cibo, & potui: unde, sicut supra dictum est (*quest. lxxv. art. 5.*) propter hoc sub alia specie traduntur, ne sint horrore sumentibus. Ergo sacerdos consecrans non semper tenetur sumere hoc sacramentum.

Sed contra est quod in Concilio Toletano (*XII. can. v.*) legitur, & habetur de consecr. *dist. 11. (cap. Relatum :) Modis omnibus tenendum est, ut quotiescumque sacrificans corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi in altari immolat, toties perceptionis corporis, & sanguinis Christi participem se præbeat.*

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (*quest. lxxix. art. 5. & 7.*) Eucharistia non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium.

Quicumque autem sacrificium offert, debet sacrificii fieri particeps: quia exterius sacrificium, quod offertur, signum est interioris sacrificii, quo quis seipsum offert Deo, ut Augustinus dicit *X. de civit. Dei (cap. v.)* (1) Unde per hoc quod participat sacrificio, ostendit

(1) Paulo aliter in hæc verba: *Sacrificium ergo visibile invisibilis sacrificii sacramentum (id est sa-*

crum signum) est, &c.

A P P E N D I X.

ostendit ad se sacrificium interius pertinere. Similiter etiam per hoc quod sacrificium populo dispensat, ostendit se esse dispensatorem divinatorum, quorum ipse primo debet esse particeps, sicut Dionysius dicit in Lib. eccl. Hier. (cap. 111.) (1) Et ideo ipse ante sumere debet quam populo dispenseret. Unde & in prædicto cap. legitur: *Quale est sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* Per hoc autem fit particeps quod de sacrificio sumit, secundum illud Apostoli I. Cor. x. 18. *Nonne qui edunt hostias, particeps sunt altaris?* Et ideo necesse est quod sacerdos, quotiescumque consecrat, sumat integre hoc sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod consecratio chrisimatis, vel cuiuscumque alterius materię, non est sacrificium, sicut consecratio Eucharistię: & ideo non est similis ratio.

Ad secundum dicendum, quod sacramentum baptismi perficitur in ipso usu materię: & ideo nullus potest baptizare seipsum, quia in sacramento non potest esse idem agens, & patiens. Unde nec in hoc sacramento sacerdos consecrat seipsum, sed panem, & vinum, in qua consecratione perficitur sacramentum. Usus autem sacramenti est consequenter se habens ad hoc sacramentum: & ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod si miraculose corpus Christi in altari sub specie carnis appareat, aut sanguis sub specie sanguinis, non est sumendum. Dicit enim Origenes super Levit. (2) implic. hom. VII. in Levit. a med. & hab. cap. LXVII. de consecrat. dist. 11.) *De hac quidem hostia, qua in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet; de illa vero quam Christus in ara crucis obtulit, secundum se nulli edere licet.* Nec propter hoc sacerdos transgressor efficitur: quia ea quę miraculose fiunt, legibus non subduntur. Consulendum tamen esset sacerdoti quod iterato corpus, & sanguinem Domini consecraret, & sumeret.

Summ. S. Th. Tom. XII.

EX art. habes primo: quomodo per rationem destruas errorem *Lutheri*, ut refert, &c. ut in q. 81. art. 1. appen. dicentis, quod sacerdotes consecrantes sumere non debent corpus Christi. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illum merito damnari a Concilio *Tolet.* secundum quod recitatur in arg. cons. Ubi valde pondera *ly modis omnibus*. Quod quidem Concilium in damnationem, atque detestationem majorem opposuit & culpam ejus gravissimam pandit, & poenam addit, per hæc verba. *Eccè Apostolus dicit. Nonne, qui edunt hostias, particeps sunt altaris? Certum est, quod hi, qui sacrificantes non edunt, vel sunt Dominici sacramenti. Quicumque ergo sacerdos deinceps divino altari sacrificium oblaturus accesserit, & se a communione suspendere: ab ipsa, qua se indecenter privaverit, gratia communionis, anno uno repulsum se noverit.* Hæc ibi. Item a Papa *Gelasio* de sacerdotibus consecrantibus dicente. *Quidam, sumpta sanctummodo corporis sacri portione, a calice sacris cruentis abstinent. Qui procul dubio aut integra sacramenta percipiunt, aut ab integris arceantur. Quia divisio unius, ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Hæc ille: ut recitatur in *Decretis, de consecrat. dist. 2. cap. conperimus.* Intellige *ly ab integris arceantur*, secundum quod explanatur a Concilio illo *Tolesano*, idest quod priventur officio celebrandi Missam. Item a Concil. *Trident. sess. 13. can. 10.* secundum quod recitatur supra q. 81. art. 1. app. unde & nonnulla alia pro damnatione prædicti erroris elicere potes. Item ab eodem *Trid. sess. 13. c. 8.* "In sacramentali sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seiplos communicarent. Qui mos, tanquam ex traditione Apostolica descendens jure, ac merito retineri debet. Hæc ibi. *Tertio* vides: quomodo &c.

L 1

AR.

(2) Ubi nimirum versus finem seu §. 14. sic plenius: *Ipsa mysteriorum perceptio mysticam eorundem distributionem antecedit: Hic enim rerum divinarum ordo ac distinctio generalis est, ut prius ipse sacerdos communicet ac iis donis qua per ipsum ceteris divinitus distribuenda sunt, satiatur; ac deinde aliis ea tradat.* Nec vero placet præposterus quorundam usus qui sibi sacram exhiberi communionem ab initio Missæ petunt, vel qui eorum impor-

tant petitioni circa necessitatem acquiescunt, quod antedictis adversatur.

(2) Ut sub Hiero. nomine in *Decretis* refertur distinct. 2. de consecrat. cap. *De hoc*; sed Origenis potius est homil. 7. in *Leviticum* sic loquens, ut & ibidem ad calcem restituitur: An tributum fortasse Hieronymo, quia latine transtulerit? vel ex abbreviatis characteribus Hieronymus pro Origenis obtrusus est?

ARTICULUS V. 498

Utrum malus sacerdos Eucharistiam consecrare possit.

IV. dist. XVIII. quæst. II. art. 2. quæst. 1. ad 2.

AD quintam sic proceditur. Videtur quod malus sacerdos Eucharistiam consecrare non possit. Dicit enim Hieronymus super Sophon. (sup. illud cap. III. *Sacerdotes polluturunt :*) *Sacerdotes, qui Eucharistiam seruiunt & sanguinem Domini populis diuidunt, impie agunt in lege Christi, putantes Eucharistiam precantis (1) facere verba, non vitam, & necessariam esse tantum solummodo orationem, (*) & non sacerdotis merita: de quibus dicitur: Sacerdos in quacumque fuerit macula, non accedat offerre oblationes Domino. Sed sacerdos peccator, cum sit maculosus, nec vitam habet, nec merita huic convenientia sacramento. Ergo sacerdos peccator non potest consecrare Eucharistiam.*

2. Præterea. Damascenus dicit in IV. Lib. (orth. Fid. cap. XIV. a med.) quod *panis, & vinum per aduentum sancti Spiritus supernaturaliter transiunt in corpus, & sanguinem Domini. Sed Gelasius Papa dicit; sicut habetur in decreto I. quæst. I. (cap. Sacrosancta:) Quomodo ad diuini mysterii consecrationem celestis Spiritus inuocatus aduenit, si sacerdos, qui sum adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus comprobatur? (2) Ergo per malum sacerdotem non potest Eucharistia consecrari.*

3. Præterea. Hoc sacramentum sacerdotis benedictione consecratur. Sed benedictio sacerdotis peccatoris non est efficax ad consecrationem huius sacramenti, cum scriptum sit Malach. II. 2. *Maledicam benedictionibus vestris: & Dionysius dicit in epistola ad Demophilum monachum (VI. cir. med.) Perfectione cecidit a sacerdotali ordine, qui non est illuminatus: & audax quidem nianium mihi vi-*

detur talis, sacerdotalibus manum apponens, (3) & audet immundas infamias (non enim dicam orationes) super diuina symbola Christi-firmiter enuntiare.

Sed contra est quod (***) Augustinus (Pascalsius) dicit in Lib. de corpore Domini (4) cap. XII. vide cap. LXXVII. I. quæst. I.) *Intra Ecclesiam catholicam, in mysterio corporis, & sanguinis Domini, nihil a malo minus perficitur sacerdote: quia non in merito consecrantis. sed in verbo perficitur Creatoris, & virtute Spiritus sancti.* Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. I. & 3. hu. quæst.) sacerdos consecrat hoc sacramentum non virtute propria, sed sicut minister Christi, in cuius persona consecrat hoc sacramentum. Non autem ex hoc ipso definit aliquis minister esse Christi quod est malus: habet enim Dominus bonus, & malos ministros, seu seruos. Unde Matth. XXIV. 45. Dominus dicit: *Quis putas est fidelis seruus, & prudens? &c. & postea subdit: Si autem dixerit malus iste seruus in corde suo &c. Et Apostolus dicit I. Corinth. IV. I. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi: & tamen postea subdit: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Erat ergo certus se esse ministrum Christi; tamen non erat certus se esse iustum. Potest ergo aliquis esse minister Christi, etiam si iustus non sit.*

Et hoc ad excellentiam Christi pertinet, cui, sicut vero Deo, seruiunt non solum bona, sed etiam mala, quæ per ipsius providentiam in eius gloriam ordinantur.

Unde manifestum est quod sacerdotes, etiam si non sint iusti, sed peccatores, possunt Eucharistiam consecrare.

Ad primum ergo dicendum, quod Hieronymus per illa verba improbat errorem per illa verba improbat errorem sacerdotum, qui credebant se digne posse Eucharistiam consecrare, ex hoc solo quod sunt sacerdotes, etiam si sint peccatores; quod improbat Hieronymus per hoc quod maculosi ad altare accedere pro-

(1) Vel imprecantis ut Hieronymi textus habet in illa verba Sophoniæ 3. ver. 4. *Sacerdotes eius polluturunt Sanctum; iniuste egunt contra legem: Ubi 70. impie agunt in legem, seu contra legem, non in lege, sicut prius hic. Refertur autem causa I. qu. I. cap. Sacerdotes.*

(*) Ita cum mss. *Alceni aliisque Niccolaj; & editis plurima. Al. dicit non.*

(2) Ut manuscriptum ipsum & impressa etiam passim habent: Atqui tum in veteri Decretorum editione tua in moderna reprobat, sicut & huiusmodi patet.

2. cap. 90. part. 6. cap. 110.

(3) Ex græco τοῖς ἱερᾶτοις ἀχρεῖον sive sacerdotale munus agrediens.

(***) Ita cum mss. edit. passim. Edit. Patav. delato Augustinus, substituit Paschalius, quod D. Thomas non scripsit.

(4) Sicut expresse in Decretis refertur causa I. quæst. I. cap. *Intra Catholicam*; & sic Algerus quoque lib. 3. de sacramento Eucharistie cap. 8. tom. 6. Bibliothecæ Patrum, ut ex eodem loco citat. Sed apud Augustinum nullus occurrit talis liber ut nos

ne prohibentur; non tamen removeretur quin, si accesserint, sit verum sacrificium quod offerunt.

Ad secundum dicendum, quod ante illa verba Gelasius Papa præmittit: *Sacrosanctam religio, que catholicam continet disciplinam, tantam sibi reverentiam vendicat, ut ad eam quilibet, nisi pura conscientia, non audeat pervenire.* (1) Ex quo manifeste apparet ejus intentionem esse quod peccator sacerdos non debet ad hoc sacramentum accedere. Unde hoc quod subdit, *quomodo castus Spiritus advocatus advenit?* intelligi oportet quod non advenit ex merito sacerdotis, sed ex virtute Christi, cujus verba profert sacerdos.

Ad tertium dicendum, quod sicut eadem actio, in quantum sit ex prava intentione ministri, potest esse mala; bona autem, in quantum sit ex bona intentione Domini: ita benedictio sacerdotis peccatoris, in quantum ab ipso indigne fit, est maledictione digna, & quasi infamia, sive blasphemia, (2) & non oratio reputatur; in quantum autem profertur ex persona Christi, est sancta, & efficax ad sanctificandum. Unde signanter dicitur: *Maledicam benedictionibus vestris.* (3)

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo perturbationem interimas hæreses Joannis Wicleff, Joannis Husi. ut refertur in Concilio *Constantiensi sess. 8. 15.* dicentis, sacerdos, si est in peccato mortali, non consecrat. Et *Valdensium*, ut refert Directorium Inquisit. 2. part. q. 8. dicentium: sacerdotes rite, & legitime secundum formam Ecclesie ordinatos, quibuslibet tamen criminibus pressos non posse conficere ecclesiastica sacramenta. Et *Donatistarum* dicentium: Sacerdotum malorum aut impurorum sacramenta nulla esse. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari a D. Aug. secundum

quod est in arg. contr. Item ab ipso Concilio *Constantiensi in ead. sess. 8. & 15.* ubi & pronunciat, prædictum *Wicleff* esse hæreticum, & illius ossa mandat exhumari, atque comburi. Et sententiam dicit contra *Huss* sub forma simili. Item a Papa *Joann. XXII.* in extravag. quæ incipit, *Gloriosam Ecclesiam*, ut recitatur in eod. Directorio Inquisit. loco eod. citato. Item a Concilio *Trid. sess. 7.* de sacramentis can. 12. *Si quis dixerit: ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre sacramentum: anathema sit.* Hæc ibi. Item & idem a fortiori damnari a dictis infra in ar. 7. vides, & appendice, si recte huc inferantur, sup. art. num. 23. 29. 33. cum *Elucid.* Et ab *Addit. art. num. 74. 76. 78. 103. Eluc.* Et a Veritatibus aureis super legem veterem, *Gen. 41. concl. 4.* item *Exod. 3e. concl. 5.* Tertio vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S VI. 499

Utrum Missa mali sacerdotis minus valeat quam Missa sacerdotis boni.

IV. dist. XIII. quæst. 1. art. 1. quæst. 3.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod Missa sacerdotis mali non minus valeat quam Missa sacerdotis boni. Dicit enim Gregorius in Registro (4) *Hæc, in quam magnum laqueum incidunt qui divina, & occulta mysteria plus ab aliis sanctificata posse fieri credunt: cum unus idemque Spiritus sanctus ea mysteria occulte, atque invisibiliter operando sanctificet!* Sed hæc occulta mysteria celebrantur in Missa. Ergo Missa mali sacerdotis non minus valet quam Missa boni.

2. Præterea. Sicut baptizamus traditur a ministro in virtute Christi, qui baptizat; L I 2 ita

in indiculo Possidii qui libros Augustini collegit, re-
sentetur; Est autem Paschalis Abbatis, ut ibidem
appendix notat, & iterum dist. 2. de consecrat. cap.
strum ubi eadem verba referuntur nomine Augusti-
ni circa medium, sed nullus locus indicatur, subne-
diturque caput illud alteri quod veluti ex Paschasio
lib. de corpore & sanguine Christi cap. 9. prænota-
tum est, & quod incipit *Iteatur hæc oblatio*, &c.
Fuit autem hic Paschalius Abbas Corbejenis cuius
meminit Bellarminus in scriptoribus Ecclesiasticis ad
annum 850. temporibus Leonis Papæ quarti, & ejus
opus in 2. editione Bibliothecæ Patrum tom. 6. ha-
beri notat; sed in recentiori Parisiensi quæ ad ma-
num est, non habetur.

(1) Tum deinde subiungit, *Nam quomodo*, &c.
ut supra: Ex epistola porro Gelasii ad Elpidium
prænotatur, sed inter epistolas vel Gelasii primi tom.
2. Conciliorum part. 2. vel etiam Gelasii secundi
tom. 3. Conciliorum parte ultima non occurrit.

(2) Ut græcum κατὰ κρυπτόν melius reddi potest, eod-
dem sensu ac βλασφημία.

(3) Hoc est, *quidquid a vobis benedicitur, a me
erit maledictum*, ut in Decretis causa 1. quæst. 1.
cap. *Maledicam* explicat Hieronymus.

(4) Sine indice loci vel Registri ex Gregorio sim-
pliciter notatur in Decretis prædicta causa 1. cap.
Multi secularium §. *Hæc in quam magnum* &c. Nec
in illius epistolis occurrit aut earum registro.

ita & hoc sacramentum in persona Christi consecratur. Sed non melior baptismus datur a meliori ministro, ut supra dictum est (1) Ergo etiam neque melior Missa est quæ celebratur a meliori sacerdote.

3. Præterea. Sicut merita sacerdotum differunt per bonum, & melius; ita etiam differunt per bonum, & malum. Si ergo Missa melioris sacerdotis est melior, sequitur quod Missa mali sacerdotis sit mala: quod est inconueniens: quia *malitia ministrorum non potest redundare in Christi mysteria*, sicut Augustinus dicit in Lib. IV. de Baptismo (2) Ergo neque Missa melioris sacerdotis est melior.

Sed contra est quod habetur in Decret. 1. quæst. 1. (cap. xc1.) *Quanto sacerdotes fuerint digniores, tanto facilius in necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur.*

Respondeo dicendum, quod in Missa duo est considerare; scilicet ipsum sacramentum, quod est principale; & orationes quæ in Missa fiunt pro vivis, & mortuis.

Quantum ergo ad sacramentum, non minus valet Missa sacerdotis mali quam boni: quia utrobique idem conficitur sacramentum.

Oratio etiam quæ fit in Missa, potest considerari dupliciter. Uno modo in quantum habet efficaciam ex devotione sacerdotis orantis; & sic non est dubium quod Missa melioris sacerdotis magis est fructuosa. Alio modo, in quantum oratio in Missa profertur

a sacerdote in persona totius Ecclesiæ, cuius sacerdos est minister: quod quidem ministerium etiam in peccatoribus manet, sicut supra dictum est (art. præc.) de ministerio Christi. Unde etiam quantum ad hoc est fructuosa non solum oratio sacerdotis peccatoris in Missa, sed etiam omnes eius orationes quas facit in ecclesiasticis officiis, in quibus gerit personam Ecclesiæ: licet orationes ejus privatæ non sint fructuosæ, secundum illud Proverb. xxviii. 9. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.*

Ad primum ergo dicendum, quod Gregorius loquitur ibi quantum ad sanctitatem divini sacramenti. (3)

Ad secundum dicendum, quod in sacramento baptismi non fiunt solemnes orationes pro omnibus fidelibus, sicut in Missa. Et ideo quantum ad hoc non est simile; est autem simile quantum ad effectum sacramenti. (4)

Ad tertium dicendum, quod per virtutem Spiritus sancti, qui per unitatem caritatis communicat invicem bona membrorum Christi, fit quod bonum privatam, quod est in Missa sacerdotis boni, est fructuosum aliis; malum autem privatam unius hominis non potest alteri nocere, nisi per aliquem consensum, ut Augustinus dicit in Lib. II. contra Parmenianum (5).

AP.

(1) Tum quæst. 64. art. 5. ubi queritur generatim an mali possint sacramenta conferre ac exemplo baptismi hoc probatur; tum quæst. 67. art. etiam 5. ubi queritur speciatim an infidelis possit baptizare.

(2) Puta in libro 4. de baptismo contra Donatistas cap. 12. & in Decretis causa 1. quæst. 1. cap. *Nec foris ergo*, ubi dicitur quod *nec foris nec intus quisquam quò ex parte diaboli est, potest vel in se vel in quoquam maculare sacramentum quod Christi est*: Similiaque lib. 5. & 6. inculcantur multo expressius quam eo loco quem præcedentes editiones ad marginem ut ex libro 2. contra litteras Petiliani cap. 47. reponebant: Sic enim ibi tantum prope finem; *Memento sacramentis Dei nihil obesse mores malorum hominum quo illa vel omnino non sint vel minus sancta sint sed ipsis malis, &c.* postquam ab initio dixit quod non ideo Simon magis baptismum inquit navis quia eo sancto usi noluit, &c.

(3) Secundum se consideratam, quasi ad eam ipsiusmet ministri major sanctitas conferre quidquam putaretur.

(4) Quod scilicet effectus ille prout est sacramenti considerati secundum se, non sit in uno major quam in alio, &c.

(5) Sive contra Parmeniani epistolam lib. 2. cap. 12. (non cap. 13. sicut prius indicabatur ad marginem) *Unitique ut est proprium* (inquit) *nec*

quisquam sine consensu cordis sui ex ore vulneratur alieno. Appendix autem sequens quod *extra Ecclesiam Catholicam veri sacrificii locus non est*, refertur in Decretis prædicta causa 1. cap. *Extra* ut ex libro sententiarum Augustini apud Prosperum ubi cap. 15. prope finem habetur: *Ut & illud quod ex Leone subjungitur, notatur ibi paulo aliter & plenius cap. in Ecclesia Dei: nempe quod in Ecclesia Dei, qua corpus Christi est, aliter nec rata sunt sacrificia nec vera sacrificia, nisi in nostra proprietate natura verus nos Pontifex reconciliat, verus immaculati agni sanguis emundet* ex cap. 2. epistolæ 48. quæ ad Anatolium inscribitur: Denique quod nomine Innocentii subsequitur (scilicet primi) & ex illius epistola 18. cap. 3. desumptum est, refertur paulo infra eadem causa & quæst. cap. *Arianos* multo plenius quam hic: *Nempe quod quibus solum baptismum ratum esse permittimus (quod utique in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti perficitur) nec Spiritum sanctum eos habere ex illo baptismo illisque mysteriis arbitramur, quoniam cum a Catholica fide earum auctores desisterent, perfectionem Spiritus quem acceperant, amiserunt; nec dare ejus plenitudinem possunt quam per impietatis suæ perfidiam potius quam per fidem dixerim perdidissent: propter quod fieri non potest ut eorum uni prophanos Sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur.*

subjungit immediate *ly recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene. Secundo vides: quomodo &c.*

EX art. habes primo: quomodo per rationem & ostendas, & recte intelligas, merito esse insinuatam a scripturis, Papa, & concilio, quod Missa boni sacerdotis est melior, seu magis valet, quam mali. A Papa quidem *Alexandro*, secundam quod ponitur in *arg. cont.* A Concilio autem *Toletano* 4. per hoc, quod dicit can. 20. *Abstineamus ergo nos sacerdotes ab omni opere malo, ut mundi corpore, purgati mente, possimus ad sacrificium Christi digni accedere, & Deum pro delictis omnium deprecari.* Hæc ibi: Nisi enim Missa boni sacerdotis esset fructuosior ad deprecandum pro delictis, & a simili pro ceteris necessitatibus omnium: non esset, quod concilium post exhortationem ad pure vivendum factam sacerdotibus, subjungeret *ly ut possimus digni pro delictis omnium deprecari.* Liquido igitur constat, mentem concilii ibi esse: quod Missa, quam sacrificium Christi vocat, si a bono sacerdote celebretur, est melior, quam si a malo, & hoc, quantum ad efficaciam deprecandi pro omnibus. A scripturis item insinuat illud per hoc, quod in *Pf. 144. Voluntatem timentium se faciet.* Dicitur enim istud & ad ostendendum efficaciam orationis, quæ desiderii voluntatis est interpres, *secunda secunda quest. 8.* factæ a timentibus Deum, & ad monstrandam differentiam inter valorem orationis timentium ac non timentium Deum. Ac si dictum fuisset in proposito. Voluntatem bonorum sacerdotum expressam in orationibus Missarum a seipsis dictarum Dominus faciet plus admodum, quam sacerdotum malorum. Ubi & secundum regulam topicam, scilicet, *sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis, ad magis, ita maxime ad maxime,* notabis, id, quod etiam sentit præfens articulus, quod voluntatem in Missa sacerdotum magis timentium Deum magis faciet, & optimorum adhuc magis, idest, quod Missa boni est melior, quam mali, & melioris, est plus melior, & optimi est plus adhuc melior timentium, inquit, Deum, idest, recedentium ab omni peccato, & facientium bene, ut exponitur in *lib. Tobie cap. 4.* & hi procul dubio boni sunt: idem ergo est timere Deum, & esse bonum, & e converso, idest, esse bonum, & timere Deum. Textus enim libri *Tobie*, ut diximus, hanc veritatem docet per hoc, quod dicit cap. 4. *si timuerimus Deum.* Nam, tamquam exponens, quid importet timere Deum,

A R T I C U L U S VII. 500

Utrum hæretici, schismatici, & excommunicati possint consecrare.

IV. dist. XIII. quest. 1. ars. 1. quest. 3. & in exp. li. in prin. & dist. XVIII. quest. 1. ars. 2. quest. 3. ad 1. & dist. XIX. quest. 1. ars. 2. quest. 3. ad 1. & quot. XII. ars. 16.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod hæretici, schismatici, & excommunicati Eucharistiam consecrare non possint. Dicit enim Augustinus (Prosper in Lib. Sent. Augustini cap. xvi.) quod *extra Ecclesiam catholicam non est locus veri sacrificii: & Leo Papa dicit (epist. xl. cap. 11.) & habetur in Decretis 1. quest. 1. (cap. lxxviii.) Aliter, scilicet quam in Ecclesia, quæ corpus Christi est, nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia.* Sed hæretici, schismatici, & excommunicati sunt ab Ecclesia separati. Ergo non possunt verum sacrificium conficere.

2. Præterea. Sicut ibidem legitur (cap. lxxiii. 1. quest. 1.) Innocentius I. Papa (epist. xviii. a med.) dicit: *Arianos, ceterasque ejusmodi pestes, quia laicos eorum sub imagine penitentiae suscipimus, non videtur clericos eorum cum sacerdotii, aut cujuscumque ministerii suscipi debere dignitate, quibus solum baptismum ratum esse permittimus.* Sed non potest aliquis consecrare Eucharistiam, nisi sit eum sacerdotii dignitate. Ergo hæretici, & ceteri hujusmodi non possunt Eucharistiam consecrare.

3. Præterea. Ille qui est extra Ecclesiam, non videtur aliquid posse agere in persona totius Ecclesiæ. Sed sacerdos consecrans Eucharistiam hoc agit in persona totius Ecclesiæ; quod patet ex hoc quod omnes orationes proponit in persona Ecclesiæ. Ergo videtur quod illi qui sunt extra Ecclesiam, scilicet hæretici, schismatici, excommunicati, non possint consecrare Eucharistiam.

Sed contra est quod Augustinus dicit in II. contra Parmenianum (cap. xiiii. ante med.) *Sicut baptismus in eis, scilicet hæreticis, schismaticis & excommunicatis, ita ordinatio mansit integra.*

gra.

gro. Sed ex vi ordinationis sacerdos potest consecrare Eucharistiam. Ergo hæretici, schismatici, & excommunicati, cum in eis maneat ordinatio integra, videtur quod possint consecrare Eucharistiam.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod hæretici, schismatici, & excommunicati, quia sunt extra Ecclesiam, non possunt conficere hoc sacramentum.

Sed in hoc decipiuntur: quia, sicut Augustinus dicit in II. contra Parmenianum (loc. cit.) aliud est aliquid omnino non habere, aliud autem non recte habere: & similiter etiam est aliud non dare, & aliud non recte dare. Illi igitur qui intra Ecclesiam constituti receperunt potestatem consecrandi Eucharistiam in ordinatione sacerdotii, recte quidem habent potestatem, sed non recte ea utuntur, si postmodum per hæresim, aut schisma, vel excommunicationem ab Ecclesia separantur. Qui autem sic separati ordinantur, nec recte habent potestatem, nec recte utuntur. Quod tamen utrique potestatem habeant, patet per hoc quod, sicut Augustinus ibidem dicit, cum redeunt ad unitatem Ecclesie, non reordinantur, sed recipiuntur in suis ordinibus. Et quia consecratio Eucharistie est actus consequens ordinis potestatem, illi qui sunt ab Ecclesia separati per hæresim, aut schisma, vel excommunicationem, possunt quidem consecrare Eucharistiam, quæ ab eis consecrata verum corpus, & sanguinem Christi continet; non tamen hoc recte faciunt, sed peccant facientes: & ideo fructum sacrificii non percipiunt, quod est sacrificium spirituale.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritates illæ, & similes intelligendæ sunt quantum ad hoc quod non recte extra Ecclesiam sacrificium offertur. (1) Unde extra Ecclesiam non potest esse spirituale sacrificium, quod est verum veritate fructus, licet sit verum veritate sacramenti; sicut etiam supra dictum est (quæst. lxxx. art. 3.) quod peccator sumit corpus Christi sacramentaliter, sed non spiritualiter.

Ad secundum dicendum, quod solus baptismus permittitur esse ratus hæreticis, & schismaticis, quia possunt licite baptizare in articulo necessitatis; in nullo autem casu licite possunt Eucharistiam consecrare, vel alia

sacramenta conferre.

Ad tertium dicendum, quod sacerdos in Missa in orationibus quidem loquitur in persona Ecclesie, in cujus unitate consistit; sed in consecratione sacramenti loquitur in persona Christi, cujus vicem in hoc gerit per ordinis potestatem. Et ideo si sacerdos ab unitate Ecclesie præcisus Missam celebret, quia potestatem ordinis non amittit, consecrat verum corpus, & sanguinem Christi; sed quia est ab Ecclesie unitate separatus, orationes ejus efficaciam non habent.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim quorundam (qui licet non fuerint hæretici, utpote de quibus verificaretur illud B. Aug. recitatum in 2. 2. q. 1. art. 2. ad 3. tamen hæresis est hæc illorum positio) dicentium: quod hæretici consecrare non possunt. Hæresis enim indubitanter est sententia illa, ad quam necessario sequitur destructio alicujus dogmatis fidei catholicæ. Prædicta autem positio est hujusmodi, ut nunc patebit. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari a Concilio Florentino per hoc, quod dicit. *Inter hæc sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, idest spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum indelebile imprimunt in anima. Unde in eadem persona non reiterantur.* Hæc illud in constitutione super unionem Armenorum. Character ergo ordinis, cum sit indelebilis, manet semper in hæreticis post ordinem sacerdotii susceptum (ut patet necessario ex prædictis concilii verbis) ergo tales hæretici semper sunt veri sacerdotes, utpote sacerdotii characterem realiter insigniti. ergo habent semper potestatem consecrandi corpus Christi. Nam talis potestas traditur unicuique ab episcopo, cum ordinatur ad sacerdotium, & per calicis cum vino, patenæque cum pane porrectionem, & per formam verborum, scilicet. *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia, &c.* Secundum enim idem concilium in eadem constitutione, tunc ordo presbyteratus confertur. Quod est dicere secundum præmissa concilii verba: & quod tunc

(1) Quamobrem Augustinus non simpliciter negat verum sacrificium esse quod extra Ecclesiam fit, sed extra illam esse locum veri sacrificii ubi congruenter offerri possit: Et similiter Leo non simpliciter ait sacerdotia non aliter quam in Ecclesia Dei rata esse ut nec vera sacrificia, sed quod in Ecclesia ipsa

non sint rata nec vera, nisi nos Christi sanguis emundet; quod ad effectum spectat: Ut & Innocentius primus toto quem supplevimus discursu satis ostendit se non de veritate sacramenti, sed solummodo de effectu vel fructu loqui, quem sequacibus nunquam suis conferre possunt hæretici.

tunc character ordinis talis imprimitur, & quod character talis est potestas illa, quam exprimit Episcopus dicens; *Accipis potestatem* &c. Nec mireris, quod concilium dixerit supra, quod character est signum, & nunc denotet, quod character est potestas, quia utramque, scilicet quod sit & signum, & potestas, verificatur de characterē; ut patet in *q. 63. a. 2. ad. 3.* Potestas igitur consecrandi, & offerendi, quæ duo insimul jungit Concil. *Trid. sess. 23. c. 1. & can. 1.* indelebiter sacerdotibus, postquam semel ab Episcopo taliter promoti fuerint, semper inhzret: alioquin potestas ipsa non esset character sacerdotalis; quod est, ut nunc patuit, Contra Concil. *Flor.* Nec obstat immobilitati præmissæ potestatis, mobilitas voluntatis, quoniam, quantumcumque voluntas in hæresim, vel etiam in apostasiam a fide, moveatur, character non remouetur: & hoc propter immobilitatem primi moventis, idest Dei, *q. 63. ar. 5. ad secundum.* Ex quo loco D. Thomæ patet, quam magna sit bonitas Dei; qui beneficia grandia, quale est huiusmodi potestas, semel gratis collata hominibus conservat semper in ipsis, etiam si ipsi nolint. Unde & huic tantæ bonitati divinæ opponitur hæresis illa in principio appendicis dicta. Et ideo tanto magis damnanda est: quanto non solum veritatem dogmatum fidei a Concilio *Flor.* definitam tollit, sed & magnitudinem divinæ bonitatis impugnat. Item damnari a Concilio *Trid.* per hoc, quod dicit *sess. 7. de sacramentis can. 9. Si quis dixerit; in ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, anathema sit.* Hæc ibi. Et per hoc, quod dicit *sess. 2. ca. 4. Quoniam in sacramenta ordinis character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest: merito sancta synodus damna-*

eorum sententiam, qui asserunt, novi testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere. Et cano. 4. *si quis dixerit, post sacram ordinationem non imprimi characterem, vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum unusus fieri posse: anathema sit.* Hæc ibi. Item damnari a D. Aug. ut cum discursu ponitur in *arg. contr. Tertio* vides: quomodo &c.

ARTICULUS VIII. 501

Utrum sacerdos degradatus possit hoc sacramentum conficere .

IV. ar. XIII. quest. 11. art. 1. quest. 4. & quol. XII. art. 16.

AD octavam sic proceditur. Videtur quod sacerdos degradatus non possit hoc sacramentum conficere . Nullus enim conficit hoc sacramentum nisi per potestatem consecrandi quam habet. Sed degradatus non habet potestatem consecrandi, licet habeat potestatem baptizandi, ut dicit canon 1. *quest. 1. cap. Quod quidam* (1) in appendice Gratiani ad can. illum.) Ergo videtur quod presbyter degradatus non possit Eucharistiam consecrare .

2. Præterea. Ille qui aliquid dat, potest etiam auferre. Sed Episcopus dat presbyteræ potestatem consecrandi, ordinando ipsum. Ergo etiam potest ei auferre degradando eum.

3. Præterea. Sacerdos per degradationem aut amittit potestatem consecrandi, aut solam executionem. Sed non solam executionem: quia sic non plus amitteret degradatus quam excommunicatus, qui etiam executione caret. Ergo videtur quod amittat potestatem consecrandi: & ita videtur quod non possit conficere hoc sacramentum.

Sed

(1) Imo non canon ipse qui sumptus est ex Augustino lib. 2. contra Parmenianum ubi supra & oppositum plane dicit, nimirum quod utramque pariter potestatem in eo statu retineat, ut patet infra sed obiectio contra Canonem ipsum, in appendice Gratiani, quæ post relata Augustini verba sic addit; *Opponitur autem huic Augustini sententia quod potestas dandi baptismum & jus consecrandi dominicum corpus & largiendi sacros ordines plurimum inter se differunt: Suspensio enim vel depositio sacerdote, nulla ei potestas relinquitur sacrificandi: Sacramentum tamen baptismi non solum à sacerdote deposito vel à laico Catholico, verum etiam ab hæretico vel pagano, si ministratum fuerit nulla reiteratione violabitur; nulla autem ratio fixit ut inter Sacerdotes habeantur qui de manibus laici vel pagani oleum sacra (imo execranda) unctionis assumunt: Non ergo consequenter colligitur ut si recedat quibus a fide*

ius baptizandi relinquatur, potestas etiam distribuendi sacros ordines relinquatur, quamvis utrumque a consecratione proveniat: Degradatus enim Episcopus potestatem largiendi sacros ordines non habet, factum tamen solum baptizandi non amisit. Sed quia manuscripta Exemplaria Decretorum textum Canonum cum adjunctis appendicibus Gratiani uno tenore confundebant, sic usurpavit S. Thomas. Respondet autem Gratianus objectioni suæ ne Augustinum reprobare penitus videatur, aliud esse potestatem distribuendi ordines sacros, aliud executionem illius potestatis. Qui enim intra unitatem Catholicæ Ecclesiæ constituti sacerdotes vel episcopales unctionem accipiunt, officium & executionem sui officii ex consecratione adipiscuntur: Recedentes vero ab integritate fidei potestatem acceptam sacramento tenus retinens, effectu sua potestatis penitus privantur, &c.

Sed contra est quod Augustinus in II. contra Parmenianum (cap. XIII.) probat, quod apostata a fide non caret baptisate, per hoc quod per penitentiam redeuntibus non restituitur; & ideo amitti non posse iudicatur. Sed similiter degradatus, si reconcilietur, non est iterum ordinandus. Ergo non amittit potestatem consecrandi: & ita sacerdos degradatus potest conficere hoc sacramentum.

Respondeo dicendum, quod potestas consecrandi Eucharistiam pertinet ad characterem sacerdotalis ordinis. Character autem quilibet, quia cum quadam consecratione datur, indelebilis est, ut supra dictum est (quæst. LXIII. art. 5.) sicut & quarumcumque rerum consecrationes perpetuæ sunt, nec amitti, nec reiterari possunt. Unde manifestum est quod potestas consecrandi non amittitur per degradationem. Dicit enim Augustinus in II. contra Parmenianum (cap. XIII. ante med.) *Utrumque, scilicet baptismus, & ordo, sacramentum est, quadam consecratione utrumque homini datur; illud, cum baptizatur; istud, cum ordinatur: ideoque non licet a Catholicis utrumque iterari.* Et sic patet quod sacerdos degradatus potest conficere hoc sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod canon ille non loquitur assertive, sed inquisitive, sicut ex circumstantia litteræ haberi potest.

Ad secundum dicendum, quod Episcopus non dat potestatem sacerdotalis ordinis propria virtute, sed instrumentaliter sicut minister Dei; cuius effectus per hominem tolli non potest, secundum illud Matth. XIX. 6. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Et ideo Episcopus non potest hanc potestatem auferre; sicut nec ille qui baptizat, potest auferre characterem baptismalem.

Ad tertium dicendum, quod excommunicatio est medicinalis. Et ideo excommunicatio non aufertur executio sacerdotalis potestatis, quasi in perpetuum, sed ad correctionem usque ad tempus; degradatis autem aufertur executio, quasi in perpetuum condemnatis.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim quorundam, qui licet non, &c. ut in a. 7. app. dicentium: quod degradati non possunt consecrare. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari a D. August. ut cum explicatione ponitur in arg. contr. Item ab

eodem a fortiori, ut a. 7. arg. contr. Nam si de hæreticis verificatur, quod possint consecrare: multo utique magis de degradatis, quoniam peiores sunt, & plus extra Ecclesiam hæretici, cum & omnium infidelium deteriores existant, *secunda secunda, quæst. 10. art. 4. quam degradati. Peccant tamen etiam degradati conficiendo: sicut de aliis ab Ecclesia separatis dictum est art. 7. Item damnari a Concilio Florentino, & Tridentino, secundum quod prudens, discurrendo ex dictis in ar. 7. app. ad propositum præsens, facile iudicabit. Tertio vides: quomodo &c.*

A R T I C U L U S IX. 503

Utrum liceat ab excommunicatis, vel hæreticis, seu peccatoribus communionem recipere, & eorum Missam audire.

Sup. quæst. LXIV. art. 9. ad 2. & 3. & IV. dist. XIII. quæst. 1. art. 3. quæst. 3.

AD nonum sic proceditur. Videtur quod aliquis licite possit communionem recipere a sacerdotibus hæreticis, vel excommunicatis, vel etiam peccatoribus, & ab eis Missam audire. Sicut enim Augustinus contra Petilianum (Lib. III. cap. IX. in fi. vide cap. *Næque in homine, 1. quæst. 1.*) dicit, *næque in homine homo, neque in homine malo aliquis Dei fugiat sacramenta.* Sed sacerdotes, quamvis sint peccatores, & hæretici, vel excommunicati, verum conficiant sacramentum. Ergo videtur quod non sit vitandum ab eis communionem accipere, vel eorum Missam audire.

2. Præterea. Corpus Christi verum figurativum est corporis mystici, sicut supra dictum est (quæst. LXXX. art. 4.) Sed a prædictis sacerdotibus verum corpus Christi consecratur. Ergo videtur quod illi qui sunt de corpore mystico, possint eorum sacrificiis communicare.

3. Præterea. Multa peccata sunt graviora quam fornicatio. Sed non est prohibitum audire Missas sacerdotum aliter peccantium. Ergo etiam non debet esse prohibitum audire Missas sacerdotum fornicariorum.

Sed contra est quod Canon dicit XXXII. dist. (cap. v.) *Nullus Missam audiat sacerdotis quam indubitanter concubinam novit habere: & Gregorius dicit in III. Dialogorum (cap. XXXI. parum a princ.) quod pater perfidus Arianum Episcopum misit ad filium, ut de ejus manu sacrilega consecrationis communionem perciperet.*

Secd

ad vir Deo deditus Ariano Episcopo venienti reprobravit, ut debuit.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. 7. & 8. præc.) sacerdotes, si sint hæretici, vel schismatici, vel excommunicati, vel etiam peccatores, quamvis habeant potestatem consecrandi Eucharistiam, non tamen ea recte utuntur, sed peccant utentes. Quicumque autem communicat alium in peccato, ipse particeps peccati efficitur. Unde & in II. Canonica Joannis 11.

1) dicitur, quod *qui dixerit ei, Ave, scilicet hæretico, communicat operibus illius malignis.* Et ideo non licet a prædictis communionem accipere, aut eorum Missam audire.

Differt tamen inter prædictas sectas. Nam hæretici, & schismatici, & excommunicati sunt per sententiam Ecclesie executione consecrandi privati. Et ideo peccat quicumque eorum Missam audit, vel ab eis accipit sacramenta. Sed non omnes peccatores sunt per sententiam Ecclesie executione hujus potestatis privati. Et sic quamvis sint suspensi quantum ad se ex sententia divina, non tamen quantum ad alios ex sententia Ecclesie. Et ideo usque ad sententiam Ecclesie licet ab eis communionem accipere, & eorum Missam audire. Unde super illud I. Corinth. v. *Cum hujusmodi nec cibum sumere*, dicit Glossa Augustini (1) hom. ult. inter I. a med.) : Hoc dicendo noluit hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio, sed potius ex lege Dei, secundum ordinem Ecclesie, sive ultro confessum, sive accusatum, & convictum.

Ad primum ergo dicendum, quod in hoc quod refugimus audire Missas talium sacerdotum, aut ab eis communionem recipere, non refugimus Dei sacramenta, sed potius ea veneramus; (unde hostia a talibus sacerdotibus
Summ. S. Th. Tom. XII.

tibus consecrata est adoranda; & si reservertur, licite potest sumi a sacerdote legitimo: sed refugimus culpam indigne ministrantium: (3)

Ad secundum dicendum, quod unitas corporis mystici est fructus corporis veti percepti. Illi autem qui indignè percipiunt, vel ministrant, privantur fructu, ut supradictum est (art. 7. hu. quæst. & quæst. lxxx. art. 4.) Et ideo non est sumendum ex eorum dispensatione sacramentum ab eis (*) qui sunt in unitate Ecclesie,

Ad tertium dicendum, quod licet fornicatio non sit gravior ceteris peccatis, tamen ad eam proniores sunt homines propter carnis concupiscentiam. Et ideo specialiter hoc peccatum sacerdotibus prohibitum est ab Ecclesia, & ne aliquis audiat Missam concubinari sacerdotis. Sed hoc intelligendum est de notorio, vel per sententiam quæ fertur in convictum, vel per confessionem in iure factam, vel per evidentiam facti, quando non potest peccatum aliqua tergiversatione celari.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a Papa Nicolao, Gregorio, & Concilio, quod nullus hæreticorum, aliorumque prædictorum debet audire Missas, aut ab eis sacramentum Eucharistie recipere. A Papa quidem Nicolao, ut recitatur *dist. 32. c. Nullus.* A S. Gregorio autem, ut legitur in 3. c. 31. secundum quod de utrisque patet in *arg. contr.* Imo idem Nicolaus ad *majorum præmissarum sententiam* dicit. *Sacerdotes, si in fornicationis ceciderint laqueum, & criminis manifestus sit actus, sacerdotii honorem habere non possunt, secundum canonice institutionis auctoritatem.* Hæc ille, quæ recitantur *distin. 50.* Expone *ly honorem sacerdotii, idest expugnationem*

M m

æem

(1) Idest secunda epistola ex tribus quas conscripsit & quæ ad firmiorem auctoritatem cum aliis a Petro, Juda & Jacobo conscriptis *Canonice* vocari solent, ne quis dubias putet: vel ob alias causas quas passim interpretes assignant, & maxime Lortius cum in illas præfatur.

(2) Vetus dumtaxat manuscripta quæ nec exprimit nomen Augustini, quamvis ex ejus homilia de utilitate penitentiae vel homil. 50. lib. 50. homiliarum desumpta est: Sed nihil tale in moderna impressa explicite.

(3) Quod autem supra velut ex Augustino contra Petilianum notabatur, & sic refertur in Decretis prædicta causa 1. cap. *Neque*, paulo aliter lib. 3. contra litteras Petiliani cap. 9. textus originalis habet:

Nemo gloriatur nec in homine bono: Nemo boni Dei fugiat nec in homine malo: Quod contra eos inculcatur qui sacramenta Catholicorum adversantium sibi quasi prophana respuebant: (nimirum Donactas) postquam cap. 8. præmissum est: Nec enim vero sicut Petilianus inconsideratus dixit, conscientia dantis vel sancte dantis attenditur qua ablucæ conscientiam accipientis. Cum enim hoc datur quod Dei est, sanctum dat etiam non sanctis conscientis: Quæ certe sive sit sancta; sive non sancta ab accipientibus inspicere non potest, sed plane illud quod datur potest quod cognitum est huius semper est sanctus, per quem qualiter ministrum accipitur, securissime accipitur.

(*) Ita missæ & edicti passim. At perperam quæ non sunt.

nem officii sacerdotalis, puta dicere Missam, &c. Quomodo autem intelligenda sint præmissa, idem Nicolaus quasi exponens semetipsum respondendo ad consulta Bulgarorum inquit; *Sciscitantibus vobis: si a sacerdote, qui fuerit comprehensus in adulterio, siue de hoc sola fama resperfus, debeatis communionem recipere, necne. Respondemus. Non potest aliquis, quantumcumque pollutus sit, sacramenta divina polluere; quæ purgatoria cunctarum consanguinum existunt. Quotiscumque enim sacerdos sit: quæ sancta sunt, coinquinari non possunt. Idcirco ab eo, quousque iudicio Episcoporum reprobetur, communicatio percipienda est. Quoniam mali, bona administrando, se tantummodo ledunt. Et ceræ fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris administrat: & unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Sumite ergo intrepide ab omni sacerdote Christi mysteria, quia omnia in fide Christi purgantur. Hæc ille; quæ & recitantur in decretis, 15. question. 8. A Concilio quoque Tridentino, per hoc, quod dicit sess. 22. de cr. &c. celebr. Missæ. Episcopi neminem, qui publice, & notorie criminofus sit, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant. Hæc ibi. Solvendo vides: quomodo &c.*

ARTICULUS X. 503

Utrum liceat sacerdoti omnino a consecratione Eucharistia abstinere.

IV. dist. XII. quest. III. art. 2. quest. 3. & dist. XIII. quest. 1. art. 3. quest. 1.

AD decimum sic proceditur. Videtur quod liceat sacerdoti omnino a consecratione Eucharistia abstinere. Sicut enim ad officium sacerdotis pertinet Eucharistiam consecrare, ita etiam baptizare; & in aliis sacramentis ministrare. Sed sacerdos non tenetur ministrare in aliis sacramentis, nisi propter cu-

ram animarum susceptam. Ergo videtur quod nec etiam teneatur Eucharistiam consecrare, si curam non habeat animarum.

2. Præterea. Nullus tenetur facere quod sibi non licet; alioquin esset perplexus. Sed sacerdoti peccatori, vel etiam excommunicato non licet Eucharistiam consecrare, ut supra dictum est (art. 7. hæc. quest.) Ergo videtur quod tales non teneantur ad celebrandum, & ita nec alii: alioquin ex sua culpa commodum reportarent.

3. Præterea. Dignitas sacerdotalis non perditur per subsequentem infirmitatem: dicit enim Gelasius Papa, & habetur in Decretis dist. IV. (cap. XII.) *Sicut præcepta vetera non possunt venire ad sacerdotium debile corpore; ita si quis in eo fuerit constitutus, ac tunc fuerit sauciatus, amittere non potest quod tempore sua sinceritatis (1) accepit.* Contingit autem quandoque quod ordinati in sacerdotes incurrunt aliquos defectus, ex quibus a celebratione impediuntur, sicut est lepra, vel morbus caducus; vel aliquid aliud huiusmodi. Non ergo videtur quod sacerdotes ad celebrandum teneantur.

Sed contra est quod dicit Ambrosius in quadam oratione: *Grave est quod ad mensam tuam mundo corde, & manibus innocensibus non venimus; sed gravius est, si dum peccata memimus, etiam sacrificium non reddimus.* (2)

Respondendo dicendum, quod, quidam dixerant, quod sacerdos potest omnino a consecratione licite abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare populo, & sacramenta præbere.

Sed hoc irrationabiliter dicitur: quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud II. ad Corinth. VI. I. *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* (3) Opportunitas autem sacrificium offerendi non solum attenditur per comparisonem ad fideles Christi, quibus oportet sacramenta ministrari, sed principaliter per comparisonem ad Deum, cui consecratione huius sacramenti sacrificium offertur. Unde sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebra-

(1) Sic omnia Decreti tam vetera quam nova monumenta & manuscriptum ipsum summæ (id est integritatis membrorum;) non ut alia quædam Exemplaria, sanitas.

(2) Refert etiam sub eisdem nomine Alexander Halensis quarta parte, quest. II. Membro 2. art. 4. §. 1. Sed in modernis Ambrosii exemplaribus non occurrit, nec tale quidquam habeat præcationes duas

præparatorie ad Missam quæ in ultimo ejus tono integrè continentur.

(3) Ad gratiam sanctificationis pertinere fati intelligitur ex adjunctis, & sic explicat ibi S. Thomas, cum in vacuum eam recipi ait, quando fructus ex illa non sentitur; Sed ad gratiam gratis datam extendi potest ut hic.

A P P E N D I X.

ione cessare; sed saltem videtur quod celebrare teneatur in præcipuis festis, & maxime in illis diebus in quibus fideles communicare consueverant. Et hinc est quod II. Machab. v. 14. contra quosdam sacerdotes (1) dicitur quod jam non circa altaris officia dediti erant, contempto templo, & sacrificiis neglectis.

Ad primum ergo dicendum, quod alia sacramenta perficiuntur in usu fidelium: & idcirco in aliis ministrare non tenetur nisi illi qui super fideles suscipit curam. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiæ, in qua sacrificium Deo offertur, ad quod sacerdos obligatur Deo ex ordine jam suscepto.

Ad secundum dicendum quod sacerdos peccator, si per sententiam Ecclesiæ sit executione ordinis privatus vel simpliciter, vel ad tempus, redditus est impotens ad sacrificium offerendum: & ideo obligatio tollitur. Hoc tamen cedit sibi in detrimentum spiritualis iustis magis quam in emolumentum. Si vero non sit privatus potestate celebrandi, non soluitur obligatio: nec tamen perplexus est, quia potest de peccato penitere, & celebrare.

Ad tertium dicendum quod debilitas, vel infirmitas superveniens ordini sacerdotali ordinem non tollit; executionem tamen ordinis (*) impedit quantum ad consecrationem Eucharistiæ: quandoque quidem propter impossibilitatem executionis, sicut si privetur oculis, ut digitis, aut usu linguæ; quandoque autem propter periculum, sicut patet de eo qui contrahitur morbum caducum, vel etiam quantumque alienationem mentis; (2) quandoque propter abominationem, sicut patet de leproso, qui non debet publice celebrare; potest tamen Missam dicere occulte, nisi lepra admodum invaluerit quod per corruptionem membrorum eum ad hoc reddiderit impotentem.

EX art. habes primo: quomodo destruas errorem illorum, qui dicunt id, quod in principio tex. corp. ponitur. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illum merito damnari a B. Ambrosio, secundum quod recitatur in ar. cont. Ubi diligenti consideratione pondera, quantum gravitatem peccati incurere sacerdotem omnino a celebratione cessantem, sentiat ipse Ambrosius, quando respectu sacerdotis immundo corde, impurisque manibus celebrantis gravius esse dicit, non reddere sacrificium, id est, ut verbis tex. utamur, a consecratione Eucharistiæ, seu a celebratione Missæ, omnino abstinere. Item ad facilius penetrandum ly si dum peccata metuimus, sacrificium non reddamus, notabis verba Cyrilli super Joannem, quibus, tamquam a simili, & ipse damnat errorem prædictum. Sunt vero huiusmodi. *Scienti baptizati homines, si longo temporis spatio propter similitudinem religionem mystice communicare Christo recusent, ab æterna se vita procul depellere. Quippe recusatio huiusmodi, quamvis ex religione proficisci videatur, & scapdulum facit, & laqueos instruit. Quare oportet, omnibus viribus a peccato mundari, & recte vivendi iactis fundamentis, magna cum fiducia ad sumendam vitam concurrere.* Hæc ibi. In quibus tu ea ad propositum istud suaviter inflectendo pro ly mystice communicare Christo, dices celebrare, & pro ly ad sumendam vitam concurrere, dices ad celebrandum Missam concurrere. Item a Concilio Trid. per hoc quod dicit sessione vigesima tertia capite decimo quarto, de reformatione. *Curet Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus: si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut*

M m 2

fu

(1) Ab Iafone depravatos qui cum principatum id est summum pontificatum obtinisset, statim a gentium ritum contribules suos transferre cepit, & civium jura destituentis prava instituta sanciebat: licentiam ausus est, sub ipsa arce gymnasium constituere (id est Judæorum exercitium) & optimos quoque ephæborum (sive adolescentium), in lupanariis ponere: Ita ut sacerdotes jam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo & sacrificiis neglectis festinantem fieri participes palæstra, &c. ut plenius veris. 10. & sequentibus videre est.

(*) Ita cum codd. Camer. & Aican. Nicolaus primo. Al. tollit.

(2) Hinc in Decretis causa 7. quæst. 1. cap. In visis litteris Alexander 2. de Clerico caducum mortuum post adeptum sacerdotium patiente: *Consilius ut si frequenter hoc morbo tangitur, a Missa-*

rum celebratione modis omnibus prohibeatur; Indecens enim est & periculosum ut in consecratione Eucharistiæ morbo victus epileptico cadat: Ut & cap. Nuper ibi proxime subsequenti de quodam qui frequenter in terram propter infirmitatem elidebatur & spumabat: Cap. autem Presbyterum ex Eugenio 1. Extra de Clerico debilitato vel ærotante: Presbyterum cujus duos digitos cum mediocritate palma a prædione abscissos significasti, Missam non permitimus celebrare, quia nec securo propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri posse confidimus. Ibidem quoque quoad leprosum ex Lucio 3. cap. Tua nos ex Clemente 3. ut & quoad paralyticum ac usu linguæ destitutum cap. Consultationibus ex Honorio 3. æquivalenter & implicite statuitur.

suo muneri satisfaciunt, Missas celebrans. Hæc ibi. Ubi & de curatis secundo loco, ut patet, & de non curatis sacerdotibus primo loquitur. *Secundo vides: quomodo &c.*

Q U Æ S T I O LXXXIII.

De ritu hujus sacramenti,

In sex articulos divisa.

DEinde considerandum est de ritu hujus sacramenti: & circa hoc quaeruntur sex.

Primo utrum in celebratione hujus mysterii Christus immoletur.

Secundo de tempore celebrationis.

Tertio de loco, & aliis quæ pertinent ad apparatus hujus celebrationis.

Quarto de his quæ in celebratione hujus mysterii dicuntur.

Quinto de his quæ circa celebrationem hujus sacramenti fiunt.

Sexto de defectibus qui circa celebrationem hujus sacramenti occurrunt.

A R T I C U L U S I. 504

Utrum in hoc Sacramento Christus immoletur.

Inf. art. 2. cor. & ad 1. & 2.

AD primum sic proceditur. Videtur quod in celebratione hujus sacramenti Christus non immoletur. Dicitur enim Hebr. x. 14. *quod Christus una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Sed illa oblatio fuit ejus immolatio. Christus ergo non immoletur in celebratione hujus sacramenti.

2. Præterea. Immolatio Christi facta est in cruce, in qua tradidit semetipsum oblationem, & hostiam Deo in odorem suavisatis, ut dicitur Ephes. v. 2. sed in celebratione hujus mysterii Christus non crucifigitur. Ergo nec immoletur.

3. Præterea. Sicut Augustinus dicit in IV. Libro de Trin. (cap. vii. in princ. & cap. xiv. in fi.) *in immolatione Christi idem est sacerdos, & hostia.* Sed in celebratione hujus sacramenti non est idem sacerdos, & hostia. Ergo celebratio hujus sacramenti non est Christi immolatio.

Sed contra est quod Augustinus dicit in Lib. sent. Properi (sive Proser in Lib. sent. Augustini: vide cap. lvi. de consecrat. dist. 11.) *Semel immolatus est in semetipso Christus; & tamen quotidie immoletur in sacramento.* (1)

Respondeo dicendum, quod duplici ratione celebratio hujus sacramenti dicitur immolatio Christi. Primo quidem quia, sicut dicit Augustinus ad Simplicianum (Lib. II. quest. 111. ante med.) *solent imagines earum rerum nominibus appellari quarum imagines sunt; frons cum intuentes tabulam, aut parietem pictum dicitur: Ille Cicero est, & ille Sallustius.* Celebratio autem hujus sacramenti, sicut supra dictum est (quest. lxxix. art. 1.) imago quædam est representativa passionis Christi, quæ est vera ejus immolatio. Et ideo celebratio hujus sacramenti dicitur Christi immolatio. Unde Ambrosius dicit super epist. ad Hebr. (sup. illud cap. x. *Umbram enim &c.*) *In Christo semel oblata est hostia, ad salutem sempiternam potens: quid ergo nos? nonne per singulos dies offerimus? sed ad recordationem mortis ejus.*

Alio modo quantum ad effectum passionis Christi, quia scilicet per hoc sacramentum participes efficimur fructus dominicæ passionis. Unde

(1) Aut in Decretis distinct. 2. de consec. cap. *Semel sub eodem indite reconditur; quamvis in Sententiis illis ex Augustino a Prospero collectis nunc non extat: Ex epistola autem 23. Augustini quæ ad Bonifacium inscribitur, paulo aliter desumptum est his verbis: Nonne semel immolatus est Christus in seipso? Et tamen in sacramento non solum per omnes Pasche solemnitate sed omni die populis immoletur: Et hinc Algerus lib. 2. de sacramento Eucharistiæ cap. 16. & 18. tom. 6. Bibliothecæ Patrum citat: Ut & Lanfrancus ibi lib. de sacramento Eucharistiæ post medium. Quod autem subjungitur ex Ambrosio & illius nomine in Decretis refertur ubi supra cap. In Christo est substituti tantum Ambrosii super 10. caput ad Hebræos ubi agitur de hostiis in quibus peccatorum commemoratio per singulos annos fit; &c. Sed verus Ambrosius in Psalm. 28. *Vidimus**

*Principem sacerdotum ad nos venientem & audimus offerentem pro nobis sanguinem suum: Sequimur & nos Sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium, &c. Ut & in 1. caput Luca: Urinam nobis quoque adolescentibus altaria, sacrificium deferentibus afflatur Angelus, imo prebeat se videndum? Non enim dubites afflatur Angelum quando Christus immoletur. Et Augustinus lib. 17. de civit. Dei cap. 2. *Sacrificiis veteris Testamenti quæ immoletur in umbra futuri successit oblatio quam novi Testamenti mediator secundum ordinem Melchisedech exhibet, idest sacrificium in quo corpus ejus offertur & participantibus ministratur: Et Gaudentius in Exodum tom. 2. Bibliothecæ Patrum & Tract. 22. *Per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis & vini reficit immoletus: Præter alia innumera quæ hic non vacat annotare.***

Unde in quadam dominicali oratione secreta dicitur: *Quoties hujus hostia commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur.*

Quantum igitur ad primum modum, poterat dici Christus immolari etiam in figuris veteris Testamenti. Unde & Apoc. xiiii. 8. dicitur: *Quorum nomina non sunt scripta in libro vite agni, qui occisus est ab origine mundi.* Sed quantum ad secundum modum, proprium est huic sacramento quod in ejus celebratione Christus immoletur.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Ambrosius ibidem dicit, *una est hostia*, quam scilicet Christus obtulit, & nos offerimus, & non *multæ, quia semel oblatus est Christus.* Hoc autem sacrificium exemplum est illius. Sicut enim quod ubique offertur, unum est corpus, & non multa corpora, ita & unum sacrificium.

Ad secundum dicendum, quod sicut celebratio hujus sacramenti est imago representativa passionis Christi; ita altare est representativum crucis ipsius, in qua Christus in propria specie immolatus est.

Ad tertium dicendum, quod per eandem rationem etiam sacerdos gerit imaginem Christi, in cujus persona, & virtute verba pronuntiat ad consecrandum, ut ex supradictis patet (quæst. præc. art. 1. 3.) Et ita quodammodo idem est sacerdos, & hostia.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem tum directam (hæc est in text. corp.) tum indirectam (hæc est solutio argumentorum. Ratio autem hæc duplex semper in similibus appendicam locis subintelligitur in *ly quomodo per rationem*) interimas hæreses *Arnoldi*, sive *Arnaldi* (ut refert Directorium Inquisit. *secunda parte, quæst. undecima*) dicentis; Missæ sacrificio sacerdos nihil offert Deo. Et forsan propter hoc addentis, quod Missæ sacrificio Deus non laudatur opere, sed ore tantum. Et adhuc annectentis, quod opus misericordiæ magis placeat Deo, quam sacrificium altaris: seu (ut refert Gabriel Prateolus, titul. *Arnoldus & Villanova*) quod opus medicinæ est gratius Deo, quam sacrificium altaris. Item hæresim *Henricianorum* dicentium: Missam nihil esse, ideo celebrari non debere. Item hæresim *Lutheri* dicentis, Missam non esse sacrificium quia in ea nulla profus offertur oblatio. Item pejora, & magis diabolica, atque horrendissima evomendo, addentis: Missæ, quas sa-

crificia vocant, summa sunt idololatria, & impietas. Et Missarum usum nomine sacrificiorum, & titulo sacerdotum tenere, est negare Christum. Et Missam esse opus bonum, & sacrificium persuadere in Ecclesia impietissimus est abusus. Et Missa est summa perversitas. Et Missam non posse offerri pro peccatis, nec posse prodesse vivis, aut defunctis, sed soli sacerdoti. Et missam captari pro defunctis impium est. Item hæresim eorum, qui vocantur *Bogmiles*, dicentium: Missam esse dæmonum sacrificium. Item hæresim *Arianorum* dicentium: Missas applicari non posse pro peccatis, pro satisfactionibus, pro defunctis, aut pro aliis quibusvis Ecclesiæ necessitatibus. Item hæresim *Calvini* dicentis. Missam non esse a Deo institutam, non esse sacrificium, non esse opus bonum. Item *Joannis Uvicleff* dicentis: Missam a Christo fuisse ordinatam, non est fundatum in Evangelio. Item *quorundam* dicentium: sacrificia privata esse prohibita. Articulus enim præsens ex eo, quod efficacissime probat, in celebratione Eucharistiæ, idest in Missa, Christum veraciter immolari, vult manifestissime simul probatum esse: *Tum*, quod Missa & est aliquid, & est sacrificium: & est opus bonum; & est opus Deo magis gratum, quam opus misericordiæ, puta medicinæ; & est celebranda, etiam quam privatam vocant; & potest offerri pro peccatis, pro satisfactionibus, pro quibusvis necessitatibus, pro vivis, pro defunctis: *Tum*, quod in Missa & sacerdos aliquid offert Deo, & fit Deo grata oblatio, & Deus laudatur non tantum ore, sed multo magis opere: *Tum*, quod falsissimum est, & Missam esse sacrificium dæmonum, & Missam esse perversitatem, esse impietatem, esse idololatriam, & Missarum usum tenere, est negare Christum; & Missas esse bonas, esse sacrificia persuadere, esse abusum, & missam posse prodesse soli sacerdoti: & Missam non esse a Deo in Evangelio institutam: & Missam cantari pro mortuis, esse impium. Ratio omnium istorum sub *triplici* numero, quod est *ly Tum*, distincte contentorum una, & eadem est, scilicet in Missa Christus vere immolatur. Si enim in ea vere immolatur: ergo Missa est aliquid; est sacrificium, &c. ergo est summa pietas, non impietas, est summa bonitas, non perversitas, est summa latra, non idololatria, &c. ergo tenere usus Missarum est & ore, & opere illo confiteri Christum, non negare, item persuadere, Missam esse opus bonum, atque sacrificium, est optimus in

Dei

Dei Ecclesie usus, non abusus; item celebra-
tionem Missæ esse maximam ruinam dæmo-
num, non ipsorum sacrificium, &c. Discurre
modo tu prudens, ac vigilans lector ex
ratione illa contra aliqua heresum prædicta-
rum: & tunc, omnibus simul consideratis,
aperte conspicias, quam feliciter, quam fi-
deliter, quam abundanter sanctus Ecclesie
Catholicæ Doctor, more suo, contra hostes
fidei mira hic brevitate conspexerit. *Secundo*
habes: quomodo per rationem ostendas, ali-
quas illarum merito damnari a semetipsis ex
patenti contradictione, quam ibi *Lutherus*
implicat. Dicit enim, Missam esse summam
impietatem, perversitatem, idololatriam, quod
dicere Missam est negare Christum, & ex
alia parte tamquam sui, quod erat, oblitus,
inquit, Missam soli sacerdoti prodesse. Hæc
namque duo, scilicet, Missam esse tantam
impietatem, & tantam impietatem sacerdoti
eam committenti, idest Missam celebranti,
posse prodesse, pugnant implacabiliter ad in-
vicem: ut patet etiam cæcutientibus. *Tertio*
habes: quomodo per articuli rationem ostend-
das, illas omnes merito damnari a Concilio
Tridentino, sess. 22. cap. 1. „ Deus, & Do-
„ minus noster, etsi semel seipsum in ara
„ crucis morte intercedente, Deo patri ob-
„ laturus erat, ut æternam illic redemptionem
„ nem operaretur: quia tamen per mortem
„ sacerdotium ejus extinguendum non erat,
„ in cœna novissima, ut dilectæ sponsæ suæ
„ Ecclesie visibile (sicut hominum natura
„ exigit) relinquerent sacrificium, quo cruen-
„ tum illud semel in cruce peragendum re-
„ præsentaretur, ejusque memoria in finem
„ usque seculi permaneret, atque illius sa-
„ lutaris virtus in remissionem eorum, quæ
„ a nobis quotidie committuntur, peccatorum
„ applicaretur, sacerdotem secundum
„ ordinem Melchisedech se in æternum de-
„ clarans corpus, & sanguinem suum sub
„ speciebus panis, & vini Deo obtulit: ac
„ sub earum rerum symbolis Apostolis, quos
„ tunc novi testamenti sacerdotes constituēbat,
„ ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorum-
„ que in sacerdotio successoribus, ut offerrent,
„ præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam
„ commemorationem (uti semper Catholica
„ Ecclesia intellexit, & docuit. *Hæc ibi. &*
cap. 2. Quoniam in divino hoc sacrificio,
„ quod in Missa peragitur, idem ille Christus
„ continetur, & incruente immolatur, qui
„ in ara crucis semel seipsum cruenta obtu-
„ lit: docet sancta synodus, sacrificium istud
„ vere propitiatorium esse, per ipsumque si-
„ eri, ut si cum vero corde, & recta fide,
„ cum metu, & reverentia, contriti, æ
„ pœnitentes ad Deum accedamus, miseri-
„ cordiam consequamur, & gratiam invenia-
„ mus in auxilio opportuno. Hujus quippe
„ oblatione placatus Dominus gratiam, & do-
„ num pœnitentiæ concedens crimina, &
„ peccata, etiam ingentia dimittit. Una
„ enim, eademque est hostia, idem nunc of-
„ ferens sacerdotum ministerio, qui seipsum
„ tunc in cruce obtulit. Cujus quidem ob-
„ lationis, cruentæ, inquam, fructus per
„ hanc incruentam uberrime percipiuntur:
„ tantum abest, ut illi per hanc quovis me-
„ do derogetur. Quare non solum pro fi-
„ delium vivorum peccatis, pœnis, satis-
„ factionibus, & aliis necessitatibus, sed pro
„ defunctis in Christo nondum ad plenum
„ purgatis, rite juxta Apostolorum traditio-
„ nem offertur. *Hæc ibi, & capite sexto.*
„ Nec tamen propterea sacrosancta synodus,
„ Missas illas, in quibus solus sacerdos sacra-
„ mentaliter communicat, ut privatas, & il-
„ licitas damnat, sed probat, atque adeo
„ commendat. Siquidem illæ quoque Missæ
„ vere communes censerentur: partim
„ quod in eis populus spiritualiter commu-
„ nicet; partim vero, quod a publico Ec-
„ clesie ministro non pro se tantum; sed
„ pro omnibus fidelibus celebrantur. *Hæc ibi*
Et cap. 9. Quia adversum veterem hanc in
„ sacrosancto Evangelio, Apostolorum tra-
„ ditionibus, sanctorumque Patrum doctrina
„ fundatam fidem multi hoc tempore disse-
„ minati sunt errores, multaque a multis
„ docentur, atque disputantur: sacrosancta
„ synodus post multos, gravesque his de re-
„ bus mature habitos tractatus, unanimi
„ Patrum omnium consensu, quæ huic pu-
„ rissimæ fidei adversantur, damnare, & a
„ sancta Ecclesia eliminare per hos canones
„ constituit. *Hæc ibi. Unde ait canon. primo.*
„ Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo
„ verum, & proprium sacrificium: aut quod
„ offerri non sit aliud, quam nobis Christum
„ ad manducandum dari, anathema sit. *Et*
canon. secundo. Si quis dixerit: illis ver-
„ bis: Hoc facite in meam commemorationem,
„ Christum non instituisse Apostolos
„ sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi,
„ aliique sacerdotes offerrent corpus, &
„ sanguinem suum: anathema sit. *Et cano-*
ne tertio; Si quis dixerit: Missæ sacrificium
„ esse tantum laudis, & gratiarum actionis
„ aut nudam commemorationem sacrificii in
„ cruce peracti, non autem propitiatorium

,, vel

„ vel soli prodesse sumentis, neque provivis,
 „ & defunctis, pro peccatis, poenis, satis-
 „ factionibus, & aliis necessitatibus, offerri
 „ debere, anathema sit. *Et canon. quarto.*
 „ Si quis dixerit, blasphemiam irrogari san-
 „ ctissimo Christi sacrificio in cruce peracto
 „ per Missæ sacrificium, aut illi per hoc
 „ derogari anathema sit. *Et canon. 8.* Si quis
 „ dixerit: Missas, in quibus solus sacerdos
 „ sacramentaliter communicat, illicitas esse:
 „ ideoque abrogandas: anathema sit. Hæc
 „ omnia ibi locis citatis. Item damnari *Joan-*
 „ *nem Uvicleff* cum ejus hæresi nominatum a
 „ Concilio *Constantiensi, sessione octava.* Item a
 „ Luc. 22. & primæ Corinth. 11. *Hoc facite*
 „ *in meam commemorationem.* Nam exponi hic
 „ debet *ly facite, sacrificare, seu immolate.*
 „ Sic enim in consimili materia invenimus
 „ scripturam sacram uti solere hoc verbo, fa-
 „ cere, & in tali sensu. Ut, cum de sacrifi-
 „ cando bove Helias dicit tertio Regum decimo
 „ octavo - *Ego faciam bovem alterum.* Et in
 „ subsequentibus ibidem ait *ly facite primi* &
 „ iterum *ly fecerunt,* scilicet bovem. Ubi ta-
 „ men expresse tractatur, ut legenti capitulum
 „ patet, de offerendo holocausto. Dicit ergo
 „ Dominus *ly hoc facite,* idest hoc offerre, hoc
 „ immolate, hoc sacrificare. Præcipit igitur
 „ per *ly hoc facite,* ut consecrent, atque of-
 „ ferant, seu sacrificent corpus, & sanguinem
 „ suum. Et hoc est præcipere, ut celebretur
 „ Missa: quandoquidem ipsa principaliter, non
 „ in ceteris, sed in consecrati corporis, &
 „ sanguinis Domini oblatione consistit. Alia
 „ enim univèrsa ibi reperta, ut sacræ vestes,
 „ orationes, cæremoniæ, &c. ordinantur, ut
 „ patet, ad ipsam oblationem vel ut dispona-
 „ mur, tamquam admniculis illis adjuti, ad
 „ illam devotissime peragendam, vel ut de ea-
 „ dem jam peracta gratias ferventissimas Deo
 „ subsequenter agamus. A principali ergo, ut
 „ decet, denominationem Missæ totius fecit
 „ Dominus: quando Missam ipsam instituendo
 „ & præcipiendo nihil aliud dixit, nisi *ly Hoc*
 „ *facite in meam commemorationem.* Hæc dicta
 „ sint de Missa novi testamenti. Verumtamen,
 „ si Missam veteris testamenti, imo & anti-
 „ quorem, utpote legis naturæ, figurativam
 „ novæ Missæ videre vis, quod valde pro catho-
 „ licis, & contra hæreticos juvat in subjecta
 „ materia, consule Veritates aureas super to-
 „ tam legem veterem; *Gen. 14. concl. 5. 7.*
 „ Ceterum pro ampliori campo ad condemnan-
 „ dum hæresum prædictarum nonnullas, recur-
 „ re ad *Addition. articulozum hum. 308.* & ad
 „ *2. 2. articulozum num. 180.* & ad Veritates

aureas nunc præmissas, lib. *Levit 21. conclu-*
sione septima. Item *cap. 24. conclusione secun-*
da. Ne prætermittas quoque & sensum ve-
 rum Apostoli ad Hebræos, & quædam alia
 necessaria contra extorsiones ignorantia plenæ
 hæreticorum, diligenter videre in *sertia par-*
te de Sal. quæstio. 22. articulo tertio, post ad
secundum, nos. 1. 2. 3. Quarto vides: quo-
 modo &c.

A R T I C U L U S II. 309

Utrum convenienter sit determinatum
tempus celebrationis.

IV. dist. XIII. quæst. 1. art. 2. quæst. 4.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod
 inconvenienter sit determinatum tempus
 celebrationis hujus mysterii. Hoc enim sacra-
 mentum est representativum dominicæ pas-
 sionis, ut dictum est (art. præc.) Sed com-
 memoratio dominicæ passionis fit in Ecclesia
 semel in anno: dicit enim Augustinus super
 Psal. xxi. (in præfat. ad exposit. 11. ejus
 Psal. cir. princ.) *Quotiescumque Pascha ce-*
lebratur, numquid toties Christus occiditur?
sed sament anniversaria recordatio representat
quod olim factum est; & sic nos facit moveri,
tamquam videamus in cruce pendentem Domi-
 num. Ergo hoc sacramentum non debet ce-
 lebrari nisi semel in anno.

2. Præterea. Passio Christi commemoratur
 in Ecclesia sexta feria ante Pascha, non au-
 tem in festo Natalis. Cum ergo hoc sacra-
 mentum sit commemorativum dominicæ passionis,
 videtur inconveniens esse quod in die Nata-
 lis ter celebretur hoc sacramentum, in Para-
 sceve autem totaliter intermittatur.

3. Præterea. In celebratione hujus sacra-
 menti Ecclesia debet imitari institutionem
 Christi. Sed Christus consecravit hoc sacra-
 mentum hora serotina. Ergo videtur quod
 hora tali debeat hoc sacramentum celebrari.

4. Præterea. Sicut habetur de consecrat.
 dist. 1. (cap. 11.) Leo Papa scribit Dioso-
 coro Alexandrino Episcopo (epist. lxxx1.
 sub fin.) quod *in prima parte diei Missas ce-*
lebrare licet. Sed dies incipit a media nocte
 ut supra dictum est (quæst. lxxx. art. 8. ad
 5.) Ergo videtur quod etiam post mediam
 noctem liceat celebrare.

5. Præterea. In quadam dominicali oratio-
 ne

ne secreta (1) dicitur: *Concedo nobis Domine, quesumus, hæc frequentare mysteria*. Sed maior erit frequentia, si etiam pluribus horis in die sacerdos celebret. Ergo videtur quod non debeat prohiberi sacerdos pluries celebrare in die.

Sed contra est consuetudo quam servat Ecclesia secundum Canonum statuta (2).

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (art. præc.) in celebratione hujus mysterii attenditur representatio dominicæ passionis, & participatio fructus ejus. Et secundum utrumque oportuit determinare tempus aptum celebrationi hujus sacramenti. Quia enim fructu dominicæ passionis quotidie indigemus propter quotidianos defectus, quotidie in Ecclesia regulariter hoc sacramentum offertur. Unde & Dominus nos petere docet Luc. xi. 3. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. quod exponens Augustinus in Lib. de verbis Dom: (3) dicit: „ Si quotidianus est panis, cur post annum illum „ sumas, quemadmodum Græci in Oriente „ facere consueverunt? Accipe quotidie quod „ quotidie tibi profit. “

Quia vero dominica passio celebrata est a tertia hora usque ad nonam, ideo regulariter in illa parte diei solemniter hoc sacramentum in Ecclesia celebratur.

Ad primum ergo dicendum, quod in hoc sacramento recolitur passio Christi, secundum quod ejus effectus ad fideles derivatur; sed tempore passionis recolitur passio Christi solum secundum hoc quod in ipso capite nostro fuit perfecta: quod quidem factum est semel; quotidie autem fructum dominicæ passionis fideles percipiunt: & ideo illa commemoratio fit semel in anno, hoc autem quotidie & propter fructum, & propter jugem memoriam.

Ad secundum dicendum, quod veniente

veritate, cessat figura. Hoc autem sacramentum est figura quædam, & exemplum dominicæ passionis, sicut dictum est (in corp. art.) Et ideo in die quo ipsa passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio hujus sacramenti. Ne tamen Ecclesia ea etiam die sit sine fructu passionis per hoc sacramentum nobis exhibitum, corpus Christi consecratum die præcedenti reservatur sumendum in illo die: non autem sanguis, propter periculum, & quia sanguis specialius est imago dominicæ passionis, ut supra dictum est (quæst. lxxviii. art. 3. ad 2.) Nec verum est quod quidam dicunt, quod per immisionem particulæ corporis Christi in vinum convertatur vinum in sanguinem. Hoc enim aliter fieri non potest quam per consecrationem factam sub debita forma verborum. In die autem Nativitatis plures Missæ celebrantur propter triplicem Christi nativitatem. (4) Quarum una est æterna, quæ quantum ad nos est occulta: & idcirco una Missa cantatur in nocte, in cujus introitu dicitur: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te*. Alia autem est temporalis, sed spiritalis, qua scilicet Christus oritur, *tamquam lucifer in cordibus nostris*; ut dicitur II. Petr. 1. & propter hoc cantatur Missa in aurora, in cujus introitu dicitur: *Lux fulgebit hodie super nos*. Tertia est Christi nativitas temporalis, & corporalis, secundum quam visibilis nobis processit ex utero virginali, carne indutus: & ob hoc cantatur tertia Missa in clara luce, in cujus introitu dicitur: *Puer natus est nobis*. Licet e converso possit dici, quod nativitas æterna secundum se est in plena luce: & ob hoc in Evangelio tertiæ Missæ fit mentio de nativitate æterna. Secundum autem nativitatem corporalem ad litteram natus est de nocte, in signum

(1) Eadem ac jam supra, scilicet Dominica 9. post Pentecosten in Missali Romano, sed in nostro Prædicatorum Dominica 7. post Octavas Trinitatis.

(2) Quæ non eadem tamen omni tempore servata sunt: Nam Telephorus Papa qui septimus a Petro fuit, ante horam, tertiam cui respondet nona nostra Missas prohibet celebrari, præter Nativitatis nossem; ut recurrit notandum paulo infra, & in Decretis distinct. 2. de consecrat. cap. *Noctis* prope finem habetur.

(3) Nempe serm. 28. qui est quintus in appendice de diversis: An Augustini tamen incertum est: Eadem certe Ambrosius expresse habet lib. 5. de Sacramentis cap. 4. ex quo videntur posterius confarcinata esse ac Augustino attributa; sicut & supra quæst. 8 art. 10. argum. Sed contra sub eodem indice Augustini & ex eodem loco citabantur. Ex par-

te autem referuntur quantum ad initium & ad finem distinct. 2. de consecrat. cap. *Non iste panis* velut ex Ambrosio sumpta tum in moderna editione tum in veteri, sed ad calcem in moderna notatur quod etiam ex antedicto Augustini sermone peti possint.

(4) Hoc etiam Innocentius 3. notat in serm. de nativitate Christi, etsi paulo aliter quam hic: Nempe quod *quia partim occulta est & partim manifesta carnalis nativitas, occulta quoad modum & manifesta quoad factum, ad hoc significandum secunda Missa cantatur in aurora: Spirituality autem nativitas est clarius manifestata Christo manifestante qui ait, quicumque feceris voluntatem Patris mei qui in cælis est, hic meus frater & soror & mater est. Christus enim per affectum concipitur per effectum nascitur per profectum nutritur: Ad quod significandum tertia Missa cantatur in die.*

signum quod veniebat ad tenebras infirmitatis nostræ: unde & in Missa nocturna dicitur Evangelium de corporali Christi natalitate. Sic etiam in aliis diebus, in quibus occurrunt plura Dei beneficia vel recolenda, vel expetenda, plures Missæ celebrantur in die, puta una pro festo, & alia pro jejunio vel pro mortuis.

Ad tertium dicendum, quod, sicut dictum est superius (quæst. lxxiii. art. 5.) Christus voluit ultimo hoc sacramentum discipulis suis tradere, ut fortius eorum cordibus imprimeretur; & ideo post cœnam in fine diei hoc sacramentum consecravit, & discipulis suis tradidit, A nobis tamen celebratur hora dominicæ passionis, scilicet diebus festis in tertia, quando crucifixus est linguis Judæorum, ut dicitur Mar. xv. (1) & quando Spiritus sanctus descendit super discipulos; vel diebus profectis in sexta, quando crucifixus est manibus militum, ut habetur Joan. xix. vel diebus jejuniorum in nona, quando voce magna clamans emisit spiritum, ut dicitur Matth. xxvii. Potest tamen tardari, maxime quando sunt ordines faciendi, & præcipue in Sabbato sancto, tum propter prolixitatem officii, tum quia ordines pertinent ad diem dominicam, ut habetur in Decret. distinct. lxxv. (cap. *Quod a patribus.*) Possunt tamen Missæ celebrari in prima parte diei propter aliquam necessitatem, ut dicitur de consecrat. distinct. 1. (cap. *Necesse est &c.*)

Ad quartum dicendum, quod regulariter Missa debet celebrari in die, & non in nocte: quia ipse Christus est præsens in hoc sacramento, qui dicit: Joan. ix. 4. *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari: quamdiu in mundo sum, lux sum mundi: ita tamen quod principium diei accipiatur non a media nocte, nec etiam ab ortu Solis, id est quando substantia Solis apparet super terram, sed quando incipit apparere aurora: tunc enim quodammodo dicitur Sol ortus, inquantum claritas radiorum ejus apparet. Unde & Marci xvi. 1. dicitur, quod mulieres venerunt ad monumentum orto jam sole; cum tamen venerint, cum adhuc tenebræ essent.* S. Th. Tom. XII.

*sent, ad monumentum, ut dicitur Joan. xx. 1. Sic enim hanc contrarietatem solvit Augustinus in Libro III. de consensu Evang. (cap. xxiv. aliquant. a princ.) Specialiter tamen in nocte Natalis Domini Missa celebratur propter hoc quod Dominus in nocte natus est, ut dicitur de consecr. distinct. 1. (cap. *Noctæ &c.*) Et similiter etiam in Sabbato sancto circa noctis principium, propter hoc quod Dominus nocte surrexit, id est cum adhuc tenebræ essent; ante manifestum Solis ortum.*

Ad quintum dicendum, quod, sicut habetur de consecrat. dist. 1. (cap. lxxii.) ex decreto Alexandri II. Papæ (decreto xi.) *sufficit sacerdoti unam Missam in die una celebrare: quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit: & valde felix est, qui unam digne celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, alteram de die, si necesse sit. Qui vero pro pecunia, aut adulationibus secularium, una die præsumunt plures celebrare Missas, non estimo evadere damnationem.* Et extra, de celebr. Miss. (cap. *Consulisti*) dicit Innocentius III. quod, *excepto die natiuitatis dominicæ, nisi causa necessitatis suadeas, sufficit sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.*

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas merito esse infirmatum a summis Pontificibus, &c. ab Ecclesiæ catholica: quod determinatum tempus est observandum, quoad celebrationem sacramenti Eucharistie, id est (quod in idem redit) quoad celebrationem Missarum. Nam sine Missa non conficitur absque peccato mortali hoc sacramentum. A summis quidem Pontificibus, &c. infirmatur per suos canones; id est regulas a seipsis de hoc editas. Ut patet in lib. juris Pontificii, & speciatim in decretis de consecr. dist. 1. Quanti autem canones Romanorum Pontificum, &c. faciendi sint, demonstrat Concilium Trident. sess. 25. c. 18. de refor. diceas. *Sciatis universi: sacratissimos canones exacte ab omnibus, & quoad eis fieri poterit, indistincte observandos.* Hæc ibi.

N n Item

(1) Secundum Augustini mentem sic explicandis quod habetur Marc. 13. vers. 25. *Erant autem hora tertia & crucifixi eum;* Sed ad horæ tertiæ canonicæ vel cærimonialis finem quæ Joan. 19. quæ sexta dicitur, pertinere jam ostendimus quæ 46. art. 9. ad 2. Propter hanc potro & proxime junctam rationem Sæturæ Telephorum (ut supra)

quod præter sanctam noctem Natiuitatis Domini saluatoris in qua celebrant Presbyteri, reliquis temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebrande, quia & eadem hora Dominus crucifixus est (iuxta sensum proxime indicatum) & super Apostolos Spiritus sanctus descendit.

Item Concilium *Constantiense* ostendit idipsum per hoc, quod *Iess.* & damnat hunc *Joan. Uvicleff* errorem, scilicet decretales epistolæ sunt apocryphæ. Per quod intelligitur & condemnare *Arnoldum* dicentem: quod decretis, canonibus, atque constitutionibus *Papalibus* nulla subest scientia: sed mere tantam humana sunt opera. Item Concilium *Cabilonense* (sub *Eugenio primo*, cano. 2. dicens: *Canonum statuta ab omnibus intemerata serventur.* Hæc ibi. Item Concilium *6. generale Constantinopoli* celebratum dicit canon. 2. „ Hoc quoque huic sanctæ synodo pulcherrime, & honestissime placuit; ut ab hoc nunc tempore deinceps ad animarum melam, & perturbationum curationem firmi, stabileque maneant; qui a sanctis patribus, qui nos præcesserunt, suscepti, ac confirmati sunt, atque a Deo nobis etiam traditi sunt Sanctorum Apostolorum nomine 85. Canones. „ Hæc ibi. Item Conc. 8. *generale Constantinopoli* celebratum idem de canonibus universaliter ostendens action. 10. canon. 1. ut refertur in summa Conciliorum, ait: „ Regulas, quæ sanctæ, & Apostolicæ Ecclesiæ tam a S. Apost. quam ab orthodoxorum universalibus, necnon & localibus Conciliis, vel etiam a quolibet Dei loco patre, ac magistro Ecclesiæ, traditæ sunt, servare, ac custodire profitemur; quibus regulis & propriam vitam, & mores, & omnem sacerdotii catalogum regamus. Sed & omnes, qui Christiano censentur vocabulo, damnationibus, & justificationibus, quæ per illas prolatae sunt, canonicè subjici decernimus. Tenere quippe traditiones, quas accepimus, sive per sermonem, sive per epistolam sanctorum, qui ante nos fuerunt, Paulus aperte admonet. „ Hæc ibi. Item de hac materia vide scitu necessaria in *lib. Decretorum*, dist. 19. c. *si Romanorum*: & 1. q. 7. c. *si quis omnem*. Vide & in *lib. decretalium*, de constitution. c. 1. & de voto, cap. primo. Ab Ecclesia vero catholica idem in principio appendicis dictum insinuat factis ipsis, dum talia in celebrando tempora determinata observat, ut quotidie patet. Quam autem venerandæ ab omnibus autoritatis sit consuetudo Ecclesiæ: alibi sæpius dictum est. Nunc sufficiat videre 2. 2. q. 10. art. 12. corp. in

princ. & reminisci; quod spiritu sancto regitur Ecclesia. *Secundo* vides: quomodo &c.

ARTICULUS III. 506

Utrum oporteat hoc sacramentum celebrari in domo, & vasis sacris.

IV. dist. XIII. quest. 1. art. 1. quest. 5. & dist. XIII. quest. 11. art. 2. ad 9.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod non oporteat hoc sacramentum celebrari in domo, & vasis sacris. Hoc enim sacramentum est representativum dominicæ passionis. Sed Christus non est passus in domo, sed extra portam civitatis, secundum illud *Hebr. 1. 12. Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Ergo videtur quod hoc sacramentum non debeat celebrari in domo, sed magis sub dio.

2. Præterea. In celebratione hujus sacramenti debet Ecclesia imitari morem Christi, & Apostolorum. Sed domus, in qua primo Christus hoc sacramentum confecit, non fuit consecrata, sed fuit quoddam commune concubulum a quodam patrefamilias præparatum, ut habetur *Luc. xxii. Legitur etiam Act. 11. 46. quod Apostoli erant perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, & sumebant cibum cum exultatione.* Ergo nec modo oportet domos esse consecratas, in quibus hoc sacramentum celebratur.

3. Præterea. Nihil frustra in Ecclesia fieri debet, quæ spiritu sancto gubernatur. (1) Sed frustra videtur adhiberi consecratio Ecclesiæ, vel altari, & hujusmodi rebus inanimatis, quæ non sunt susceptivæ gratiæ, vel spiritualis virtutis. Inconvenienter igitur hujusmodi consecrationes in Ecclesia fiunt.

4. Præterea. Solum divina opera debent recoli cum quadam solemnitate, secundum illud *Psal. xci. 5. In operibus manuum tuarum exultabo.* Sed Ecclesia, vel altare opere humano consecratur, sicut & calix, & ministri, & alia hujusmodi: sed horum consecrationes non recoluntur celebriter in Ecclesia. Ergo neque consecratio Ecclesiæ, vel altaris cum solemnitate recoli debet.

5. Præterea. Veritas debet respondere figuræ. Sed in veteri Testamento, quod gerebat figuram

(1) Juxta illud *Act. 19. vers. 28.* ab Apostolo Paulo dictum: *Attendite vobis & universo græci in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisivisti sanguine suo:*

Quasi dicat: *Ordinationes habetis a Spiritu sancto ut regatis Ecclesiam*, sicut interpretatur *Chrysostronus* ibidem homil. 44. Nihil potest Spiritus sanctus frustra facere potest.

guram novi, non fiebat altare de lapidibus
Etis: dicitur enim Exodi xx. 24. *Altare do-
rra facietis mihi . . . quod si altare lapideum
ceris mihi, non edificabis illud de scæbis la-
pidibus.* Exodi etiam xxxi. mandatur fieri
altare de lignis *Setim* (1) vestitis ære, vel
tiam auro, ut habetur Exodi xxv. Ergo vi-
etur inconvenienter observari in Ecclesia
quod altare fiat solum de lapide.

6. Præterea. Calix cum patena represen-
tat sepulcrum Christi, quod fuit excisum in
petra ut in Evangelis habetur. Ergo calix
debet de petra fieri, & non solum de argen-
to, vel auro, vel stanno.

7. Præterea. Sicut aurum pretiosius est in-
ter materias vasorum, ita panni serici pretio-
siores sunt inter alios pannos. Ergo sicut cali-
x fit de auro, ita patena altaris debent de
serico fieri, & non solum de panno lineo.

8. Præterea. Dispensatio sacramentorum,
& ordinatio eorumdem ad ministros Ecclesie
pertinet; sicut dispensatio rerum temporalium
subjacet ordinationi Principum secularium:
inde & Apostolus dicit I. Cor. iv. 1. *Sic
vos existimet homo ut ministros Christi et dispensa-
tores mysteriorum Dei.* Sed si circa dispensatio-
nem rerum temporalium aliquid fiat contra
statuta Principum, habetur irritum. Ergo si
ita que dicta sunt, convenienter sunt statuta
per prælatos Ecclesie, videtur quod sine his
corpus Christi confici non possit: & sic vi-
letur sequi quod verba Christi non sint suf-
ficientia ad hoc sacramentum conficiendum:
quod est inconveniens. Non ergo videtur
conveniens fuisse quod hæc circa celebratio-
nem hujus sacramenti statuerentur.

Sed contra est quod ea que per Ecclesiam
statuantur, ab ipso Christo ordinantur, qui
licit Matth. xviii. 20. *Ubiunque fuerint
duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi
sum in medio eorum.*

Respondeo dicendum, quod in his que cir-
cumstant hoc sacramentum, duo consideran-

tur: quorum unum pertinet ad representa-
tionem eorum que circa dominicam passio-
nem sunt acta; aliud autem pertinet ad re-
verentiam hujus sacramenti, in quo Christus
secundum veritatem continetur, & non solum
in figura.

Unde & consecrationes adhibentur his re-
bus que veniunt in usum hujus sacramenti,
tum propter sacramenti reverentiam, tum
ad representandum effectum sanctitatis, que
ex passione Christi provenit, secundum illud
Hebr. ult. 12. *Jesus, ut sanctificaret per suam
sanguinem populum &c.*

Ad primum ergo dicendum, quod regula-
riter hoc sacramentum celebrari debet in domo;
per quam significatur Ecclesia, secundum He-
bræd I. Timoth. iii. 15. *Ut scias quomodo
oporteat se in domo Dei conversari, que est
Ecclesia Dei vivi.* Extra Ecclesiam enim non
est locus veri sacrificii, ut Augustinus dicit
(Prosper in Lib. sent. Augustini cap. xv.)
Et quia Ecclesia non erat concludenda sub
finibus gentis Judaicæ, sed erat in universo
mundo fundanda; ideo passio Christi non est
celebrata intra civitatem Judæorum, sed sub
dicio, ut sic totus mundus se haberet ad pas-
sionem Christi ut domus: & tamen, ut di-
citur de consecratione dist. 1. (cap. *Conce-
dimus.*) *in itinere positus si Ecclesia defuerit,
sub dicio, seu inatorio, si tabula altaris con-
secrata; ceteraque sacra mysteria ad id officium
proximitas ibi affuerint; Missarum solemnia ce-
lebrari concedimus.*

Ad secundum dicendum, quod domus in
qua sacramentum celebratur, Ecclesiam signi-
ficat, & Ecclesia nominatur; convenienter
tamen consecratur, tum ad representandam
sanctificationem, quam Ecclesia consecuta est
per passionem Christi, tum etiam ad signifi-
candam sanctitatem, que requiritur in his
qui hoc sacramentum suscipere debent. Per
altare autem significatur ipse Christus, de
quo dicit Apostolus Hebr. ult. 15. *Per ipsum*

N n 2

offe-

(1) Sive *Setim* inspirata voce ut in vulgata ver-
s. sed in *Edan* *Edan* id est ex lignis impuribus
apud 70. Cedrum lib. 3. de vita Moysi interpreta-
tur Phyle ut & alii quidam: quia Cedrus maxime
præ ceteris impuribilis; unde Plinius lib. 13. cap.
5. de Cedro loquens ait quod *materia ipsi æternitas*:
Etiã alii malunt ligna *Setim* vel *Setim* vel hebrai-
ca reposita voce *Setim* peculiare quoddam arborum
genus in Palæstina sola vel Arabia ei confini natum
indici, quod & impuribile ac incorruptum esset:
Hinc Hieronymus in Isaie 41. *Est genus arboris
nascentis in eremo quod spina alba habeat similitudi-
nem, unde omnia ligna arce & tabernaculi facta*

sunt instrumenta, que appellantur *Setim*: Quod li-
gnum impuribile ac levissimum omnium lignorum
tam in fortitudine quam in nitore soliditatem super-
at & pulchritudinem. Ut & in Joelis 3. *Est genus
arboris in eremo spina alba simile in colore & in
foliis; non in magnitudine; alioqui tam grandes ar-
bores sunt ut latissima ex illis sabulosa cadantur*:
lignumque fortissimum est & incredibilis levisitas &
pulchritudinis; que ligna in locis cultis & in Ro-
mano solo (id est Romana religione) atque *Æna-
bia* solitudine non inveniuntur: Et hinc fortasse fa-
ctum ut nomen *Setim* hebraicum retineretur, quia
proprio vocabulo reddi latine non potuit.

offerimus hostiam laudis Deo. Unde & consecratio altaris significat sanctitatem Christi, de qua dicitur Luc. 1. 34. *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Unde de consecratione, dist. 1. (cap. xxxii.) dicitur: *Altaria placuit non solum unctione christum, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.* Et ideo regulariter non licet celebrare hoc sacramentum nisi in domibus consecratis. Unde, sicut habetur de consecratione dist. 1. (cap. xv.) *nullus presbyter Missas celebrare presumat, nisi in consecratis ab Episcopo locis.* (1) Propter quod etiam, quia Pagani non sunt de Ecclesia, nec alii infideles, ideo in eadem distinctione (cap. xxviii.) legitur: *Ecclesiam, in qua mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet; sed si apta videatur ad consecrandum, inde evulsis corporibus, & vasis parietibus, vel signis ejus loci readificetur; sed si hæc consecrata prius fuerit, Missas in ea celebrare licet; tamen si fideles fuerint qui in ea sepulti sunt.* Propter necessitatem tamen potest hoc sacramentum pagani in domibus non consecratis, vel violatis; sed tamen de consensu Episcopi. Unde in eadem distinctione (cap. xii.) legitur: *Missarum solemnitas non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda esse censetur.* (2) Non tamen sine altari portatili per Episcopum consecrato. Unde in eadem dist. (cap. xxx.) legitur: *Concedimus, si Ecclesia fuerit incensa, vel combusta, in cappellis cum tabula consecrata Missas celebrari.* Quia enim sanctitas Christi fons est totius ecclesiasticæ sanctitatis; ideo in necessitate sufficit ad peragendum hoc sacramentum altare sanctificatum. Propter quod, etiam nunquam, Ecclesia sine altari consecratur. Tamen sine Ecclesia quandoque consecratur altare cum reliquiis Sanctorum

quorum vita *abscondita est cum Christo in Deo.* (Colos. 111.) Unde in eadem distinctione (cap. xxvi.) legitur: *Placuit ut altaria in quibus nullum corpus, aut reliquia Martyrum condita probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis presunt, si fieri potest, evertantur.* (3)

Ad tertium dicendum, quod Ecclesia, & altare, & alia hujusmodi inanimata consecrantur, non quia sint gratiæ susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur quamdam spiritualem virtutem, per quam apta reddantur divino cultui, ut scilicet homines devotionem quamdam exinde percipiant, ut sint paratiores ad divina, nisi hoc propter irreverentiam impediatur. Unde & II. Machab. 11. 38. dicitur: *Vere Dei virtus quadam est in loco: nam ipse qui habet in caelis habitationem, vistorator, & adjutor est loci illius.* Et inde est quod hujusmodi ante consecrationem emundantur, & exorcizantur, ut exinde virtus inimici pellatur. Et eadem ratione Ecclesiæ, quæ sanguinis effusione, aut cuiuscumque semine pollutæ fuerint, reconciliantur: quia per peccatum ibi commissum apparet ibi aliqua operatio inimici. Propter quod etiam in eadem dist. (cap. xxi.) legitur: *Ecclesias Arianorum, ubicumque inventis catholicis, eas divinis precibus, & operibus absque ulla mora consecrare.* (4) Unde & quidam probabiliter dicunt, quod per ingressum Ecclesiæ consecratæ homo consequitur remissionem peccatorum venialium, sicut & per aspersionem aquæ benedictæ, inducens quod in Psal. lxxiv. 1. dicitur: *Benedixisti Domine terram tuam, remissisti iniquitatem plebis tue.* Et ideo propter virtutem quæ ex consecratione Ecclesiæ acquiritur, consecratio Ecclesiæ non iteratur. Unde in eadem distinctione (cap. xx.) ex Concilio Nicæno. legitur: (5) *Ecclesiis semel Deo consecratis*

(1) Ex Concilio Agathensi cap. 14. ut notatur cap. *Altaria*: Sequens autem appendix quæ habetur cap. *Nullus*, ex Decretis Sylvestri Papæ residentis in generali Synodo prænotatur: *Ut & alia quæ sequitur mox, prænotatur ex Concilio Agrippinensi; ubi pro signis legunt aliqui lignis: mutari autem quid necesse?*

(2) Velut ex Concilio Triburienfi can. 4. citat Ivo part. 3. c. 59. sicut & Gratianus in Decretis: Ex Concilio tamen Moguntino cap. 9. hæc eadem sumpta sunt, sicut & cap. *Concedimus* quod mox hic subiungitur & plenius ibidem in Decretis habetur.

(3) Sumptum ac prænotatum ex Concilio Africano can. 50. ubi additur: *Si autem hoc propter tumultus populares non finitur, plebs tamen admonetur ne illa loca frequentans, ut qui recte sa-*

plunt, nulla ibi superstitione devicti teneantur: Et omnino nulla Memoria Martyrum (idest Cappella memorie Martyrum dedicata) probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus aut reliquia terra sunt, aut drigo alicujus habitationis, possessionis, aut passionis fidelissima origine traditur.

(4) Est statutum Joannis Papæ ad Episcopos Ita- liæ hoc refertentis & se hoc ipsum Constantinopoli cum ibi esset, hortante orthodoxo Imperatore Justiniano præstitisse addentis.

(5) Sine indice speciali citatur in Decretis, ubi appendix quoque nihil notat, sicut nec refert Ivo; nec occurrit. Sequentes autem appendices tum ex Meldensi Concilio canoie 8. quoad primam, tum ex Hiceno Papa quoad secundam, tum ex Clemente ad Jacobum fratrem Domini epistola 2. quoad tertiam desum-

non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut ubi igne exarsit, aut sanguinis effusione, aut iusticamque semine polluta fuerint: quia sicut infans a quacumque sacerdote in nomine Patris; & Filii, & Spiritus sancti semel baptizatus non debet iterum baptizari; ita nec locus Deo dicatus est iterum consecrandus, nisi propter eas causas quas superius nominavimus; si tamen fidem sanctæ Trinitatis tenuerint qui consecraverunt: alioquin qui sunt extra Ecclesiam, consecrare non possunt; sed, sicut in eadem distinctione (cap. xviii.) legitur, Ecclesia, vel altaria, quæ ambigua sunt de consecratione, consecrantur. Propter hoc etiam quod aliquam spiritualem virtutem adipiscuntur per consecrationem, in eadem distinctione (cap. xxviii.) statutum legitur: *Ligna Ecclesie dedicata non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni comburenda, vel ad profectum in monasterio fratribus; in laicorum autem opera non debent admitti.* Et ibidem (cap. xxxix.) legitur: *Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, si fuerint veritate consumpta, incendio dentur; cineres quoque eorum in baptisterium inferantur, aut in pariete, aut in fossis parimentorum jactentur, ne introeunsum pedibus inquinentur.*

Ad quartum dicendum, quod quia consecratio altaris representat sanctitatem Christi, consecratio vero domus sanctitatem totius Ecclesie; ideo convenientius recolitur cum sanctitate, & solemnitate consecratio Ecclesie, vel altaris, quam aliorum quæ consecrantur. Propter quod etiam octo diebus solemnitas, dedicationis agitur, (1) ad significandam beatam resurrectionem Christi, & membrorum Ecclesie. Nec est opus solius hominis consecratio Ecclesie, & altaris, cum habeat spirituales virtutes. Unde de consecrat. distinct. eadem (cap. xvi.) dicitur: *Solemnitates dedicationum Ecclesiarum per singulos annos solemniter sunt celebranda. Quæ autem octo diebus, etiam sunt celebranda, in Libris Re-*

gum perfecta dedicatione templi reperies (III. Reg. viii.)

Ad quintum dicendum, quod, sicut legitur de consecrat. dist. i. (cap. xxxi.) *altaria, si non fuerint lapidea, chrisma non unctio- na non consecrantur.* Quod quidem competit significationi hujus sacramenti: tum quia altare significat Christum: dicitur autem I. Corinth. xi. 3. *Petra autem erat Christus:* tum etiam quia corpus Christi in sepulcro lapideo fuit reconditum. Competit etiam quoad usum sacramenti. Lapis enim & solidus est, & de facili potest inveniri ubique: quod non erat necessarium in veteri lege, ubi fiebat in uno loco altare. Quod autem mandatum altare fieri de terra, vel de lapidibus infectis, fuit ad idololatriam removendam.

Ad sextum dicendum, quod, sicut in distinctione eadem dicitur (cap. Vasa) *quondam sacerdotes non aureis, sed ligneis calicibus utebantur, (2) Zephorianus autem Papa patenis vitreis Missam celebrari consuevit: deinde Urbanus omnia fecit argentea.* Postmodum autem statutum est (cap. xiv. dist. ead.) *ut calix Domini cum patena, frus ex auro omnino, siue ex argento fiat; vel saltem flammæ calix habeatur. De aro, aut ex aurichalco non fiat, quia ob vini virtutem eruginem parit, pariterque vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, seu vitreo calice presumat Missam cantare: quia scilicet lignum porosum est, & sanguis consecratus in eo remaneret; vitrum autem fragile est, & posset fractionis periculum imminere: & eadem ratio est de lapide.* Et ideo propter reverentiam sacramenti statutum est ut ex prædictis materiis calix fiat.

Ad septimum dicendum, quod ubi patuit sine periculo fieri, Ecclesia statuit circa hoc sacramentum id quod expressius representat passionem Christi. Non erat autem tantum periculum circa corpus, quod ponitur in corporali, sicut circa sanguinem, qui continetur in calice. Et ideo licet calix non fiat de petra; corporale tamen fit: de panno lineo, quo

Resumptæ sunt, & respectivè sic in Decretis referuntur (cap. Ecclesia, cap. Ligna; cap. Altaria &c.)

(1) Ut videre est I. Mach. 4. v. 36. & 59. ac 2. Mach. 2. vers. 13. ubi Salomon quoque diebus octo dedicationem celebrasse dicitur, &c. Quamvis lib. 7. Reg. cap. 8. mox notato, quatuordecim diebus (hoc est septem & septem) festivitatem indicatur fecisse, ad octavam duplicem designandam: Unde mox ibi vers. 66. dicitur quod in die octava dimisit populus &c. Dedictio autem per ecclesia significari solet ut hic, ex præco Ezechia veluti innovatio templi; ut August. notat Tract. 48. in Joannem.

(2) Sive aliter: *Quondam sacerdotes aurei lignis calicibus utebantur; sed nunc & contrario lignei sacerdotes aureis usantur calicibus:* Quod a Bonifacio Episcopo & Martyre dictum esse refertur. Sequens autem appendix ex cap. *Ut calix desumpta est, ubi ex Concilio Rhemensi cap. 6. prænotatur: In hæc corrigimus duplicem corruptelam quæ in alias Editiones irreperat, nempe *fluo est vero dicitur; siue ex argento, cum sensus planus esse debeat quod saltem fiat ex argento si ex auro non potest: & mox: Quia hoc vini virtutem eruginem parit, provocat &c.**

quo corpus Christi fuit involutum. Unde in epistola Silvestri Papæ in eadem distinctione (cap. xlvi.) legitur: *Consulto omnium statuimus ut sacrificium altaris non in serico panino, aut in serico quisquam celebrare (*) prefamas, sed in panno lineo ab Episcopo consecrato; sicut corpus Christi in sindone lineo, & munda sepultum fuit.* (1) Competit etiam pannus lineus propter sui munditiam, ad significandam conscientie puritatem, & propter multiplicem laborem, quo talis pannus præparatur, ad significandam Christi passionem.

Ad octavam dicendum, quod dispensatio sacramentorum pertinet ad ministros Ecclesie; sed consecratio eorum est ab ipso Deo. Et ideo ministri Ecclesie non habent aliquid statuere circa formam consecrationis, sed circa usum sacramenti, & modum celebrandi. Et ideo si sacerdos verba consecrationis proferat super materia debita cum intentione consecrandi, absque omnibus prædictis, scilicet domo, & altari, calice, & corporali consecratis, & ceteris huiusmodi per Ecclesiam institutis, consecrat quidem in rei veritate corpus Christi; peccat tamen graviter, ritum Ecclesie non servans.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, Ecclesia, Concilio, & Bernardo, quod oportet in domo, & vasis sacris celebrare hoc Eucharistie mysterium. Ab Ecclesia quidem, ut patet etiam per experientiam, & in arg. contr. Pro cuius textus majori notitia, applicanda a te ad subiectam materiam (ut in similibus semper præsupponitur) vide *quest. 67. art. 7. ad 3. & q. 72. art. 12.* A scripturis autem, secundum quod illas citatas videbis in Veritatibus aureis super legem veterem, indicatis supra *Exam. 1. post ad 1. & exam. post. ad 3.* De quibus etiam vasis sacris in quanta reverentia sint habenda, vide Veritates easdem *Levit. 22. conclus. prima, & cap. 26. conclus. 1. & cap. 27. conclus. 5. item Num. 4. conclus. 1. & cap. 18. conclus. 2.* A Concilio

quoque *Trident. sess. 22. Decr. de obser. & evit. in celeb. Mis. „ Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ sacrificium „ omni religionis culta, ac veneratione celebraretur, quivis facile existimare poterit, „ qui cogitarit, maledictum in sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario statemur, nullum „ aliud opus adeo sanctum, ac divinum a „ Christi fidelibus tractari posse, quam hoc „ tremendum mysterium, quo vivifica illa „ hostia, qua Deo patri reconciliati sumus, „ in altari per sacerdotes quotidie immolatur, „ satis etiam apparatus omnem operam, „ & diligentiam in eo ponendam esse, ut „ quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia, & puritate, atque exteriori devotionis, ac pietatis specie peragatur. Decernit igitur sancta synodus, ut ordinarii locorum Episcopi sedulo curent, ac tententur e medio tollere, quæ vel avaritia „ vel irreverentia, quæ ab impletate vix se „ junctæ esse potest, vel superstitio, veræ pietatis falsa imitatrix, induxit, &c. Non „ patiantur, privatim in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem „ Episcopis designanda, & visitanda, sanctum „ hoc sacrificium a sacerdotibus secularibus, „ aut regularibus quibuscumque peragi, &c. Ne superstitioni aliquis locus detur, edito, & pœnis propositis caveant, ne sacerdotes alii, quam debitis horis, celebrent, ne ritus alios, & alias cætemonias, „ & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab ecclesia probatæ, ac frequenti, & laudabili usu receptæ fuerint. „ Hæc ibi. Pro quibus maxime „ facit idem Concilium sess. septima, de sacramentis, can. 13. *si quis dixerit, ut pro- „ prios, & approbatos Ecclesia catholica ritus in „ solemnibus sacramentorum administratione adhiberi „ consuetos, aut contemni, aut sine peccato a „ ministris pro libito omitti, aut in novis aliis per „ quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse: anathema sit.* Hæc ibi. **A. D. Bernardo** autem insinuat, quod conveniens est, in locis consecratis, ut quæ ex consecratione adipiscantur spirituales virtutes, Missam cele-*

(*) Ita Nicolaus. Al. hic additur Missam præparam.

(1) Paulo aliter tamen etiam hic, sed in puro lineo ab Episcopo consecrato, sereno scilicet lineo proserato atque contexto sicut corpus Domini, &c. Nec ex Sylvestro tantum sed etiam ex Eusebio præpa-

tatur: Imo ex Eusebio solo ivo citat part. 2. cap. 134. Pro initio autem illo consulto omnium ad marginem notatur in moderno Decreto consulto omnium; sed in gothico textu, consilio omnium, In Decreto vereri Ex consulto, perinde ac si dicat Ex consilio.

lebans. Dicit ergo in sermone dedicationis Ecclesie, qui incipit, *Dominica. Quid parietes istos dicere sanctos vereamur, quos manus Pontificum tantis sanctificare mysteriis? Ex tunc quoque, & deinceps sanctorum inibi lectionum resulsavit frequentia, sanctorum orationum mormurare suspiria, sanctorum reliquiarum honorum presentia, sanctorum spirituum indefessa nascitur vigilare custodia. Super muros tuos Hierusalem, ait Dominus per prophetam, constitui custodes. Licet ergo parietes hos (charissimi fratres) dici, & esse sanctos, faciat consecratio Episcoporum, frequentatio scripturarum, instantia orationum, reliquia sanctorum, visitatio Angelorum, minime tamen eorum sanctitas propter se credenda est honorari, quod nos propter se certum est sanctificari: quoniam sancta est propter corpora domus, corpora propter animas, anima propter sanctum inhabitantem spiritum. Hec ibi. Quibus & supra ad reverendam illam sanctitatem loci ostendendam præmiserat. „ Testantur sanctæ „ litteræ, olim positum in Paradiso primum „ Adam, ut operaretur, & custodiret illum. „ Sic secundus Adam in Ecclesia sanctorum „ in horto deliciarum, si quidem delitiæ suæ „ sunt, esse cum filiis hominum, ita, in „ quam, est in loco isto, ut operetur, & „ custodiat. Porro, Angelos ascendentes, & „ descendentes esse in loco isto, patriarchalis ipsa visio manifestat. Ascendentes, ut videant faciem patris, descendentes, ut provideant nobis. Quid ergo nos, quomodo hic esse debemus, cum qua reverentia stare in loco isto, ubi Deus est operans, & servans: Angeli ascendentes, & descendentes? „ Hæc ibi. Ubi ad intelligendum recte ly *ascendentes*, ut videant faciem patris, consule D. Thomam in pri. par. qn. 107. a. 3. Secundo ex articulo per rationem, & ceteris per auctoritatem merito damnari noveris errorem *Adiaphoristarum*, qui Ecclesie, & conciliorum legitimas constitutiones, & cæremonias adeo sentiunt esse indifferentes, ut, qui eas sive observet, sive violet, sive mutet, nihil eum peccare dicant. Tertio vides: quomodo &c.*

Utrum convenienter ordinentur ea que circa hoc sacramentum dicuntur.

IV. dist. 1. quest. 1. art. 5. quest. 1. ad 2. & dist. VIII. in expos. lit. & dist. XIII. in expos. lit. prin. & dist. XV. quest. IV. art. 3. quest. 1. cor. & I. Timoth. II. lect. 1.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter ordinentur ea que circa hoc sacramentum dicuntur. Hoc enim sacramentum verbis Christi consecratur, ut Ambrosius dicit in Lib. IV. de sacramentis (cap. IV. a princ.) Non ergo debent aliqua alia in hoc sacramento dici quam verba Christi.

2. Præterea. Verba, & facta Christi nobis per Evangelium innotescunt. Sed quedam dicuntur circa consecrationem hujus sacramenti que in Evangelii non ponuntur: non enim legitur in Evangelio quod Christus in consecratione hujus sacramenti oculos ad cælum levaverit: similiter etiam in Evangelio dicitur: (1) *Accipite, & comedite*; nec ponitur, *omnes*: cum in celebratione hujus sacramenti dicatur: *Elevatis oculis in cælum: & iterum: Accipite, & manducate ex hoc omnes*. Inconvenienter ergo hujusmodi verba dicuntur in celebratione hujus sacramenti.

3. Præterea. Omnia sacramenta ordinantur ad salutem fidelium. Sed in celebratione aliorum sacramentorum non fit communis oratio pro salute fidelium defunctorum. Ergo inconvenienter fit in hoc sacramento.

4. Præterea. Baptismus dicitur specialiter fidei sacramentum. (2) Ea ergo que pertinent ad instructionem fidei, magis debent circa baptismum tradi quam circa hoc sacramentum, sicut doctrina apostolica, & evangelica.

5. Præterea. In omni sacramento exigitur devotio fidelium. Non ergo magis in hoc sacramento quam in aliis deberet excitari devotio fidelium per laudes divinas, & per admonitiones, puta cum dicitur, *Sursum corda*. (3)

6. Præterea. Minister hujus sacramenti est sacerdos, ut dictum est (quest. præc. art. 1.)

(1) In Evangelio Matthæi tantum sic expresse cap. 26. Sed in Evangelio Marci simpliciter *Sumite, hoc est corpus meum*, cap. 14. vers. 2. In Lucæ autem Evangelio nihil tale, sed solum *Dedit eis dicens, Hoc, &c* cap. 22. vers. 19.

(2) Ut epistola 23. que ad Bonifacium inscribitur

appellat Augustinus; & jam antea notatum est scilicet qu. 8. art. 68.

(3) Supple *habere*: Hinc populus respondet, sive loco populi chorus vel minister, *Habemus &c*. Præter admonitionem que subiungitur immediate *Gratias agimus, &c*.

1.) Omnia ergo quæ in hoc sacramento dicuntur, a sacerdotibus dici deberent, & non quædam a ministris, quædam a choro.

7. Præterea. Hoc sacramentum per certitudinem operatur virtus divina. Superflue ergo sacerdos petit hujus sacramenti perfectionem, cum dicit: *Quam oblationem tu Deus in omnibus &c.*

8. Præterea. Sacrificium novæ legis multo est excellentius quam sacrificium antiquorum patrum. (1) Inconvenienter ergo sacerdos petit quod hoc sacrificium habeatur sicut sacrificium Abel, Abraham, & Melchisedech.

9. Præterea. Corpus Christi sicut non incipit esse in hoc sacramento per loci mutationem, ut supra dictum est (quæst. lxxv. art. 2.) ita etiam nec esse desinit. Inconvenienter ergo sacerdos petit: *Jube hoc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum.*

Sed contra est quod dicitur de consec. dist. 1. (cap. xlvi.) *Jacobus frater Domini secundum carnem, & Basilius Casariensis Episcopus (*) ediderunt* (2) *Missæ celebrationem*: ex quorum autoritate patet convenienter singula circa hoc dici.

Respondeo dicendum, quod quia in hoc sacramento totum mysterium nostræ salutis

comprehenditur, ideo præ ceteris sacramentis cum majori solemnitate agitur. Et quia scriptum est Eccle. iv. 17. *Custodi pedem tuum ingrediens domum Domini*: & Eccli. xviii. 23. *Ante orationem prepara animam tuam*: ideo ante celebrationem hujus mysterii primo quidem præmittitur preparatio quædam ad digne agenda ea quæ sequuntur. Cujus præparationis prima pars est laus divina, quæ fit in introitu, secundum illud Psal. xlix. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutem Dei*: & sumitur hoc ut pluries de Psalmis, vel saltem (***) cum Psalmo cantatur, quia, ut Dionysius dicit in i. 1. cap. ecclæ Hierarch. (aliquant. ante med.) *Psalmi comprehendunt per modum laudis quicquid in sacra Scriptura continetur*. Secunda pars continet commemorationem præsentis miseræ, dum misericordia petitur, dicendo, *Kyrie eleison*, (1) ter quidem pro persona Patris, ter autem pro persona Filii, cum dicitur, *Christe eleison*, & ter pro persona Spiritus sancti, cum subditur, *Kyrie eleison*; contra triplicem miseriam, ignorantiam, culpam, & pœnam; vel ad significandum quod omnes personæ sunt in se invicem. Tertia autem pars commemorat collectam gloriam, ad quam tendimus post præ-

(1) Sive Patriarcharum qui ad legem naturæ pertinebant quales illi tres hic expressi, sed præ ceteris potissimum Abraham quasi fidei ac fidelium pater: Unde dicitur tantum *pueri tui iusti Abel*, & quod tibi obitus summus Sacerdos tuus Melchisedech sed *Patriarcha nostri Abraham sacrificium*, &c.

(2) Vel juxta græcæm παραδωκότες tradiderunt non in Scripturis addiderunt, sicut refertur in Decretis inepto sensu vel ambiguo; cum eam nobis porro celebrationem scripto consignasse intelligantur plano sensu. Ac ex canone quidem 32. sextæ Synodi prænotatur, sed hic unus est ex Canonibus qui Trullani dicuntur nec recepti sunt omnes: tamen nihil iste reprehendendum contineat, nec im merito addat de Basilio ut refertur etiam in Decretis, *cujus claritas per totum orbem circumfulsit*.

(*) Ita miss. & editi passim. Al. Scripturis addiderunt: item in Scripturis addiderunt nobis.

(**) Ita editi recentiores communiter. Cod. Alean. cum Psalmus cantetur: al. Psalmus cantatur.

(3) Juxta significatum græcæ phrasæ Κύριε ἐλεῆσον idest Domine miserere: Græce autem dicitur propter quatuor causas, ait Albertus magnus Tract. 1. de sacrificio Missæ cap. 2. Primo, quia sapientia primum apud Græcos floruit: Secundo, quia leges apud eosdem primos viguerunt. Tertio, quia primi ex Gentilibus Evangelium audierunt: Quarto, quia ex illis ad nos fides ac religio Christiana derivata est: Vel simpliciter ex Augustini sensu epist. 178. ubi cum Pascenio Ariano de christianis observantiis vitæ dicitur; ut ostendatur una Dei misericordia

universis indifferenter nationibus imploranda sicut ἐλεῆσαι ad consubstantialitatem Filii exprimentam latine usurpamus quia Trinitas est ab omnibus indifferenter confitenda: Imo ex Alcúino lib. de divinis officiis cap. de celebratione Missæ, Latini græce Κύριε ἐλεῆσον Græci Latine Domine miserere proferunt, ut & unum populum Dei nos esse ostendamus, & unum Deum ab utroque populo credi. Quamvis, ut S. Gregorius lib. 7. epistolarum indictione 2. epist. 64. dicit *Kyrie eleison nos nos dicimus sicut a Græcis dicitur*; quia in Græcis finem omnes dicunt, apud nos autem a Clericis dicitur, & a populo respondetur; & eisdem vicibus etiam *Christe eleison dicitur quod apud Græcos nullo modo dicitur* (qui scilicet *Kyrie tantum dicunt*) Ideo porro *Christe* ad Filium dicimus non *Kyrie*, sicut ad Patrem & ad Spiritum sanctum, quia *Pater & Spiritus sanctus sunt ejusdem nature tantum; Filius autem est ejusdem nature cum illis, est tamen etiam alterius ut gemina gigas substantia*, ait Innocentius 3. lib. 2. de mysteriis Missæ cap. 19. Ubi præmittit quod novies dicitur *miserere* (vel ἐλεῆσον) contra novem genera peccatorum; *originali, veniali, mortali; cogitationis, loquutionis, perpeccationis; fragilitatis, ignorantia, malignitatis; quod est peccatum in Patrem* (per fragilitatem contra potentiam) *peccatum in Filium* (per ignorantiam contra sapientiam) *peccatum in Spiritum sanctum* (per malitiam contra bonitatem) quæ respective illis appropriantur, &c.

sentem vitam, & miseriam, dicendo, *Gloria in excelsis Deo*: quod cantatur in festis, in quibus commemoratur cœlestis gloria; intermittitur autem in officiis luctuosis, quæ ad commemorationem miseriz pertinent. Quarta autem pars continet orationem, quam sacerdos pro populo facit, ut digni habeantur tantis mysteriis. Secundo autem præmittitur instructio fidelis populi: quia hoc sacramentum est mysterium fidei, ut supra habitum est (quæst. lxxviii. art. 3.) Quæ quidem instructio dispositivè quidem fit per doctrinam Prophetarum, & Apostolorum, quæ in Ecclesia legitur per lectores, & subdiaconos: post quam lectionem cantatur a choro Graduale, quod significat profectum vitæ, & Alleluia, quod significat spirituales exultationem, vel Tractus in officiis luctuosis, qui significat spirituales gemitum: hæc enim consequi debent in populo ex prædicta doctrina. Perfeste autem populus instruitur per doctrinam Christi in Evangelio contentam, quæ a summis ministris legitur, scilicet a diaconibus: & quia Christo credimus tanquam divinæ veritati, secundum illud Joan. viii. 46. *Si veritatem, dico vobis, quare non creditis mihi?* Lecto Evangelio, Symbolum fidei cantatur, in quo populus ostendit, se per fidem Christi doctrinæ assentiri. Cantatur autem hoc Symbolum in festis, de quibus fit aliqua mentio in Symbolo; sicut in festis Christi, & B. Virginis, & Apostolorum, qui hanc fidem fundaverunt, & aliis hujusmodi.

Sic igitur populo præparato, & instructo, consequenter accedit ad celebrationem mysterii: quod quidem & offertur ut sacrificium, & consecratur, & sumitur ut sacramentum. Unde primo peragitur oblatio; secundo consecratio materiz oblatæ; tertio ejusdem perceptio. Circa oblationem vero duo aguntur: scilicet laus populi in cantu Offertorii, per quod significatur lætitia offerentium; & oratio sacerdotis, qui petit ut oblatio populi sit Deo accepta. Unde & I. Paralip. xxix. 17. dixit David. *Ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc, & populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria: & postea orat dicens: Domine Deus custodi hanc voluntatem.*

Deinde circa consecrationem, quæ supernaturali virtute agitur, primo excitatur populus ad devotionem in Præfatione: unde & monetur *sursum corda habere ad Dominum*: & ideo, finita Præfatione, populus devote laudat Divinitatem Christi, cum Angelis di-

cens *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: & humanitatem cum pueris dicens: *Benedictus qui venit &c.* Deinde sacerdos secreto commemorat primo quidem pro quibus hoc sacrificium offertur, scilicet pro universalis Ecclesia, & *pro his qui in sublimitate sum: constituti* (I. Thimot. 2.) & specialiter quosdam qui offerunt, vel pro quibus offertur. Secundo commemorat Sanctos, quorum patrocinia implorat pro prædictis, cum dicit: *Communicantes, & memoriam venerantes &c.* Tertio petitionem concludit, cum dicit: *Ut hæc oblatio sit illis pro quibus offertur, salutaris.* Deinde accedit ad ipsam consecrationem, in qua primo petit consecrationis effectum, cum dicit: *Quam oblationem tu Deus &c.* Secundo consecrationem peragit per verba Salvatoris, cum dicit: *Qui pridie &c.* Tertio excusat præsumptionem per obedientiam ad mandatum Christi, cum dicit: *Unde & memores &c.* Quarto petit hoc sacrificium peractum esse Deo acceptum, cum dicit: *Supra qua pro: ibio &c.* Quinto petit hujus sacrificii, & sacramenti effectum: primo quidem quantum ad ipsos sumentes, cum dicit, *Supplices te rogamus*; secundo quantum ad mortuos, qui jam sumere non possunt, cum dicit, *Memento etiam Domine &c.* Tertio specialiter quantum ad ipsos sacerdotes offerentes, cum dicit, *Nobis queque peccatoribus &c.*

Deinde agitur de perceptione sacramenti: & primo præparatur populus ad percipiendum: primo quidem per orationem communem totius populi, quæ est oratio dominica, in qua petimus panem quotidianum nobis dari: & etiam privatam, quam specialiter sacerdos pro populo offert, cum dicit: *Libera nos, quasumus, Domine &c.* secundo præparatur populus per pacem, quæ datur dicendo, *Agnus Dei*: est enim hoc sacramentum unitatis, & pacis, ut supra dictum est (quæst. lxxiii. art. 4. & quæst. lxxix. art. 1.) In Missis tamen defunctorum in quibus sacrificium offertur non pro pace præsentis, sed pro requie mortuorum, pax intermittitur. Deinde sequitur perceptio sacramenti, primo percipientem sacerdote, & postmodum aliis dante, quia, ut Dionysius dicit iii. cap. eccles. Hierarch. (vers. fin.) *ille qui aliis divina tradit, primo debet ipse particeps esse.*

Ultimo autem tota Missæ celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultantè pro sumptione mysterii (quod significat cantus post communionem) & sacerdote per orationem gratias offerente; sicut & Christus celebrata cœna cum discipulis, hymnum di-

dixit, ut dicitur Matth. xxvi.

Ad primum ergo dicendum, quod consecratio solis verbis Christi conficitur; alia vero necesse est addere ad præparationem populi sumentis, sicut dictum est (in corp.)

Ad secundum dicendum, quod, sicut dicitur Joan. ult. multa sunt a Domino facta, vel dicta, quæ Evangelistæ non scripserunt; (1) inter quæ fuit hoc quod Dominus in cœna oculos levavit in cœlum; quod tamen Ecclesia ex traditione Apostolorum habuit. Rationabile enim videtur, ut qui in suscitatione Lazari, ut habetur Joan. xi. & in oratione quam pro discipulis fecit, Joan. xvii oculos levavit ad Patrem, in hujus sacramenti institutione multo magis hoc fecerit, tamquam in re potiori. Quod autem dicitur, *Manducate, & non comedite*, non differt quantum ad sensum: nec multum refert quod dicatur; præsertim cum verba illa non sint de forma, ut supra dictum est (quæst. lxxviii. art. 1. ad 2. & 4.) Quod autem additur *omnes*, intelligitur in verbis Evangelii, licet non exprimat, quia ipse dixerat Joan. vi. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*

Ad tertium dicendum, quod Eucharistia est sacramentum totius ecclesiasticæ unitatis: & ideo specialiter in hoc sacramento magis quam in aliis, debet fieri mentio de omnibus quæ pertinent ad salutem totius Ecclesiæ.

Ad quartum dicendum, quod instructio fidei est duplex. Una quæ fit noviter imbuedis, scilicet catechumenis: & talis instructio fit (*) circa baptismum. Alia autem est instructio qua instruitur fidelis populus, qui communicat huic mysterio: & talis instructio fit in hoc sacramento; & tamen ab hac instructione non repelluntur etiam catechu-

meni, & infideles. Unde dicitur de consecrat. dist. 1. (cap. lxxvii.) *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive Gentilem, sive hereticum, sive Judæum, usque ad Missam catechumenorum, in qua scilicet continetur instructio fidei. (2)*

Ad quintum dicendum, quod in hoc sacramento & major devotio requiritur quam in aliis sacramentis, propter hoc quod in hoc sacramento totus Christus continetur, & etiam communior, quia in hoc sacramento requiritur devotio totius populi christiani, pro quo sacrificium offertur, & non solum percipientium sacramentum, sicut in aliis sacramentis. Et ideo, ut Cyprianus dicit (in Lib. de orat. dom. aliquant. ante fin.) *sacerdos præfatione præmissa parat fratrum mentes, dicendo, Sursum corda, ut dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, admoveatur nihil aliud se quam Deum cogitare debere.*

Ad sextum dicendum, quod in hoc sacramento, sicut dictum est (in resp. ad 3.) tanguntur ea quæ pertinent ad totam Ecclesiam: & ideo quædam dicuntur a choro, quæ pertinent ad populum: quorum quædam chorus totaliter profequitur, quæ scilicet toti populo inspirantur; quædam vero populus profequitur, sacerdote inchoante, qui personam Dei gerit; in signum quod talia pervenerunt ad populum ex revelatione divina sicut fides, & gloria cœlestis: & ideo sacerdos inchoat Symbolum fidei, & *Gloria in excelsis Deo*. Quædam vero dicuntur per ministros, sicut doctrina veteris, & novi Testamenti; in signum quod per ministros a Deo missos est doctrina hæc populis annuntiata. Quædam vero sacerdos solus profequitur, quæ scilicet ad proprium officium sacerdotis pertinent, ut scilicet *dona, & pre-*

(1) De factis tantum vel miraculis ibi dictum videtur vers. 25. sicut & expressius cap. 20. vers. 30. præmissum erat; sed universaliter subintelligi potest, sicut subintelligit Innocentius tertius lib. 4. de mysteriis Missæ cap. 5. & ad præfens applicat institutum eodem modo quo hic, ut & a Christo factum probet ac veluti ab Apostolis traditum præsupponat. Et quidem in omnibus Apostolicis liturgiis Jacobi, Marci, Petri exprimitur uniformiter *suspiciens in cœlum*, licet in Basilii & Chrysostomi liturgiis non similiter exprimat, sed solummodo in liturgia Basilii veluti *Patris panem ostendens*, quod ad elevationem oculorum referri potest: Sicut & Clemens lib. 8. Constitutionum Apostolicarum cap. 21. *Cum suffulisset (inquit) oculos suos ad Deum suum, ad Patrem, &c.* Hinc Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 5. *Acceptis panem, respexit in cœlum ad se ipsum Patrem omnipotens æternus Deus, &c.*

(*) Ita cum ms. Camer. & Alesn. editi recentior. *res passim. Al.* per baptismum.

(2) Proprie tamen *Missæ Catechumenorum* intelligitur quasi *missio*, cum scilicet post verbum Dei prædicatum & in procinctu consecrationis peragende foras a Diacono mittebantur ut & modus loquendi hoc in loco præfertur cum dicuntur non prohiberi *usque ad Missam Catechumenorum*, id est *ad eorum dimissionem extra Ecclesiam*: Sed sicut *Missæ Christianorum*, etsi denominetur ab eorum dimissione quando jam mysteria peracta sunt dicente Sacerdote vel Diacono, *Ita Missa est*, accipitur nihilominus pro integro sacrificii ritu cui intersunt Christiani. Sic *Missæ Catechumenorum* pro tota illa prima sacrificii parte que in prædicationem divini verbi desinebat; & eo sensu dicit S. Thomas in ea *Missæ* instructionem fidei contineri.

es offerat pro populo, sicut dicitur Hebr. v. In his tamen quædam dicit publice, scilicet quæ pertinent & ad sacerdotem, & ad populum, sicut sunt orationes communes; quædam vero pertinent ad solum sacerdotem sicut oblatio, & consecratio: & iteo quæ circa hæc sunt dicenda, occulte a sacerdote dicuntur. In utrisque tamen excitat attentionem populi, dicendo, *Dominus vobiscum*, & expectat assensum dicentium, *Amen*. Et ideo etiam in his quæ secrete dicuntur, publice præmittit *Dominus vobiscum*, & subiungit, *Per omnia secula seculorum*: vel secrete aliqua sacerdos dicit, in signum quod circa Christi passionem discipuli non nisi occulte confitebantur Christum.

Ad septimum dicendum, quod efficacia verborum sacramentalium impediri potest per attentionem sacerdotis.

Nec tamen est inconueniens quod a Deo petamus id quod certissime scimus ipsum facturum, sicut Christus Joan. xvii. petit suam clarificationem,

Non tamen videtur ibi sacerdos orare ut consecratio impleatur, sed ut nobis fiat fructuosa: unde signanter dicit: *Ut nobis corpus & sanguis fiat*: & hoc significant verba quæ præmittit, dicens: *Hanc oblationem facere digneris benedictam*, secundum Augustinum (1) tab. ex Lib. de corp. & sang. Dom. Paschastii Abb. cap. xii. cir. med.) idest *per quam benedicamur*, scilicet per gratiam; *adscriptam*, idest *per quam in cælo adscribamur*; *ratam*, idest *per quam de visceribus Christi esse certamur*; *rationabilem*, idest *per quam a beiali sensu exuamur*; *acceptabilem*, ut qui non ipsius displicemus, *per hæc acceptabiles ejus*

unico Filio simus.

Ad octauum dicendum, quod licet hoc sacramentum ex seipso præferatur omnibus antiquis sacrificiis; tamen sacrificia antiquorum fuerunt Deo acceptissima ex eorum deuotione. Petit ergo sacerdos ut sic hoc sacrificium acceptetur a Deo ex deuotione offerentium, sicut illa accepta fuerunt Deo. (2)

Ad nonum dicendum, quod sacerdos non petit neque quod species sacramentales deferantur in cælum, neque corpus Christi verum, quod ibi esse non definit; sed petit hoc pro corpore mystico, quod scilicet in hoc sacramento significatur, ut scilicet orationes sacerdotis, & populi Angelus assistens diuinis mysteriis Deo repræsentet, secundum illud Anoc. viii. 4. *Ascendit fumus incensorum de oblationibus* (3) *Sanctorum de manu Angeli*. Sublime autem altare Dei dicitur vel ipsa Ecclesia triumphans, in quam transferri petimus, vel ipse Deus, cuius participationem petimus: de hoc enim altari dicitur Exodi xx. 26. *Non ascendus ad altare meum per gradus*, idest „ in Trinitate gradus non facit „ es. (4) (Glos. interl.) Vel per Angelum intelligitur ipse Christus, qui est magni consilii Angelus, qui corpus suum mysticum Deo Patri coniungit, & Ecclesie triumphanti: & propter hoc etiam Missa nominatur, quia per Angelum sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotem; vel quia Christus est hostia nobis missa a Deo: (4) unde & in fine Missæ diaconus in festiuis diebus populum licentiat, dicens: *Ite, missa est*, scilicet hostia ad Deum per Angelum, ut scilicet sit Deo accepta.

0 0 3

AP.

(1) Sicut refertur in Decretis distinct. 2. de consecrat. cap. *Utrum*; sed Paschastii esse ut & Rabani ex Paschastio mutuati appendix ibi notat quæ adijciuntur in modernis: Inde porro restituumus quædam iuræ vel mutata prius vel omissa hic erant; ut quod *in visceribus Christi censamur*, & *in ejus unico Filio acceptabiles simus*, idest *per unicum Filium*; nonne alio sensu quam & in manuscriptis & in impressis passim præposere, *acceptabiles ejus unico Filio simus*: Non enim postulamus acceptabiles Filio esse sed per Filium Patri, &c.

(2) Nempse cum benedicens ei vers. 19. ait: *Benedixit Abraham Deo excelsis*, &c. postquam obtulit panem & vinum quia *Sacerdos eras Dei altissimi*, ut præmittitur ibi.

(3) Vel de orationibus ut sacer textus habet juxta græcum *προσευχῶν* vers. 3. sed ad oblationes propter adjunctum *incensorum* (sive *θυμιαμάτων*) referri potest, ut in impressis passim & manuscripto pro Summis.

(4) Primam harum interpretationum de magni consilii Angelo, nempe Christo, indicat author *Gemma animæ* lib. 1. de antiquo Missarum ritu cap. 106. tom. 10. Bibliothecæ Patrum, et si paulo aliis verbis explicatam: Secundam & tertiam, de angelico ministerio preces nostras ad Deum transmittente, Christique ad nos missione Innocentius tertius habet partim cap. 6. libri quinti, partim cap. 12. libri sexti: Priori enim loco sic de secunda, *Per manus (inquit) angeli tui hoc est per ministerium Angelorum; secundum illud quod ait Angelus ad Tobiam (cap. 12.) Quando orabas cum lacrymis, obtuli orationem tuam Domino*, &c. Et paulo infra: *Hinc etiam euidenter apparet quod Angeli semper in sacrificio præsentis assistunt*, sicut & paulo supra ex Gregorio præmiserat (lib. 4. Dialogorum cap. 58.) *Quis fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem calos aperiri in illo Jesu-Christi mysterio Angelorum choros*

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem tum directam, hæc est in corpum indirectam, hæc est solutio argumentorum, destruas errores illorum, qui non intelligentes neque, que loquuntur, neque de quibus affirmant, 1. Timoth. 1. dicunt, ut ex Concilio Tridentino nunc videre erit, quod in Canone, vel etiam in aliqua alia parte Missæ continentur errores. Ex solutione enim argumentorum pulcherrime, more suo, facti sanctus Doctor demonstratum reliquit, & quod nulla falsitas in Canone Missæ, nec in aliis partibus eorum, quæ in missa dicuntur, invenitur, & quod illi, qui contrarium asserunt, quorum locum tenent argumenta, ignorantie morbo gravissimo laborant. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, errores illorum merito damnari a Concilio Tridentino. sess. 22. cap. 4. *Cum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium, Ecclesia Catholica, ut digne, reverenterque offerretur, ac perciperetur, sacrum Canonem multis ante seculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem, ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum verigat. Is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus. Et cap. 8. Missa magnam continet populi fidelis eruditionem. Et canone 6. Si quis dixerit: Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse; anathema sit.* Hæc ibi, & in prioribus locis citatis. Item a Synodo sexta, ut recitatur dist. 1. *Jacobus frater Domini secundum carnem, cui primum cre-*

data est Hierosolymitana Ecclesia, & Basilium Cesariensis Episc. cujus claritas per totum orbem refulsit in scripturis, ediderunt vobis Missæ celebrationem. Hæc ibi. Ubi dicit Glof. *Ordinem Missæ celebrandæ tradiderunt.* Item a sancto Damaso Papa institutum est, quod confessio in principio Missæ præmitteretur. A sancto Gregorio Papa, quod *Hyrie eleison* novies in Missa diceretur, ut patet in vitis eorum. De aliis vide Rationale divinarum officiorum. Item ab Apostolis Missam traditam nobis fuisse, docet B. Ignarius martyr, & S. Joannis Apostoli discipulus in Epistola 5. ad Smyrnenes: qui & inter alia ibi dicit. *Non licet sine Episcopo neque offerre, neque sacrificium immolare, neque Missas celebrare.* Item Beatus Dionysius martyr, & Sancti Pauli Apostoli discipulus, ab ipsis Ecclesiæ columnis, idest Apostolis institutam fuisse Missam affirmat: & cum quanta reverentia in primitiva Ecclesia celebraretur Missa ipsa, idem manifestat in lib. *Ecclesiast. hierarch. c. 2.* Item Beatus Marcus Evangelista Sancti Petri Apostoli discipulus idipsum de Missa insinuare videtur per hoc, quod ipse fuit dignitate sacerdos, ut testatur B. Hieronymus in lib. de viris illustribus, & tamen pollicem sibi amputasse dicitur, ut sacerdotio reprobis haberetur. Hoc est, ut ad sacerdotii executionem in celebranda Missa, tamquam mysterio tanto indignum se reputans, non adstringeretur. Ex hoc enim facto Beati Marci patet, quod Missa tempore suo celebrabatur, & consequenter, quod a S. Petro Apostolo tunc vivo approbata fuit. Item prædictos malitiose errantes in sua illa erronea positione merito damnari, & quidem factis ipsis, ab omnibus SS. Pontificibus, Martyribus, Confessoribus, Ecclesiæ catholicæ Doctoribus, qui

videsse, terræ caelestibus jungi, &c. Tum inferius rursum insinuans aliquid ad interpretationem primam pertinens: Est multiplex altare (inquit) superius & inferius; interius & exterius: Altare superius est Deus Trinitas de quo legitur (Exod. 20.) Non ascendes ad altare meum per gradus: Est & altare superius triumphantis Ecclesiæ, de qua legitur Psal. 50. Impones super altare tuum vitulos, &c. Pergitque ostendere quod & altare inferius est Ecclesiæ militans, vel mensæ templi; altare interius cor mundum vel incarnationis fides; exterius vel ara crucis, vel ecclesiastica sacramenta, de quibus scriptum est (Psal. 83.) Altaria tua Domine virtutum &c. Quidni potius de Ecclesia triumphante, cui minus convenire videntur antedicta? Posteriori autem loco de utraque: Dicitur Missa (inquit) quasi transmissio, eo quod populus fidelis per ministerium Sacerdotis qui fungitur vice mediatoris inter Deum

& homines, preces & supplicationes & vota transmissas Altissimo; Ipsum vero sacrificium: idest hostia, Missa vocatur, quasi transmissa; primum nobis a Patre, ut esset nobiscum per incarnationem, postea Patri a nobis ut intercedat pro nobis ad ipsum per passionem; ut & in sacramento primum nobis a Patre per sanctificationem, postea Patri a nobis per oblationem: Et si præmittit initio capitis Missam Catechumenorum dici ab omittendo quia tempore quo Sacerdos incipit Eucharistiam consecrare, Catechumeni foras de Ecclesia emittuntur: Et mox, Missam a dimittendo dici, quia tunc ad propria fidelis quisque dimittitur: Hinc & in fine addit: Cum ergo Disconus ait Ite, Missa est, idem est ac si diceret, Redite ad propria, quia oblata est hostia salutaris. Præter alia quædam quæ lib. 4. Sentent. dist. 13. notavimus.

qui Missas, dum in præsentī viverent, personaliter devotissime a mille quingentis nonaginta annis, continua successione celebraverunt. Absit enim a communi omnium sapientum animi conceptione vel minimum suspicari, tantos virorum proceres omni virtutum genere decoratos, ac splendoribus admixisse aliquando aliquod erroneum dictum in Missarum solemnibus a sese celebratarum: vel, si assuisset in dictis ipsis etiam minutissimus error numquam suis perspicacissimis intellectibus deprehendisse, eumque e suis libris non abradisse, aliosque tum præsentēs, tum futuros verbo, aut scripto de eodem abradendo non admonuisse. Ex his ergo omnibus hæcenus præmissis, quæ & pro tanto a nobis adducta fuerunt, patet abundantissime destructio errorum in principio appendicis narratorum. *Tertio vides: quomodo &c.*

A R T I C U L U S V. 508

Unum ea quæ in celebratione hujus sacramenti aguntur, sint convenientia.

IV. Sens. dist. xlii. in exp. lis. & op. lxxv. cap. v. & opusc. lxxvi. per tot.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod ea quæ in celebratione hujus sacramenti aguntur, non sint convenientia. Hoc enim sacramentum ad novum Testamentum pertinet, ut ex forma ipsius apparet. In novo autem Testamento non sunt observandæ cæremoniæ veteris Testamenti, ad quas pertinebat quod sacerdos, & ministri aqua lavabantur, quando accedebant ad offerendum: legitur enim Exodi xxx. 19. *Lavabunt Aaron, & filii ejus manus suas, ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum simonii, & quando accessuri sunt ad altare.* Non est ergo conveniens quod sacerdos lavet manus suas inter Missarum solemnias.

2. Præterea. Ibidem Dominus mandavit quod Aaron adoleret incensum suave fragrans super altare, quod erat ante propitiatorium: quod etiam pertinebat ad cæremonias veteris Testamenti. Inconvenienter ergo in Missa sacerdos thurificatione utitur.

3. Præterea. Ea quæ in sacramentis Ecclesiæ aguntur, non sunt iteranda. Inconvenienter igitur sacerdos multoties iterat crucesignationes super hoc sacramentum.

4. Præterea. Apostolus dicit Heb. vii. 7. *Sine ulla contradictione, quod minus est, a majori benedicitur.* Sed Christus, qui est in hoc sacramento post consecrationem, est multo major sacerdote. Inconvenienter igitur sacerdos post consecrationem benedicit hoc sacramentum, cruce signando.

5. Præterea. In sacramento Ecclesiæ nihil debet fieri quod ridiculosum videatur. Videtur autem ridiculosum gesticulationes facere, ad quas pertinere videtur quod sacerdos quandoque brachia extendit, manus jungit, digitos complicat, & seipsum inclinat. Ergo hæc non debent fieri in hoc sacramento.

6. Præterea. Ridiculosum etiam videtur quod sacerdos multoties se ad populum vertit & multoties populum salutat. Non ergo debet hæc fieri in celebratione hujus sacramenti.

7. Præterea. Apostolus I. Corinth. 1. pro inconvenienti habet quod Christus divisus sit. Sed post consecrationem Christus est in hoc sacramento. Inconvenienter ergo hostia frangitur a sacerdote.

8. Præterea. Ea quæ in hoc sacramento aguntur, passionem Christi repræsentant. Sed in passione Christi corpus fuit divisum in locis quinque vulnerum. Ergo corpus Christi in quinque partes frangi deberet magis quam in tres.

9. Præterea. Totum corpus Christi in hoc sacramento seorsum consecratur a sanguine. Inconvenienter ergo una pars ejus sanguini miscetur.

10. Præterea. Sicut corpus Christi proponitur in hoc sacramento ut cibus, ita & sanguis Christi ut potus. Sed sumptioni corporis Christi non adjungitur in celebratione Missæ alius corporalis cibus. Inconvenienter igitur sacerdos post sumptionem sanguinis Christi, vinum non consecratum sumit.

11. Præterea. Veritas debet respondere figuræ. Sed de agno paschali, qui fuit figura hujus sacramenti, mandatur quod non remaneret ex eo quidquam usque mane. Inconvenienter igitur hostiæ consecratæ reservantur, & non statim sumuntur.

12. Præterea. Sacerdos pluraliter loquitur audientibus, cum dicit, *Dominus vobiscum, & Gratias agamus.* Sed inconveniens videtur pluraliter loqui uni, & maxime minori. Ergo inconveniens videtur quod sacerdos uno tantum ministro præsentē celebret Missam. Sic igitur videtur quod inconvenienter aliqua agantur in celebratione hujus sacramenti.

Sed in contrarium est Ecclesiæ consuetudo, quæ errare non potest, utpote a Spiritu sancto

Et instructa.

Respondet dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. lx. art. 5. & 6.) in sacramentis dupliciter aliquid significatur, scilicet verbis, & factis, ad hoc quod sit perfectior significatio. Significantur autem verbis in celebratione hujus sacramenti quædam pertinentia ad passionem Christi, quæ representatur in hoc sacramento, vel etiam ad corpus mysticum, quod significatur in hoc sacramento; & quædam pertinentia ad usum hujus sacramenti, qui debet esse cum devotione, & reverentia.

Et ideo in celebratione hujus mysterii quædam aguntur ad representandam passionem Christi, vel etiam dispositionem corporis mystici; & quædam aguntur pertinentia ad devotionem, & reverentiam hujus sacramenti.

Ad primum ergo dicendum, quod ablutio manuum fit in celebratione Missæ propter reverentiam hujus sacramenti; & hoc dupliciter. Primo quidem quia aliqua pretiosa tractare non convenimus nisi manibus ablutis: unde indecens videtur quod ad tantum sacramentum aliquis accedat manibus etiam corporaliter inquinatis. Secundo propter significationem: quia, ut Dionysius dicit III. cap. eccles. Hierar. (a med.) extremitatum ablutio significat emundationem etiam a minimis peccatis, secundum illud Joan. XIII. 10. *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.* Et talis emundatio requiritur ab eo qui accedit ad hoc sacramentum: quod etiam significatur per confessionem, quæ fit ante Introitum Missæ. Et hoc idem significabat ablutio sacerdotum in veteri lege, ut ibidem Dionysius dicit. Nec tamen Ecclesia hoc servat tamquam cæremonia veteris legis præceptum, sed quasi ab Ecclesia institutum, sicut quidam secundum se conveniens: & ideo non eodem modo observatur sicut tunc: præmittitur enim pedum ablutio, & servatur ablutio manuum, quæ potest fieri magis in promptu, & quæ sufficit ad significandam perfectam mundationem: cum enim manus sit *organum organorum*, ut dicitur in III. de Anima

(tex. 38.) omnia opera attribuantur manibus: unde in Psalm. xxv. 6. dicitur: *Lavo inter innocentes manus meas.* (1)

Ad secundum dicendum, quod etiam thurificatione non utimur quasi cæremoniali præcepto legis, sed sicut Ecclesiæ statuto: unde non eodem modo utimur sicut in lege veteri erat statutum. Pertinet autem ad duo: primo quidem ad reverentiam hujus sacramenti, ut scilicet per bonum odorem depellatur, si quid corporaliter pravi odoris in loco fuerit, quod posset provocare horrorem; secundo pertinet ad representandum effectum gratiæ, qua, sicut bono odore, Christus plenus fuit, secundum illud Genes. xxvii. 27. *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni:* & a Christo derivatur ad fideles officio ministrorum, secundum illud II. Cor. II. 14. *Odorem nostris sue (*) spargis per nos in omni loco:* & ideo, undique thurificato altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem.

Ad tertium dicendum, quod sacerdos in celebratione Missæ utitur cruce signatione ad exprimendam passionem Christi, quæ ad crucem est terminata. Est autem passio Christi quibusdam quasi gradibus perfecta. Nam primo fuit Christi traditio, quæ facta est a Deo, Juda, & Judæis: quod significat trina cruce signatio super illa verba: *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata.* Secundo fuit Christi venditio: est autem venditio Sacerdotibus, Scribis, & Phariseis: ad quod significandam fit iterum trina cruce signatio supra illa verba: *Benedictam, adscriptam, ratam:* vel ad ostendendum pretium venditionis, scilicet triginta denarios. Additur autem & duplex crux super illa verba. *Ut nobis corpus, & sanguis &c.* ad designandam personam Judæ venditoris, & Christi venditi. Tertio autem fuit præsignatio passionis Christi facta in cæna: ad quod designandum sunt tertio duæ cruces, una in consecratione corporis, alia in consecratione sanguinis; ubi utrobique dicitur, *Benedixit.* Quarto autem fuit ipsa passio Christi: unde ad representan-

(1) Quod & Sacerdos tunc usurpat cum digitorum ablutioem consecrationi præmittit, & sic explicat Augustinus enarrat. I. ejusdem Psalmi: *Munda facta inter innocentes opera mea:* Germanus autem Constantinopolitanus in Theoria seu contemplatione rerum ecclesiasticarum to. 12. Bibliothecæ Patrum; *Ablutio manuum (inquit) est ejus vice qui se lavit in clamans, Innocens sum: Nobis autem Sacerdotibus insinuat ut pura tenente conscientia, cogitatio-*

ne (que sunt manus nostrarum animarum) cum timore, mansuetudine ac moderatione, accedamus ad mensam sanctam &c. Alludit porro ad Pilatum qui ante Christi crucifixionem, quam sacramentum istud velut memoriale representat, *lavit manus coram populo dicens, Innocens ego sum a sanguine justis hujus* Matth. 27. vers. 24.

(*) *Vulgata manifestat.*

tandum quinque plagas Christi fit quarto quintuplex cruce-signatio super illa verba, *Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vite æternæ, & calicem salutis perpetuæ*. Quinto repræsentatur extensio corporis, & effusio sanguinis, & fructus passionis per trinam cruce-signationem quæ fit super illis verbis, *Corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione &c.* Sexto repræsentatur triplex oratio quam fecit in cruce: unam pro persecutoribus, cum dixit: *Pater ignosce illis*: secundam pro liberatione a morte, cum dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* tertia pertinet ad adeptionem gloriæ (1), cum dixit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*: & ad hoc significandum fit trina cruce-signatio super illa verba, *Sanctificas, vivificas, benedixisti &c.* Septimo repræsentatur tres horæ quibus pendit in cruce, scilicet a sexta usque ad nonam: & ad hoc significandum fit iterum trina cruce-signatio ad illa verba, *Per ipsum, & cum ipso, & in ipso*. Octavo autem repræsentatur separatio animæ a corpore per duas cruces sequentes extra calicem factas. Nono autem repræsentatur resurrectio tertia die facta per tres cruces, quæ sunt ad illa verba, *Pax Domini sit semper vobiscum*.

Potest autem brevius dici, quod consecratio hujus sacramenti, & acceptio hujus sacrificii, & fructus ipsius procedit ex virtute

crucis Christi: & ideo ubicumque fit mentio de aliquo horum, (2) sacerdos cruce-signatione utitur.

Ad quartum dicendum, quod sacerdos post consecrationem non utitur cruce-signatione ad benedicendum, & consecrandum, sed solum ad commemorandum virtutem crucis, & modum passionis Christi, ut ex dictis patet (in solut. præc.)

Ad quintum dicendum, quod ea quæ sacerdos in Missa facit, non sunt ridiculosæ gestulationes, fiunt enim ad aliquid repræsentandum. Quod enim sacerdos brachia extendit post consecrationem, significat extensionem brachiorum Christi in cruce. Levat etiam manus orando, ad designandum quod oratio ejus dirigitur pro populo ad Deum, secundum illud Thren. III. 41. *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in celos*: & Exodi XVII. 11. dicitur, quod *cum levet Moyses manus, vincebat Israel*. Quod autem manus interdum jungit, & se inclinat, est suppliciter, & humiliter orantis; & designat humilitatem, & obedientiam Christi, ex qua passus est. Digitos autem jungit post consecrationem, scilicet pollicem cum indice, quibus corpus Christi consecratum tetigerat, ut si qua particula digitis adhæserit, non dispergatur; quod pertinet ad reverentiam sacramenti (3).

Ad sextum dicendum, quod quinquies se-

(1) Non quod per ista verba sibi gloriam postulet quam ab instanti conceptionis adeptus erat, sed quod in persona suorum loquens exemplum postulandi & spem adipiscendi nobis daret. Hinc Augustinus enarrat. 2. ibi: *Vocem corporis in se transfiguravit &c.*

(2) Puta vel de consecratione in illis verbis, *Benedixit, & similibus*: Vel de acceptione seu acceptione in illis verbis *ut accepta habeas &c.* ut & in illis, *benedixisti, vitam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris &c.* Vel de illius fructu in illis verbis, *Ut quotquot ex hac altaris participatione sacro-sanctum filii tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur*; ut & in illis. *Per quem hæc omnia creas & prestas nobis &c.* ac demique in illis, *Pax Domini sit semper &c.* cum per sanguinem crucis pacificaverit omnia quæ in terris & quæ in cælis, ut loquitur ad Coloss. I. Apostolus vers. 19.

(3) Quætionem hic porrò non silentio prætereundam Innocentius 3. lib. 4. de mysteriis Missæ cap. 2. ex prædictis oriri ait, *quare super Eucharistiam benedictionem & plenissime consecratam adhuc signum benedictionis imprimatur, aut aliquod verbum consecrationis profertur, imo sæpia quedam subjunguntur in Canone qua videntur innuere quod nondum fit transsubstantiatio consummata*: Respondet autem sine

*præjudicio sententia (ut ait) melioris, quia nihil a majoribus dictum super hæc se posuit reperire quod in Canone aliud verba significant, & aliud signa præstent; verba namque principaliter spectant ad Eucharistiam consecrandam; signa vero principaliter pertinent ad historiam recolendam: Patet ergo quantum ad ordinem Eucharistie consecrandæ quod capitulum illud Qui pridie quam pateretur, in fine Canonis subijci debuisset, quoniam in eo consecratio consummatur; sed quoniam impediisset ordinem historie recolendæ, quia quod fuit gestum in media recoleretur in fine, providus Canonis ordinator, capitulum istud quasi cor Canonis in medio collocavit, ut quæ sequuntur, intelligantur procedere secundum illam figuram qua sæpe fit ut quæ narratione succedens intellectu præcedat: Vel potius ut tam littera quam historia suis ordo servetur, dicatur usque quod signa pertinent ad historiam recolendam; sed verba non pertinent ad Eucharistiam consecrandam, imo pertinent ad Eucharistiam consecratam, hoc modo: Nos tui servi offerimus præclara maiestati tuæ de tuis donis &c. Difficilius ei sine dubio visum esset quod Græci dicunt post consecrationis verba iam prolata, *Pax panem quidem hæc pretiosum corpus Christi tui; quod autem in calice isto est, pretiosum sanguinem Christi tui, sanctæ tuæ Spiritu transmu-**

sacerdos vertit ad populum, ad significandum quod Dominus die resurrectionis quinquies se manifestavit, ut supra dictum est in tractatu de resurrectione Christi (quæst. lv. art. 3. arg. 3.) Salutem autem septies populum, scilicet quinque vicibus, quibus se convertit ad populum, & bis, quando se non convertit, scilicet cum ante Præfationem dicit, *Dominus vobiscum*; & cum dicit, *Pax Domini sit semper vobiscum*, ad designandam septiformem gratiam Spiritus sancti. Episcopus autem celebrans in festis in prima salutatione dicit, *Pax vobis*, quod post resurrectionem discipulis dixit Dominus, cuius personam repræsentat præcipue Episcopus.

Ad septimum dicendum, quod fractio hostiæ tria significat: primo quidem ipsam divisionem corporis Christi, quæ facta est in passione; secundo distinctionem corporis mystici secundum diversos status; tertio distributionem gratiarum procedentium ex passione Christi, ut Dionysius dicit III. cap. eccl. Hier. (vers. fi.) unde talis fractio non inducit divisionem Christi.

Ad octavum dicendum, quod sicut Sergius Papa dicit, & habetur de consecr. dist. 11. (cap. xxii.) *triforme est corpus Domini: pars oblata in calicem missæ corpus Christi, quod jam resurrexit, monstrat, scilicet ipsum Christum, & B. Virginem, vel si qui alii sancti cum corporibus jam sunt in gloria: pars comesta ambulantes adhuc super terram, quia scilicet viventes in terra sacramento (*) utuntur, & passionibus conteruntur; sicut & panis comestus conteritur dentibus: pars in altari usque ad finem Missæ remanens est corpus jacens in sepulcro: quia usque in finem seculi corpora sanctorum in sepulcris erunt, quorum tamen animæ sunt vel in purgatorio, vel in cælo. Hic tamen ritus non servatur modo, ut scilicet una pars serveretur usque in finem Missæ, propter periculum; manet tamen eadem significatio partium: quam quidam metricè expresserunt dicentes:*

Hostia dividitur in partes: tincta beatos

Plene: sicca notat vivos; servata sepultos.
Quidam tamen dicunt, quod pars in calicem missa significat eos qui vivunt in hoc mun-

do; pars autem extra calicem servata significat plene beatos, scilicet quantum ad animam, & corpus; pars autem comesta significat ceteros.

Ad nonum dicendum, quod per calicem duo possunt significari. Uno modo ipsa passio Christi, quæ repræsentatur in hoc sacramento: & secundum hoc per partem in calicem missam significantur illi qui adhuc sunt participes passionum Christi. Alio modo potest significari fruitio beata, quæ etiam in hoc sacramento præfiguratur: & ideo illi quorum corpora jam sunt in plena beatitudine, significantur per partem in calicem missam. Et est notandum, quod pars in calicem missa non debet populo dari in supplementum communionis: quia panem intinctum non porrexit Christus nisi Judæ proditori.

Ad decimum dicendum, quod vinum ratione suæ humiditatis est ablutivum: & ideo sumitur post susceptionem hujus sacramenti ad abluendum os, ne aliquæ reliquæ remaneant; quod pertinet ad reverentiam sacramenti. Unde extra de celebr. Miss. (cap. Ex parte) dicitur: *Semper sacerdos vino os perfundere debet, postquam totum percepit Eucharistiæ sacramentum, nisi cum eodem die aliam Missam debuerit celebrare, ne si forte vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliam impediret: & eadem ratione perfundit vino digitos, quibus corpus Christi tetigerat.*

Ad undecimum dicendum, quod veritas quantum ad aliquid debet respondere figuræ, quia scilicet non debet pars hostiæ consecratæ, de qua sacerdos, & ministri, vel etiam populus communicat, in crastinum reservari. Unde, ut habetur de consecr. dist. 11. (cap. Tribus gradibus) Clemens I. Papa (episc. 11. in princ.) statuit quod *santa holocausta in altari offerantur, quanta populo sufficere debent: quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore, & tremore Clericorum diligentia consumantur.* Quia tamen hoc sacramentum quotidie sumendum est, non autem agnus paschalis quotidie sumebatur; ideo oportet alias hostias consecratas pro infirmis conservare. Unde in eadem distinctione legitur (cap. xciii.) *Presbyter Eucharisti-*

sans: Atqui cum propositum illis esset in Concilio Florentino, sic ab iisdem Sess. 25. sive ultima solutum est: Passeri nos dicimus, per hæc verba (quæ superius indicata sunt & in consecratione adhibentur) transsubstantiari secrum panem & fieri corpus Christi; sed postea sicut dicitis (vos Latini) Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublimi altare dum sic nos quoque oramus ut Spiritus-sanctus de-

scendat super nos & efficiat in nobis panem hunc preciosum corpus Christi tui; & quod in calice isto est, preciosum sanguinem Christi tui; transmutetque ipsa Spiritu sancto suo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ ac in remissionem peccatorum; non in damnationem &c.

(*) Al. uniuntur.

visitam semper habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, statim eum communique, ne sine communione moriatur.

Ad duodecimum dicendum, quod in solemni celebratione Missæ plures debent adesse. Unde Soter Papa dicit [decreto III.] ut habetur de consecr. dist. 1. [cap. lxi.] *Hoc quoque statutum est, ut nullus presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus presentibus, sibi que respondentibus, ipse tertius habeatur: quia cum pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum, & illud in secretis, Orate pro me, apertissime convenit ut ipsius respondeatur saluationi.* Unde & ad maiorem solemnitatem ibidem statutum legitur (cap. lxi.) quod Episcopus cum pluribus Missarum solemnia peragat. In Missis tamen privatis sufficit unum habere ministrum, qui gerit personam totius populi catholici, ex cuius persona sacerdoti pluraliter respondet.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses *Secturiorum* dicentium; Cæremonias nullas debere esse in Ecclesia. Et *Antidiaphoristarum* dicentium; Cæremonias antiquas nullas debere esse in Ecclesia. Per ly antiquas non intelligunt veteris legis, sed novæ, a primis tamen seculis hujus legis observatas. *Antidiaphoriste* siquidem sunt ex rigidiorum *Confessionistarum* nostri seculi factione, qui impugnant Ecclesiam in prædicta positione, quam tamen non impugnant tunc, cum Ecclesia nullas veteris legis, ut veteris, observet cæremonias. Voluerunt ergo & hi *Antidiaphoriste* per illud suum dictum esse *Novatores*, idest primitivæ Ecclesiæ cæremoniarum damnatores. Et, quoniam illæ, quæ nunc fiunt ab Ecclesia in Missarum celebratione, a primoribus nostris Patribus, quia & ab Apostolis (ut videre est supra ex articulo. 4. append.) traxerunt originem: ideo dicuntur antiquæ, & pro tanto articulum præsentem Divi Thomæ militare contra *Antidiaphoristarum* insanam positionem, asseruimus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari a Concilio Tridentino, sess. 22. cap. quinto. *Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet, quedam summissa voce, alia vero clariore in Missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thy-*
Summ. S. Th. T. XII.

miamata, vestes, aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina, & traditione, quo & majestas tanti sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum, que in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur. Hæc ibi. Et canone septimo. *Si quis dixerit: cæremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit.* Et canone nono. *Si quis dixerit: Ecclesiæ Romanæ ritum, quo summissa voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur, aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo, quod sit contra Christi institutionem: anathema sit.* Hæc ibi. Item damnari a dictis in *secunda secunde articulorum numer. 432. 500. 614. 663. cum Elucidatione.* Item a scripturis in figura, ut patet per *Veritates aureas* super totam legem veterem, *Numerorum 18. conclusi. 2. & capit. 4. conclusi. 1. & capit. 10. conclusi. 2. & capit. 18. conclusi. 2. item Exod. 25. conclusi. 4.* Ibi etiam de cultu externo multa reperies contra indoctos, & instabiles, 2. *Per. 3.* quæ ad hunc locum (secundum quod solerti ingenio prudens lector suaviter applicabit) magnam partem utilitatis conferunt. Quocirca etiam in eisdem *Veritatibus aureis* vide *Exod. 26. conclusi. 1. & capit. 38. conclusi. 1. & capit. 39. conclusi. 1.* item *Levis. 26. concl. 1.* Quia vero de cæremoniis Ecclesiasticis in Missa, earumque convenientia, dignitate, ac utilitate & articulus, & superiora meminerunt, ideo ad plenioram notitiam talium cæremoniarum, convenientiæ suæ, dignitatis, excellentiæ, atque utilitatis (quod maxime ad articulum præsentem elucidandum faciet) vide libellum nostrum: cuius titulus Latinus est: *Sacerdos in æternum, & immediate vulgaris, Cærimonie della messa.* Cuius tituli duplicis ratio tibi in frontispicio reddita gravissimus erit testis notitiæ plenioris rerum earum, quas illinc habendas a te nunc ipsi promissimus. *Tertio* vides: quomodo &c.

ARTICULUS VI. 509

Utrum possit sufficienter occurrere defectibus circa celebrationem hujus sacramenti occurrentibus, statuta Ecclesie observando.

IV. dist. XIII. in exposi. lit.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod non possit sufficienter occurrere defectibus qui circa celebrationem hujus sacramenti occurrunt, statuta Ecclesie observando. Contingit enim quandoque quod sacerdos ante consecrationem, vel post moritur, vel alienatur, vel aliqua alia infirmitate impeditur, ne sacramentum sumere possit, & Missam perficere. Ergo videtur quod non possit impleri statutum Ecclesie quo præcipitur quod sacerdos consecrans suo sacrificio communicet.

2. Præterea. Contingit quandoque quod sacerdos ante consecrationem, vel post recollit se aliquid comedisse, vel bibisse, vel etiam alicui peccato mortali subiacere, vel etiam excommunicationi, cujus prius memoriam non habebat. Necessè est ergo quod ille qui est in tali articulo constitutus, peccet mortaliter contra statutum Ecclesie faciens, sive sumat, sive non sumat. (1)

3. Præterea. Contingit quandoque quod in calicem musca, vel aranea, vel aliquod animal venenosum cadit post consecrationem; vel etiam cognoscit sacerdos calici venenum esse immixtum ab aliquo malevolo causa occidendi ipsum: in quo casu si sumat, videtur mortaliter peccare se occidendo, vel Deum tentando: similiter si non sumat, peccat contra statutum Ecclesie faciens. Ergo videtur esse perplexus, & subiectus necessitati peccandi: quod est inconveniens.

4. Præterea. Contingit quandoque quod per negligentiam ministri aut aqua non po-

nitur in calice, aut etiam nec vinum; & hoc sacerdos advertit. Ergo in hoc etiam casu videtur esse perplexus, sive sumat corpus sine sanguine, quasi imperfectum faciens sacrificium, sive non sumat nec corpus nec sanguinem.

5. Præterea. Contingit quandoque quod sacerdos non recollit se dixisse verba consecrationis, vel etiam alia quæ in celebratione hujus sacramenti dicuntur. Videtur ergo peccare in hoc casu, sive reiteret verba super eandem materiam, quæ forte jam dixerat, sive utatur pane, & vino non consecratis, quasi consecratis.

6. Præterea. Contingit quandoque propter frigus, quod sacerdoti dilabitur hostia in calicem, sive ante fractionem, sive post. In hoc ergo casu non poterit sacerdos ritum Ecclesie implere vel de ipsa fractione, vel etiam de hoc quod sola tertia pars mittatur in calicem.

7. Præterea. Contingit quandoque quod per negligentiam sacerdotis sanguis Christi effunditur, vel etiam quod sacerdos sacramentum sumptum vomit, aut etiam quod hostia consecrata tandem conservantur ut putrescant, vel etiam a muribus corrodantur, vel etiam qualitercumque perdantur; in quibus casibus non videtur posse huic sacramento debita reverentia exhiberi secundum Ecclesie statuta. Non videtur ergo quod his defectibus, seu periculis occurrere possit, salvis Ecclesie statutis.

Sed contra est quod sicut Deus, ita Ecclesia non præcipit aliquid impossibile.

Respondeo dicendum, quod periculis, seu defectibus circa hoc sacramentum contingentibus dupliciter potest occurrere; uno modo preveniendo, ne scilicet periculum accidat; alio modo subsequendo, ut scilicet id quod accidit, emendetur, vel adhibendo remedium, vel saltem per penitentiam eius, qui negligenter egit circa hoc sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod si sacerdos

(1) Nempe si sumat, contra statutum Concilii o-
rthodocæ generalis quod ex Regulis brevioribus Basilii
cap. 172. desumptum est, & cap. Timorem dist. 2.
de consecratione in Decretis refertur; ubi hæc Apo-
stoli verba urgentur, *Qui manducat & bibit indignè
judicium sibi manducat & bibit*; præter alia duo
capita quæ ibidem præcedunt & indignis Eucharisti-
am dari vel ab iisdem sumi vetant ex Isidoro lib.
1. de summo bono (sive sententiarum) cap. 24. &
ex Clemente Papa epist. 2. *Si non sumat*, contra
statutum Concilii duodecimi Toletani cap. 5. quod
in Decretis quoque ubi supra cap. *Relatum est*, ha-
betur ex professo, ubi dicitur *circum esse quod qui
sacrificantes edunt, rei sunt dominici Sacramenti:*

Unde immediate subiungitur: *Quicumque ergo Sacra-
dotum deinceps divino altario sacrificium oblaturus
accesserit, & se a comunione suspendit, ab ipsa
qua se indecenter privavit, gratiam comunione omnino
uno repulsum se noverit. Nam quale erit sacrificium
cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? Ergo
modis omnibus est tenendum ut quotiescumque sa-
crificans corpus & sanguinem Domini nostri Iesu
Christi in altario immolat, totius perceptionis corpo-
ris & sanguinis Christi participem se præbeat: Præ-
ter id quod jam supra expresse quæst. 82. art. 4. di-
ctum est, ut & de illo qui corpus tantum absque san-
guine sumit, qu. 80. art. 12.*

dos mortē, aut infirmitate gravi occupetur antē consecrationem corporis, & sanguinis Domini, non oportet ut per alium suppleatur. Si vero, incepta consecratione, hoc acciderit, puta consecrato corpore ante consecrationem sanguinis, vel etiam consecrato utroque, debet Missæ celebritas per alium expleri. Unde, ut habetur in decret. vii. quæst. i. (cap. Nihil,) in Toletano Concilio (VII. can. 11.) legitur. *Censuimus convenire ut cum a sacerdotibus Missarum tempore mysteria sacra consecrantur, si aegritudinis accidat cujuslibet eventus, quo ceptum nequeant explere mysterium, sit liberum Episcopo, vel presbytero alteri consecrationem exequi incepti officii. Non enim aliud competit ad supplementum initiatis mysteriis, (1) quam aut incipientis, aut subsequenti benedictio completa sacerdotis: quia nec perfecta videri possunt, nisi perfecto ordine compleantur. Cum enim simus omnes unum in Christo, nihil contrarium diversitas personarum formas, ubi efficaciam prosperitatis unitas fidei representat. Ne tamen quod naturæ languoris causa consuleretur, in presumptionis perniciem converteratur, nullus absque proveni-
tu patens molestia minister, vel sacerdos, cum ceperit, imperfecta officia presumat omnino relinquere. Si quis hoc temerarie presumpserit, (2) excommunicationis sententiam sustinebit.*

Ad secundum dicendum, quod ubi difficultas occurrit, semper est accipiendum illud quod habet minus de periculo (3). Maxime autem periculosum circa hoc sacramentum est, quod est contra perfectionem hujus sacramenti, quia hoc est immane sacrilegium; minus autem est illud quod pertinet ad qualitatem fumentis. Et ideo si sacerdos post consecrationem inceptam recorderetur se aliquid comedif-

se, vel bibisse, nihilominus debet perficere sacrificium, & fumere sacramentum: similiter si recorderetur se peccatum aliquid commisisse, debet poenitere cum proposito confitendi, & satisfaciendi; & sic non indigne, sed fructuose sumet sacramentum: & eadem ratio est, si meminerit se excommunicationi cuicumque subjacere: debet enim assumere propositum humiliter absolutionem petendi; & sic per invisibilem Pontificem Jesum Christum absolutionem consequetur quantum ad hunc actum, quod peragat divina mysteria. Si vero ante consecrationem alicujus prædictorum sit memor, tutius reputarem, maxime in casu manducationis, & excommunicationis, quod Missam inceptam desereret, nisi grave scandalum timeretur.

Ad tertium dicendum, quod si musca, vel aranea in calicem ante consecrationem ceciderit, aut etiam venenum deprehenderit esse immissum, debet effundi, & abluto calice, denuo aliud vinum poni consecrandum. Si vero aliquid horum post consecrationem acciderit, debet animal caute capi, & diligenter lavari, & comburi, & abluto cum cineribus in sacrarium mitti. Si vero venenum ibi esse deprehenderit immissum, nullo modo debet sumere, nec alii dare, ne calix vitæ vertatur in mortem; sed debet diligenter in aliquo vasculo ad hoc apto cum reliquiis conservari: & ne sacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum apponere in calicem, & denuo resumere a consecratione sanguinis, & sacrificium perficere.

Ad quartum dicendum, quod si sacerdos ante consecrationem sanguinis, & post consecrationem corporis percipiat aut vinum, aut

P p 2

aquam

(1) Sive inversis verbis, non aliud ad supplementum initiati mysteriis competit: Non supplementum initiatis mysteriis, sicut primo aspectu propter planam constructionem hujus loci videri possit.

(2) Id est statuta ista violare, non ut prius hic immutato Decreti textu, si quis hoc temerarie presumpserit.

(3) Juxta illud quod Extra de homicidio voluntario cap. Ad audientiam Clemens 3. dicit In dubiis semitam deligere debemus suaviorē: Ut & Innocentius 3. cap. Illud Extra de Clerico excommunicato In dubiis via suavior eligenda. Hinc de Hildesensii Episcopo qui citra licentiam Ecclesia sua relicta Herbipolensem Ecclesiam occupaverat & Pontificis iussu ab Episcopo Magdeburgensi excommunicatus fuerat, nec se tamen excommunicatum rite ac legitime credens, quia nec Episcopus ille ordinarius iudex erat, nec ante sententiam excommunicationis monitiones præmiserat, non crederat se peccare si sententia illa non obstante, divina officia solemniter etiam cele-

braret, præsertim vero cum sententia in eum lata per famam tantum ei constaret, sic decernit: *Licet non videatur in hoc omnino culpabilis existisse, quia tamen in dubiis via est suavior eligenda, est de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen se potius abstinere quam Sacramenta ecclesiastica perturbare: Illud autem quod sub spe veniæ, postquam se a nobis excommunicatum noverat, divina sibi fecit celebrari & fidelium communioni se ingressis, potius contra eum facere credimus, quam pro eo; cum sub fiducia poenitentia non debuerit deliquisse, & excommunicato non vitare multo magis quam non vitari periculosum existat: Non vitare siquidem excommunicatus, cum in eo sit (id est in eius potestate) sine delicto non potest; sed cum ex aliis pendeat (ut non vitetur vel vitetur) sine suo delicto potest non vitari: Ex qua posteriori appendice idem ac ex priori relinquatur, scilicet illud accipiendum semper esse quod est minus periculosum, &c.*

aquam non esse in calice, debet statim apponere, & consecrare. Si vero post consecrationis verba perceperit quod aqua desit, debet nihilominus procedere: quia impositio aquæ, ut supra dictum est (quæst. lxxiv. art. 7.) non est de necessitate sacramenti: debet tamen puniri ille ex cuius negligentia hoc contingit. Nullo autem modo debet aqua vino jam consecrato misceri: quia sequeretur corruptio sacramenti pro aliqua parte, ut supra dictum est (quæst. lxxvi. art. 8.) Si vero percipiat post verba consecrationis, quod vinum non fuerit positum in calice, si quidem hoc percipiat ante sumptionem corporis, debet, deposita aqua, si ibi fuerit, imponere vinum cum aqua, & resumere a verbis consecrationis sanguinis. Si vero hoc perceperit post sumptionem corporis, aliam hostiam apponere debet iterum consecrandam simul cum sanguine. Quod ideo dico, quia si diceret sola verba consecrationis sanguinis, non servaretur debitus ordo consecrandi: & sicut dicitur in prædicto cap. Toletani Concilii (cit. in resp. ad 1.) *perfecta videri non possunt sacrificia, nisi perfecto ordine compleantur.* Si vero inciperet a consecratione sanguinis, & repeteret omnia verba consequentia, non competet, nisi adesset hostia consecrata; cum in verbis illis occurrant quædam dicenda, & fienda non solum circa sanguinem, sed etiam circa corpus: & debet in fine iterum sumere hostiam consecratam, & sanguinem, non obstante etiam si prius sumplerit aquam quæ erat in calice: quia præceptam de perfectione, vel de perceptione huius sacramenti majoris est ponderis quam præceptum quod sacramentum a jejunis sumatur, ut supra dictum est (quæst. lxxx. art. 8.)

Ad quintum dicendum, quod licet sacerdos non recolat se dixisse aliqua eorum quæ dicere debuit, non tamen debet ex hoc mente perturbari: non enim qui multa dicit, recollit omnia quæ dixit: nisi forte aliquid in dicendo apprehenderit sub ratione jam dicti: sic enim aliquid efficitur memorabile. Unde si aliquis attentè cogitet illud quod dicit, non tamen cogitet se dicere illud, non multum postea recolit se dixisse, sic enim fit aliquid

objectum memoriæ, in quantum accipitur sub ratione præteriti, sicut dicitur in Lib. de memoria (1) Si tamen sacerdoti probabiliter constet se aliqua omisisse, si quidem non sunt de necessitate sacramenti, non existimo quod propter hoc debeat resumere, immutando ordinem sacrificii, sed debet ulterius procedere; si vero certificetur se omisisse aliquid eorum quæ sunt de necessitate sacramenti, scilicet formam consecrationis, cum forma consecrationis sit de necessitate sacramenti, sicut & materia, idem videtur faciendum, quod dictum est (in solut. præc.) in defectu materiæ, ut scilicet resumatur a forma consecrationis, & cetera per ordinem reiterentur, ne mutetur ordo sacrificii.

Ad sextum dicendum, quod fractio hostiæ consecratæ, & quod una sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum, sicut admixtio aquæ significat populum: & ideo horum prætermisso non facit imperfectionem sacrificii, ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem huius sacramenti.

Ad septimum dicendum, quod, sicut legitur de consecr. dist. 11. (cap. xxvii.) ex decreto (vi.) Pii I. Papæ si per negligentiam aliquid de sanguine stillaverit in tabulam quæ terre adheret, lingua lambetur, & tabula radetur. Si vero non fuerit tabula, terra radetur, & igni consumatur, & cinis intra altare condetur; & sacerdos quadraginta diebus pœniteat, Si autem super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pœniteat: si super linteam altaris, & ad aliud stilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat: si usque ad tertium, novem diebus pœniteat: si usque ad quartum, viginti diebus pœniteat; & linteamina quæ stilla tetigerit, tribus vicibus lavet minister, calice subtus posito; & aqua ablutionis sumatur, & juxta altare recondata. Posset etiam sumi in potum a ministro, nisi propter abominationem dimitteretur. Quidam autem ulterius partem illam linteaminum incidunt, & comburant, & cinerem in altari, vel sacrario reponunt. Subditur autem ibidem (cap. xxviii.) ex Pœnitentiâ Bedæ Presbyteri (2) Lib. de remediis peccator. cap. de ebrietate) *Si quis*

(1) Sic enim ibi cap. 1. *Nec futurum contingit meminisse, sed est opinabile ac sperabile per scientiam quàm aliqui divinativam dicunt: Neque presentis est memoria; sed solum sensus; hoc enim nec futurum nec factum cognoscimus, sed tantum presentis: Memoria autem facti est &c. Semper enim quilibet meminisse se dicit quod aut prius audivit aut intel-*

lexit aut sensit. Est igitur memoria nec sensus nec existimatio, sed alicujus horum aut habitus aut passio cum factum fuerit tempus: Ipsi autem nunc in ipso nunc non est memoria: Est enim presentis quidem sensus: futuri vero, spes; facti autem, memoria.

(2) Paulò aliter tamen quam hic & in Decretis textu

per ebrietatem, vel voracitatem, Eucharistiam vomuerit, quadraginta diebus pœniteat, si laicus est: clerici, vel monachi, seu diaconi, & presbyteri septuaginta diebus pœniteant; Episcopus nonaginta. Si autem infirmitatis causa vomuerint, septem diebus pœniteant. Et in eadem dist. (cap. xciv.) legitur ex Concilio Arelatensi (IV.) *Qui non bene custodierit sacrificium, & mus, vel aliquod animal illud comederit, quadraginta diebus pœniteat; qui autem perdidit illud in Ecclesia, aut pars ejus ceciderit, & non inventa fuerit, triginta diebus, pœniteat.* Et eadem pœnitentia videtur dignus sacerdos, per cujus negligentiam hostiæ consecratæ putrefiunt. Prædictis autem diebus debet pœnitens jejunare, & a communione cessare. Pensatis tamen conditionibus negotii, & personæ, potest minui, vel addi ad pœnitentiam prædictam. Hoc tamen observandum est, quod ubicumque species in integræ inveniuntur, sunt reverenter conservandæ, vel etiam sumendæ: quia manentibus speciebus, manet ibi corpus Christi, ut supra dictum est (quæst. lxxvii. art. 5.) Ea vero in quibus inveniuntur, si commode fieri potest, sunt comburenda, cinere in sacro recondito, sicut de rasura tabulæ dictum est (hic sup.)

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo; quomodo, per rationem ostendas, merito insinuatam esse a scripturis, quod, salvis Ecclesiæ statutis, potest sufficienter occurri defectibus inter Missarum celebrationem contingentibus. Hoc est. Quod Ecclesiæ statuta circa Missarum celebrationem sunt discretionis sale condita: & consequenter, quod non obligant ad impossibile, & consequenter quod potest occurri defectibus in celebratione Missarum accidentibus absque scrupulo transgressionis statutorum Ec-

clesiæ prædictorum. Sed & fieri debet secundum intentionem Ecclesiæ hoc ipsum, scilicet occurrere periculis, seu defectibus hujusmodi modo per articuli doctrinam declarato absque conscientia erronea, idest absque scrupulo contraveniendi illis statutis sic faciendis. Illud autem, quod in principio appendicis dictum est, insinuat a scripturis per hoc, quod de divina sapientia, & ex consequenti de Ecclesia, quæ spiritu divinæ sapientiæ specialiter gubernatur (ut patet in art. 3. & art. 5. arg. cons.) proportionaliter dicitur Proverb. 8. *Justi sunt omnes sermões mei: non est in eis pravum quid, neque perversum. Recti sunt intelligentibus, & equi invenientibus scientiam.* Hæc ibi. Ac si ex his in proposito, imo & in aliis similibus communiter, dicatur. Intelligentur bene statuta Ecclesiæ: & tunc, sicut secundum se justa sunt, & recta, & æqua: ita etiam secundum ipsos bene ea intelligentes erunt justa, & recta, & æqua. Intelligentur bene statuta Ecclesiæ: & tunc, sicut in eis secundum se non est pravum quid, neque perversum, ita etiam secundum ipsos bene ea intelligentes non erit in eis pravum quid, neque perversum. Dentur illi, qui inveniunt scientiam (ut D. Thomas semper veritatis Doctor, & amator) & tales in Ecclesiæ statutis videbunt id, quod eis secundum se ipsa inest, videlicet justitiam, rectitudinem, æquitatem, nihil prævi, nihil perversi. At si e contrario dentur & male intelligentes statuta Ecclesiæ, & non scientiam, sed insipientiam invenientes (ut sunt imprimis hæretici, vel etiam alii indocti) tunc hi statuta eadem, in sua semper secundum se sinceritate, quæ dicta est, permanentia incusare tentabunt, vel de injustitia, vel de obliquitate, vel de immiseriordia; aut certe ipsi de suo aliquid somniantur, seu confictum, pravi, sive perversi, statutis illis aliquando impingere non erubescunt. Ce-

textu apud Bedam de remediis peccatorum cap. de ebrietate tom. 8. *Si per ebrietatem vel per voracitatem vomuerit Eucharistiam quadraginta dies pœniteat: Clericus; Monachus, Diaconus, sexaginta: Presbyter septuaginta: Episcopus centum decem: Quavis & Ivo Carnonensis part. 2. cap. 55. referat solum ut hic in textu relinquimus. Quod autem subjungitur ex Concilio Arelatensi, nec ex quonam Arelatensi desumptum sit in Decretis notatur, citat Ivo parte 2. cap. 60 velut ex Concil. Arelatensi 3. cap. 6. ubi prædictis addit: *Perfundens aliquid super altare de calice quando offertur, sex dies pœniteat; aut si abundantias, septem dies pœniteat: Qui autem perfundit dum solemnitas Missæ celebra-**

tur quadraginta dies pœniteat: Si vero celebrata Missa Presbyter neglexerit accipere sacrificium humiliter 4. dies pœniteat: Et qui accipit sacrificium pollutus nocturno tempore, septem dies pœniteat: Qui negligentiam erga sacrificium fecerit ut in eo vermis consumptus sit & ad nihilum devenierit, tres quadragesimas cum pane & aqua pœniteat: Si integrum inventum fuerit, in eo vermis comburatur, & cinis sub altari recondatur, & qui neglexerit, quaternis diebus suam negligentiam solvat: Si cum amissione saporis decoloratur sacrificium, viginti dies explentur jejuniis: conglutinatum veto qui morsa- rit, septem dies pœniteat.

terum pro statutorum Ecclesie in presenti articulo adductorum, & glossatorum fundamento videndo, unde, scilicet, Doctor sanctus originem talis veri sensus illorum trahere potuerit: consule a simili eundem de Epicheia tractantem in 2. 2. q. 120. art. 1. 2. Quanto vero diligenti studio Ecclesie sancte statuta sint servanda (quod sepius docuit D. Thomas, maxime in 2. 2. q. 5. art. 3. & qu. 10. art. 12.) non pigeat audire, tamquam pro confirmatione supradictorum, illud, quod ad talem materiam pertinens protulit Concil. Caroli Imper. ut recitatur in decr. dist. 19. c. *In memoriam B. Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam Ecclesiam, & Apostolicam Sedem: ut qua nobis sacerdotalis mater est dignitatis Ecclesiasticae, esse debet magistra rationis. Quare observanda est cum mansuetudine humilitas: & licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponeretur jugum rament feramus, & pia devotione toleremus.* Hæc ibi. Secundo vides: quomodo &c.

Q U Æ S T I O LXXXIV.

De sacramento pœnitentiæ.

In decem articulos divisa.

Consequenter considerandum est de sacramento pœnitentiæ: circa quod primo considerandum est de ipsa pœnitentiâ; secundo de effectu ipsius; tertio de partibus ejus, quarto de suscipientibus hoc sacramentum; quinto de potestate ministrorum, quæ ad claves pertinet; sexto de solemnitate hujus sacramenti.

Circa primum duo consideranda sunt. Primo de pœnitentiâ, secundum quod est sacramentum. Secundo de pœnitentiâ, secundum quod est virtus.

Circa primum quærentur decem.

Primo, utrum pœnitentiâ sit sacramentum.

Secundo de propria materia ejus.

Tertio de forma ipsius.

Quarto, utrum impositio manus requiratur ad hoc sacramentum.

Quinto, utrum hoc sacramentum sit de necessitate.

Sexto de ordine ejus ad alia sacramenta.

Septimo de institutione ejus.

Octavo de duratione ipsius.

Novo de continuatione ejus.

Decimo, utrum possit iterari.

A R T I C U L U S I. 510

Utrum pœnitentiâ sit sacramentum.

IV. dist. XIV. quæst. 1. art. 1. quæst. 1. & dist. XXII. quæst. III. art. 3. quæst. 2. cor.

AD primum sic proceditur. Videtur quod pœnitentiâ non sit sacramentum. Gregorius enim dicit & habetur in Decret. 1. (1) quæst. 1. (cap. *Multi secularium*): *Sacramenta sunt baptisimus, chrismâ, corpus, & sanguis Christi: quæ ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum divina virtus secretius (*) operatur salutem.* Sed hoc non contingit in pœnitentiâ: quia non adhibentur aliquæ corporales res, sub quibus divina virtus operetur salutem. Ergo pœnitentiâ non est sacramentum.

2. Præterea. Sacramenta Ecclesie a ministris Christi exhibentur, secundum illud I. Cor. IV. 1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Sed pœnitentiâ non exhibetur a ministris Christi, sed interius a Deo hominibus inspiratur, secundum illud Hierem. XXXI. 19. *Postquam convertisti me, egi pœnitentiâ.* Ergo videtur quod pœnitentiâ non sit sacramentum.

3. Præterea. In sacramentis de quibus jam supra diximus, est aliquid quod est sacramentum tantum, aliquid quod est res, & Sacramentum; aliquid vero quod est res tantum, ut ex præmissis patet (quæst. LXVI. art. 1.) Sed hoc non invenitur in pœnitentiâ. Ergo pœnitentiâ non est sacramentum.

Sed contra est quod sicut baptisimus adhibetur ad purificandum a peccato, ita & pœnitentiâ: unde & Petrus dixit Simoni Act. VIII. 22. *Pœnitentiâ age ab hac nequitia tua* (2). Sed baptisimus est sacramentum, ut supra

(1) Supple *causa*, cap. *Multi*: quod est prænotetur ex Gregorio, quia quædam in eo sententiæ inde sumptæ sunt; appendix tamen hic notata quæ §. *Sacramentum* ibi habetur, non occurrit in scriptis Gregorii, sed potius Isidori ex quo & ad marginem in moderna Editione Decretorum restituitur lib. 6. etymol. vel originum c. 19. sive tit. de officiis in dictione *Sacramentum*, ut & jam lib. 4. Sent. dist.

1. notavimus cum Sacramenti definitio expensa est. (*) Ita cum *cod. Alcan. & Camer. edit. passim. Al. additur* in eis.

(2) Ubi etiam addit *Es roga Deum si forte venisator tibi hæc cogitatio cordis tui*: Quia nempe donum Dei existimavit pecunia possideri, ut præmittitur vers. 20. cum potestatem dandi Spiritum emere ab Apostolis voluit vers. 19.

supra habitum est (quæst. lxxvi. art. 1.) Ergo pari ratione & pœnitentia.

Respondeo dicendum, quod, sicut Gregorius dicit (1) in cap. supra dicto (in arg. 1.) *sacramentum est in aliqua celebratione, cum res gesta ita sit ut aliquid significative accipiamus, quod sancte accipiendum est.*

Manifestum est autem quod in pœnitentia ita res gesta sit quod aliquid sanctum significatur tam ex parte peccatoris pœnitentis, quam ex parte sacerdotis absolventis: nam peccator pœnitens per ea quæ facit, & dicit, ostendit cor suum a peccato recessisse: similiter etiam sacerdos per ea quæ agit, & dicit circa pœnitentem, significat opus Dei remittentis peccata. Unde manifestum est quod pœnitentia quæ in Ecclesia agitur, est sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod nomine corporalium rerum intelliguntur large etiam ipsi exteriores actus sensibiles; qui ita se habent in hoc sacramento, sicut aqua in baptismo, vel chrisma in confirmatione. Est autem attendendum, quod in illis sacramentis in quibus confertur excellens gratia, quæ superabundat omnem facultatem humani actus, adhibetur aliqua corporalis materia exterius; sicut in baptismo, ubi fit plena remissio peccatorum & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam; & in confirmatione, ubi datur plenitudo Spiritus sancti; & in ex-

trema unctione, ubi confertur perfecta sanitas spiritualis quæ provenit ex virtute Christi, quasi ex quodam extrinseco principio. Unde si qui actus humani sunt in talibus sacramentis, non sunt de essentia sacramentorum, sed dispositive se habent ad sacramenta. In illis autem sacramentis quæ habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sensibiles sunt loco materiæ; ut accidit in pœnitentia, & matrimonio: sicut etiam in medicinis corporalibus quædam sunt res exterius adhibitæ, sicut emplastra, & electuaria; quædam vero sunt actus sanandorum, puta exercitationes quædam.

Ad secundum dicendum, quod in sacramentis quæ habent corporalem materiam, oportet quod illa materia adhibeatur a ministro Ecclesiæ, qui gerit personam Christi, in signum quod excellentia virtutis in sacramento operantis est a Christo. In sacramento autem pœnitentiæ, sicut dictum est (in solut. præc.) sunt actus humani pro materia, qui proveniunt ex inspiratione interna: unde materia non adhibetur a ministro, sed a Deo interius operante; sed complementum sacramenti exhibet minister, dum pœnitentem absolvit.

Ad tertium dicendum, quod etiam in pœnitentia est aliquid quod est sacramentum tantum, scilicet actus exterius exercitus tam per peccatorem pœnitentem, quam etiam per sacer-

(1) Puta cap. *Mulsi*: etsi non Gregorius quoad hanc partem sed Isidorus, ut jam notatum paulo supra: Quod Isidorus ex Augustino sumpsit qui epist. 119. paulo post initium eadem plane dicit: nisi quod pro his verbis, *cum res gesta ita sit*, planius habet *cum rei gestæ ita rememoratio fit*, &c. Inde porro, ut & ex Isidori ac ex Decreti novi textu, restituimus ac emendamus quod hic prius & in veteri Editione Decretorum corrupte legebatur, *significative accipiamus* &c. Pœnitentiam autem esse proprie Sacramentum ex ipsa Patrum tum Græcorum tum Latinorum traditione colligitur: Sic enim Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio, *non solum Sacerdotes cum regenerant, sed etiam postea, condonandorum peccatorum obtinent potestatem*, quasi pœnitentiam cum baptismo consequens qui proprie Sacramentum est. Sic Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joannem cap. 56. (vel in moderna Editione cap. 22. & 23. versus finem) *Duobus modis Dei Spiritu pleni vel afflati homines peccata remittunt ac rosinent, vel cum dignis admittunt ad baptismum ac indignos excludunt; vel cum filios Ecclesiæ peccantes corripunt, ac pœnitentibus ignoscunt*, &c. Sic Basilius in Regulis fufius disputatis interrogat. 288. *Necessario iis aperiri peccata debent quibus est credita dispensatio mysteriorum Dei: Hanc enim rationem & in pœnitentia sequuntur veteres*, &c. Sic Victor Cartennensis lib. de

pœnitentia cap. 20. *Dominum audi quibus jaculis in Evangelio feriat peccatorem, ut intelligas quanti faciat pœnitentia Sacramentum*: Sic Ambrosius lib. 1. de pœnitentia cap. 7. *Non interest utrum per pœnitentiam an per lavacrum hoc jus (remittendi peccata) sibi datum vindicent Sacerdotes: Idem in utroque mysterio est*, &c. Sic Augustin. ad Honoratum epist. 180. *Non cogitamus quantum in Ecclesia fieri solet ab utroque sexu concursus? aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis pœnitentia ipsius actionem, omnibus consolationem & Sacramentorum erogationem*, &c. Et lib. 5. de baptismo cap. 20. *Si ad hoc valet quod in Evangelio dictum est (peccatores non exaudiri Joan. 9.) ut per peccatorem sacramenta non celebrantur, quomodo exaudivis homicidam deprecantem super capitis eorum quibus manus imponis? hoc est quos per pœnitentiam reconciliat, ut ex eodem libro cap. 23. patet. Hinc & in Psalm. 146. *Quæ sunt alligamenta*, inquit, quibus alligat contritiones contritorum corde? Temporalia Sacramenta: Sed expressius illud ipsum in Concilio Tridentino definitum est sess. 14. can. 1. qui sic habet: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere ac proprie Sacramentum, pro fidelibus Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum, anathema sit*, &c.*

cerdotem absolventem; res autem, & sacramentum est pœnitentia interior peccatoris; res autem tantum, & non sacramentum est remissio peccati: quorum primum totum simul sumptum est causa secundi; primum autem, & secundum sunt quodammodo causa terti.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum a Conciliis, quod Pœnitentia, quæ in Ecclesia agit, est sacramentum. Ut a Concil. Flor. in decreto, seu constitut. super unio. Armen. *Quartum sacramentum est Pœnitentia.* Hæc ibi. Item a Conc. Trid. *sess. 7. de sacramentis, cano. 1.* Vide hoc supra q. 65. a. 1. *append.* Item ab eod. *sess. 14. c. 1.* " Si ea
" in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum
" esset, ut iustitiam in Baptismo, ipsius
" beneficio, & gratia susceptam constanter
" tuerentur; non fuisset opus, aliud ab ipso
" Baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem
" esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in
" misericordia, cognovit signum nostrum; illis etiam
" vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati
" servitute, & dæmonis potestatem tradidissent,
" sacramentum videlicet Pœnitentiæ: quo lapsis post
" Baptismum beneficium mortis Christi applicatur. *Hæc ibi. Et cano. 1.*
" Si quis dixerit, in catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere,
" & proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum
" in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro
" institutum; anathema sit. *Et cano. 2.* Si quis sacramenta confundens
" ipsum Baptismum Pœnitentiæ sacramentum esse dixerit: quasi hæc duo
" sacramenta distincta non sint; atque ideo Pœnitentiam non recte
" secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit. *Hæc ibi. Secundo*
" vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 511

Utrum peccata sint propria materia hujus sacramenti.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod peccata non sint propria materia hujus sacramenti. Materia enim in aliis sacramentis per aliqua verba prolata sanctificatur, & sanctificata effectum sacramenti operatur. Pec-

cata autem non possunt sanctificari, eo quod contrariantur effectui sacramenti, qui est gratia remittens peccata. Ergo peccata non sunt materia propria hujus sacramenti.

2. Præterea. Augustinus dicit in Lib. de pœnitentia (sc. hom. xxvii. inter l. cap. 1. parum a princ.) *Nullus potest inchoare novam vitam, nisi cum veteris vite pœniteat.* Sed ad vetustatem vitæ pertinent non solum peccata, sed etiam pœnalitates præsentis vitæ. Non ergo peccata sunt propria materia pœnitentiæ.

3. Præterea. Peccatorum quoddam est originale, quoddam mortale, quoddam veniale. Sed pœnitentiæ sacramentum non ordinatur contra originale peccatum, quod tollitur per baptismum; neque contra peccatum mortale, quod tollitur per confessionem peccatoris; nec etiam contra veniale, quod tollitur perunctionem pectoris, & per aquam benedictam, & alia hujusmodi. Ergo peccata non sunt propria materia pœnitentiæ.

Sed contra est quod Apostolus dicit II. Cor. xii. 21. *Non egerunt pœnitentiam super immunditiis, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt.*

Respondeo dicendum, quod duplex est materia, scilicet proxima, & remota; sicut statuz proxima materia est metallum, remota vero aqua.

Dictum est autem (art. præc. ad 1. & 2.) quod materia proxima hujus sacramenti sunt actus pœnitentis: cujus materia sunt peccata, de quibus dolet, & quæ confitetur, & pro quibus satisfacit. Unde relinquitur quod remota materia pœnitentiæ sint peccata, non acceptanda, sed detestanda, & destruenda.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de proxima materia sacramenti.

Ad secundum dicendum, quod verus, & mortalis vita est objectum pœnitentiæ, non ratione pœnæ, sed ratione culpæ annexæ.

Ad tertium dicendum, quod pœnitentia quodammodo est de quolibet peccatorum genere, non tamen eodem modo. Nam de peccato actuali mortali est pœnitentia proprie, & principaliter: proprie quidem, quia proprie dicimur pœnitere de his quæ nostra voluntate commisimus; principaliter autem, quia ad deletionem peccati mortalis hoc sacramentum est principaliter institutum. De peccatis autem venialibus est quidem pœnitentia proprie, inquantum sunt nostra voluntate facta; non tamen contra hæc principaliter est hoc sacramentum institutum. De peccato vero originali pœnitentia nec principaliter

cialiter est (quia contra ipsum non ordinatur hoc sacramentum , sed magis baptisimus nec etiam proprie , quia peccatum originale non est nostra voluntate peractum : nisi forte inquantum voluntas Adæ reputatur nostra , secundum modum loquendi quo Apostolus dicit Rom. v. 12. *In quo omnes peccaverunt* . Inquantum tamen large accipitur pœnitentia pro quacumque detestatione rei præteritæ , potest dici pœnitentia de peccato originali , sicut loquitur Augustinus in Lib. de pœnitentia (alius Author de vera & falsa pœnit. cap. VIII.)

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo per rationem destruas errorem *Lutheri* dicentis , ut refertur in Bulla Papæ Leonis X. contra errores illius . Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia . Cum enim articulus Sancti Doctoris hic efficaciter probet , quod peccata etiam venialia sunt proprie materia pœnitentiæ ; patet , quod per hoc efficaciter demonstrat , quod rationi congruum est , coniteri venialia . Vide dicta Elucidationum in d. tertium . Addebat autem idem *Lutherus* , amquam pro fundamento prædicti erroris , alium errorem , dicens : *Dum volumus confiteri pure omnia peccata ; nihil aliud facimus , quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum* . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , errorem illum merito damnari a Papa Leone in eadem Bulla mul cum ejus fundamento erroneo . Item a onc. *Trid.* sess. 14. c. 5. „ Venialia quibus a gratia Dei non excludimur , & in quæ frequentius labimur , quamquam recte , & utiliter , citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur ; quod piorum hominum usus demonstrat : taceri tamen citra culpam , multisque aliis remediis expiari possunt . „ Hæc ibi . Ex quibus patet , quod etiam piorum hominum usus otidie errorem illum , facto suo , conminat : id , quod est etiam valde pondendum ; cum ii , qui filii Dei sunt , Spiritu Dei agantur , Roma . 8. Item ab eodem oc. sess. ead. can. 7. “ Si quis dixerit , eos , qui omnia peccata confiteri student , nihil elinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum ; aut non licere confiteri peccata venialia ; anathema sit . „ Hæc ibi . Vide scopum Rossensem in lib. Assertionis *Luthæ* confusatio , loquentem optime , satisfabunde contra articulum octavum , qui Summ. S. Tb. Tom. XII.

est primus errorum illorum , & contra *Lutheri* artic. 9. qui est secundus eorumdem . Utrumque vero eorum , si profunde , a quo dicatur , utpote a versipelle , & vafritie pleno , consideraveris , conspicias , illo demum subtiliter tendere , ut paulatim , & quasi insensibiliter a timore Dei , tamquam pallio misericordiæ ipsius dealbati , tandem aliquando omnino evacuemur . Mos enim hæreticorum , quem præterire *Lutheri* delicata conscientia pro grandi scrupulo habere solet , est is , de quo Tertullianus in lib. de proscrip. hæretic. ait. *Hæretici negant Deum iimendum , atque ita libera sunt eis omnia , & soluta* . Hæc ille . Quid autem est hoc , prudens lector ; nisi radix totius ruinae spiritualis , & via aperta ad omnem mahtiam ? Contemplare tu in practica illius sententiæ verificationem circa multitudinem hæresum passim occurrentium . Tertio habes : quomodo per rationem & ostendas , & recte intelligas , merito esse insinuatam a conciliis quod materia pœnitentiæ sunt actus pœnitentis . A *Flor.* , quidem , in decr. super unio . Armenor. „ Quartum sacramentum est pœnitentia , cujus quasi materia sunt actus pœnitentis , qui in tres distinguuntur partes ; Quarum prima est ordis contritio ; ad quam pertinet , ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero . Secunda est oris confessio ; ad quam pertinet , ut peccator peccata omnia , quorum memoria habet , suo sacerdoti confiteatur integraliter . Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium confessionis , quæ quidem præcipue fit per orationem , jejunium , elemosynam . Hæc ibi . A *Trid.* autem sess. 14. cap. 3. sunt autem quasi materia hujus sacramenti ipsius pœnitentis actus ; nempe contritio , confessio , & satisfactio . Qui , quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti , ad plenamque , & perfectam peccatorum remissionem , ex Dei institutione requiruntur : hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur . Hæc ibi , Et c. 4. Si quis negaverit : ad integram , & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente , quasi materiam sacramenti pœnitentiæ , videlicet contritionem , confessionem , & satisfactionem ; quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur ; anathema sit . Hæc ibi . Quarto vides : quomodo ex articulo , & conciliis prædictis damnetur hæresis *Lutheri* , ut refertur in Bulla Leonis supradicta : per quam & damnatur , dicentis : Tres esse partes pœnitentiæ , contritionem , confessionem , & satisfactionem , non est fun-

Q q datum

datum in sacra scriptura: nec in antiquis sanctis Christianis doctoribus. Per hanc enim phrasim *Lutherus* negat, tres illas esse partes pœnitentiæ. Vide *Roffensem* lib. ubi supra contra *Luth. art. 5. Quinto* vides: quomodo &c.

ARTICULUS III. 512

Utrum hæc sit forma hujus sacramenti Ego te absolvo.

IV. dist. XXII. quæst. II. art. 2. quæst. 2. & 3. & op. XXII.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod hæc non sit forma hujus sacramenti, Ego te absolvo. Formæ enim sacramentorum ex institutione Christi, & Ecclesiæ usu habentur. Sed Christus non legitur hanc formam instituisse, neque etiam in communi usu habetur; quinimo in quibusdam absolutionibus quæ in Ecclesia publice fiunt, sicut in Prima, & Completorio, & in Cœnâ Domini, (1) absolvens non utitur oratione indicativa, ut dicat, *Ego te absolvo*, sed oratione deprecativa, cum dicit, *Miserere vestri omnipotens Deus, vel Absolutionem, & remissionem tribuat vobis omnipotens Deus*. Ergo hæc non est forma hujus sacramenti, Ego te absolvo.

2. Præterea. Leo Papa dicit (2) quod indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequit obtineri. Loquitur autem de indulgentia Dei quæ præstatur pœnitentibus. Ergo forma hujus sacramenti debet esse per modum deprecationis.

3. Præterea: Idem est absolvere a peccato, quod peccatum remittere. Sed solus De-

us peccatum remittit, qui etiam solus interiorius hominem a peccato mundat, ut Augustinus dicit super Joan. (3) Ergo videtur quod solus Deus a peccato absolvat. Non ergo debet sacerdos dicere, *Ego te absolvo*, sicut non dicit, *Ego tibi peccata remitto*.

4. Præterea. Sicut Dominus dedit potestatem discipulis absolvendi a peccatis ita etiam dedit eis potestatem curandi infirmitates, & ut dæmonia eicerent, & ut linguas sanarent, ut habetur Matth. x. & Luc. ix. Sed sanando infirmos Apostoli non utebantur his verbis, *Ego te sano*, sed, *Sanctus te Dominus Jesus Christus*, sicut Petrus dixit paralytico, ut habetur Act. ix. 34. Ergo videtur quod sacerdotes habentes potestatem Apostolis a Christo traditam non debeant uti hac forma verborum, *Ego te absolvo*, sed, *Absolutionem tribuat tibi Christus*.

5. Præterea. Quidam hæc forma utentes sic eam exponunt, *Ego te absolvo*, id est *absolutum ostendo*. Sed nec hoc etiam sacerdos facere potest, nisi ei divinitus reveletur: unde, ut legitur Matth. xvi. 19. antequam Petro diceretur, *Quodcumque solveris super terram &c.* dictum est ei: *Beatus es Simon Bariona: quia cævo, & sanguis non revelabit tibi, sed Pater meus qui est in cælis*. Ergo videtur quod sacerdos, cui non est facta revelatio, præsumptuose dicat, *Ego te absolvo*, etiam si exporator, id est *absolutum ostendo*.

Sed contra est quod sicut Dominus dixit discipulis Matth. ult. 19. *Euntes docete omnes gentes; baptizantes eos &c.* ita dixit Petro Matth. xvi. 19. *Quodcumque solveris super terram &c.* Sed sacerdos autoritate illarum verborum Christi fretus dicit, *Ego te baptizo*. Ergo eadem autoritate dicere debet in hoc sacramento, *Ego te absolvo*. (4)

Rel.

(1) Sive feria 5. hebdomadæ sanctæ in qua cœnæ Domini commemoratio fit, & *Absolutæ* seu *absolutionis* dies appellatur.

(2) Ut cap. *Multiplex* in Decretis refertur distinct. 1. de pœnitentia ex epist. 89. quæ Theodoro inscribitur vel 91. sicut notatur in modernis; ubi plenus quam hic paulo post initium habetur.

3. Partim Tract. 4. super illud Joan. 1. vers. 29. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, ubi ait: *Nemo sibi arrogat quia ipse auferat peccata: Solus ille agnus qui non assumpsit de massa nostra peccatum, ipse est qui tollit nostrum peccatum*; Partim Tract. 33. super illud ex Joan. 8. *Vos de mundo hæc estis*, ubi ait: *Si delectat te mundus, semper vis esse immundus: Si autem iam te non delectat hic mundus, tu es mundus: Verumtamen si per aliquam infirmitatem adhuc te delectat mundus, habites in*

te qui mundat: & eris mundus; Ut & de peccatorum meritis & remissione lib. 1. cap. 26. indeque in Decretis dist. 4. de consecrat. cap. *Nemo*.

(4) Hinc ipse S. Thomas opusc. 22. c. 1. *Pars ex dictis Salvatoris quod habens claves absolvit: Presumptuosum ergo est ne dicam erroneum, ut sacerdos dicere non possit, Ego absolvo te, quem Dominus absolvere constituitur*. Ac deinde id exemplo baptismi probat, ut hic: Tum paulo inferius: *Ad hoc etiam est communis consuetudo tolli formam utriumque cui aliquem contrariari non parva presumptio est*: Et in exemplum addert quod Apostolus ait 2. ad Corinth. 2. *se donasse peccatum in persona Christi*: quasi dicat secundum Glossam *se absolvisse a peccato*: Et mox: *Non est etiam parva auctoritas ejus quod in Ecclesia cantatur*. Jam bene Pastor

Respondeo dicendum, quod in qualibet re perfectio attribuitur formæ. Dicitur est autem supra (art. 1. hu. quæst. ad 2.) quod hoc sacramentum perficitur per ea quæ sunt ex parte sacerdotis. Unde oportet quod ea

quæ sunt ex parte pœnitentis, siue sint verba, siue facta, sint quædam materia hujus sacramenti; ea vero quæ sunt ex parte sacerdotis, se habeant per modum formæ.

Cum autem sacramenta novæ legis efficiantur
 Q q 2 quod

Petre clemens accipe vota precantum, & peccati vincula resolve tibi potestate tradita: Potestas autem tradita Petro, est potestas clavium: Possit ergo habens claves dicere, Te absolvo: Nec hoc solum conveniunt dicere potest, sed & necessarium esse videtur; quia Sacramenta nova legis efficiunt id quod figurant, &c. Et rursum inferius: In Sacramento autem pœnitentie verba Scripturæ quæ maxime judicanda (vel spectanda) sunt, non faciunt mentionem de aliqua deprecatione sed magis ipsa verba indicativo utitur: Non enim dicit, Quæcumque petieris, sed solvenda, erunt soluta; sed quæcumque solveris, &c. Si ergo illa tantum dicuntur esse soluta quæ habentur claves solveris, qui autem potest aliquid esse solvendum, non solvit, miror quæ remiserit aliquis asserat esse solum quem habens claves non significat se solvere, sed solum rogat esse solvendum. Et cap. 2. Sicut autem temerarius est in asserendo, sic vaniloquus in probando, dum frivola quædam provocationibus inducit: Puta quamdam Possillam super summam Raymundi quæ in absolutione nullam verborum formam præscriptam esse dicit, sicut est in Baptismo & in Eucharistia: Ubi derivorium (inquit) in sanza te Possillam Summa pro austeritate adducere: Sed ne Possillatori fiat injuria dicamus quod alia ratio est de absolutione ab excommunicatione, quæ non est sacramentalis sed magis judicialis jurisdictionem consequens, & aliud de absolutione a peccatis, in Sacramento Pœnitentie quæ consequitur potestatem clavium, & est sacramentalis: In illa enim (nempe absolutione judiciali) verba efficaciam habent ab intentione dicentis; unde non refert quibuscumque verbis utatur, ad exprimendam suam intentionem: In Sacramento autem verba efficaciam habent ex institutione divina: Unde tenenda sunt verba determinata consonantia divine institutioni: Institutioni autem dicentis quodcumque solveris, &c. hæc verba conveniunt, Ego absolvo te, ac propterea tenenda sunt: Secundo ponit quod Magister qui sententiam impilavit, non posuit hanc formam, nec aliquem sanctorum ea legimus usum esse: Contra quod dicitur: Nihil est quod nec Magister formam posuit, nec legitur alia forma qua Sanctorum aliquis usus fuerit, icu nec etiam legitur quod aliquis hanc formam naverit; legitur autem quod ipse institutor Sacramentis dixit, Quodcumque solveris, quod est majus omni auctoritate: Inducit quoque sic sensisse quosdam antiquos & famulos Magistros, scilicet Magistrum Iusellum de Alciostoro & Magistrum Guilmum uondam Episcopum Parisiensem & Dominum Hugonem quondam Cardinalem: De quibus quod ita sensus non constat: Sed etsi sic senserunt, numquid eorum opinio præjudicare poterit verbis Domini dicitur Petro, quodcumque solveris, & Numquid etiam, si nunc viverent, præjudicare possent communi sententiæ Magistrorum Parisiensi regensium, qui contra-

vium sentiant; decernentes atque his verbis, Ego te absolvo, absolutionem non esse per solam deprecativam orationem? Præter alia quæ hic in textu proponuntur. Nec minus inania nuperus author ac frivola, qui multa in eam rem congerens magno & prolixo conatu nihil agit. Nimirum probat per Sacerdotum precem & supplicationem peccata solvi, quod nec abnuit S. Thomas, ut ad 2. patet: Sed am proinde sola Pœnitentie forma supplicatio? Non aliam necessariam probat quia veteres non expriment: Sed causa in promptu est cur non expriment; quia Sacramentorum formas mos erat occultari ne prodi viderentur, ut insinuat Innocentius primus epist. 3. Scholasticis quibusdam authoribus indicativam formam nostram vel ignotam fuisse urget vel non necessariam visam esse: Sed quid ad veritatem, si aliqui ab ea imprudenter, ut in actis quoque, aberrarunt? Miratur usum absolventi deprecationem quem antiquum appellat post receptam recentiorum sicut putat indicativam formam diu in Provincia viguisse, cum tamen Principibus illius gentis tam gratiosi fuerint (inquit) Dominicani: Sed unde ista tam lepida observatio? Quasi Dominicani explorarent ad aures Sacerdotum qua forma uterentur, vel soli essent formæ prædictæ assertores: Urget Græcorum ritum quos non aliter nisi deprecative absolvere contendit: Sed ne hoc ipsum repetamus quod ex Bessarione in eam sententiam de Confirmationis forma observatum est, alium certe ritum observat noster Goar ab illis frequentatum cum in Euchologio suo has eorum orationes ponit ad absolvendum designatas: Dominus noster Jesus Christus & Deus qui mundatum ligandis & solvendi peccata Discipulis tradidit, præterea (τρωπὴ) omnia peccata tua: Ego vero indignus ejus servus absolvo te ab omnibus peccatis tuis. (ἀπολυ εὐ ἀποκατὰν ἀμαρτιῶν) item: Dominus justus qui propter nos carnem assumpsit & universi orbis peccatum tollis, delicta tua deleas: Ego vero commendo tibi omnia peccata tua, &c. Quidni ex illo recens author hæc usurpavit, qui eum per aliam occasionem citat & refert? Addit etiam ex Mironi qui græce nesciebat, videri quod non esset inconveniens deprecative absolvere sicut & græci deprecative baptismum dant, cum dicunt Baptizetur: Sed hanc Maironis corruptelam potius corrigere quam in rem suam accommodare debuerat, cum Græci dicant Βαπτίζονται seu Baptizetur, ut in forma Baptismi notavimus. Exempla quoque urget quæ ad judicialem vel canonicam absolutionem pertinent: Sed pro sacramentali quid inferri potest? cum sit alia utriusque ratio, ut jam supra notavit S. Thomas. Annon inferre securius ex Concilio Tridentino poterat Sess. 14. indicativam formam esse profus hic usurpandam? Cum nempe docet sancta Synodus Sacramenti Pœnitentie formam in qua præcipue ipse vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse, Ego te absol-

quod figurant, ut supra dictum est (quæst. lxxi. art. 1. ad 1.) oportet quod forma sacramenti significet id quod in sacramento agitur proportionaliter materiæ sacramenti; Unde forma Baptismi est, *Ego te baptizo*; & forma confirmationis est, *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis*: eo quod huiusmodi sacramenta perficiuntur in usu materiæ: in sacramento autem Eucharistiæ, quod consistit in ipsa consecratione materiæ, exprimitur veritas consecrationis cum dicitur, *Hoc est corpus meum*.

Hoc autem sacramentum, scilicet pœnitentiæ, non consistit in consecratione alicujus materiæ, nec in usu alicujus materiæ sanctificatæ, sed magis in remotione cuiusdam materiæ, scilicet peccati, prout peccata dicuntur esse materia pœnitentiæ, ut ex supra dictis patet (art. præc.) Talis autem remotio significatur a sacerdote, cum dicitur, *Ego te absolvo*. Nam peccata sunt quædam vincula, secundum illud Proverb. v. 22. *Iniquitates sue capiunt impium: & funibus peccatorum suorum quisque constringitur*. Unde patet quod hæc est convenientissima forma huius sacramenti, *Ego te absolvo*.

Ad primum ergo dicendam, quod ista forma assumitur ex ipsis verbis Christi, quibus Petro dixit (Matth. xvi. 19.) *Quodcumque solveris super terram &c.* Et tali forma Ecclesia utitur in sacramentali absolutione. Huiusmodi autem absolutiones in publico factæ non sunt sacramentales, sed sunt orationes quædam ordinatæ ad remissionem venialium peccatorum. Unde in sacramentali absolutione non sufficeret dicere, *Misereatur tui omnipotens Deus, vel Absolutionem, & remissionem tribuat tibi Deus*; quia per hæc verba sacerdos absolutionem non significat fieri, sed petit ut fiat. Præmittitur tamen etiam in sacramentali absolutione talis oratio, ne impediatur effectus sacramenti ex parte pœnitentis, cuius actus materialiter quodammodo se habent in hoc sacramento, non autem in baptismo, vel in confirmatione.

Ad secundum dicendum, quod verbum Leonis est intelligendum quantum ad deprecationem, quæ præmittitur absolutioni; non autem removet quin sacerdotes absolvant.

Ad tertium dicendum, quod solus Deus per autoritatem & a peccato absolvit, & peccatum remittit; sacerdotes tamen utrumque faciunt per ministerium, in quantum scilicet verba sacerdotis in hoc sacramento instrumentaliter operantur in virtute divina, sicut etiam in aliis sacramentis. Nam virtus divina est quæ interius operatur in omnibus sacramentalibus signis, sive sint res, sive, verba sicut ex supradictis patet (quæst. lxxi. art. 4. & quæst. lxxiv. art. 1. & 2.) Unde & Dominus expressit utrumque: nam Matth. xvi. 19. dixit Petro: *Quodcumque solveris super terram &c.* & Joan. xx. 23: dixit discipulis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Ideo tamen sacerdos potius dicit, *Ego te absolvo*, quam *Ego tibi peccata remitto*, quia hoc magis congruit verbis quæ Dominus dixit, virtutem clavium ostendens, per quas sacerdotes absolvunt. Quia tamen sacerdos sicut minister absolvit, convenienter apponitur aliquid quod pertinet ad primam autoritatem Dei, scilicet ut dicatur: *Ego te absolvo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, vel per virtutem passionis Christi, vel autoritate Dei, sicut Dionysius exponit iii. cap. cœl. Hierarch. (a med. implic. & cap. vii. eccles. Hierar. vers. fi.) Quia tamen hoc non est determinatum ex verbis Christi, sicut in baptismo, talis appositio relinquatur arbitrio sacerdotis.

Ad quartum dicendum, quod Apollolis non est data potestas ut ipsi sanarent infirmos, sed ut ad eorum orationem infirmi sanarentur; est autem eis collata potestas operandi instrumentaliter, sive ministerialiter in sacramentis: & ideo magis possunt in formis sacramentalibus exprimere actum suum quam in sanationibus infirmitatum.

In quibus tamen non semper modo deprecativo utebantur, sed quandoque modo indicati-

absolvo &c. quibus quidem de Ecclesia sancta more preces quædam laudabiliter adiunguntur, ad ipsam tamen formam essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessaria: ut c. 3. videre est: Quippe cum eiusmodi absolutio sit ad instar iudicialis actus quem Sacerdos exercet, vel quo ab ipso vel a iudice sententia pronuntiatur, ut subiungitur cap. 6. ac definitur can. 9. Nec obstat illud ex Guillelmo Parisensi de Sacramento Pœnitenti-

tiæ cap. 19. quod non more iudicum forinsecorum pronuntiat Confessor, Absolvimus te, sed magis orationem facit super eum ut ei Deus absolutionem remissionem, & gratiam tribuat: Quidam enim sit sentis quod non autoritate absoluta ut forinsecus iudex qui simpliciter pronuntiat, sed precaria peccatorem absolvent Sacerdotes, proindeque a sui iudiciali exercendo supplicationem præmittunt? Et si quidquam aliud voluerit Guillelmus, jam superius expostum est.

cativo, & imperativo; sicut Act. 111. 6. legitur, quod Petrus dixit claudio: *Quod habeo, hoc tibi do: in nomine Jesu Christi Nazareni surge, & ambula.*

Ad quintum dicendum, quod ista expositio *Ego te absolvo*, idest *absolutum ostendo*, quantum ad aliquid quidem vera est; non tamen est perfecta. Sacramenta enim novæ legis non solum significant, sed etiam faciunt quod significant. Unde sicut sacerdos baptizando aliquem, ostendit hominem interius ablutum per verba, & facta, & non solum significative, sed etiam effective; ita etiam cum dicit, *Ego te absolvo*, ostendit hominem absolutum non solum significative, sed etiam effective. Nec tamen loquitur quasi de re incerta: quia sicut alia sacramenta novæ legis habent de se certum effectum ex virtute passionis Christi, licet possit impediri ex parte recipientis; ita etiam & in hoc sacramento. Unde Augustinus dicit in Lib. 11. de adult. conjug. (cap. 1x. in princ.) *Non est surpis, nec difficilis post peccata, & purgata adulteria reconciliatio conjugii: ubi per claves regni cælorum non dubitatur fieri remissio peccatorum.* Unde nec sacerdos indiget speciali revelatione sibi facta, sed sufficit generalis revelatio fidei, per quam remittuntur peccata. Unde revelatio fidei dicitur Petro facta fuisse. *Esset autem perfectior expositio, Ego te absolvo*, idest *sacramentum absolutionis tibi impendo.*

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, & Conciliis, quod sacramenti pœnitentiæ forma est hæc, scilicet, *Ego absolvo te.* A scripturis quidem per hoc, quod Dominus promittens claves regni cælorum Petro, & consequenter simul de usu ipsarum clavium loquens dicit Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram, &c.* ut cum discursu comparativo ad Matth. ult. ponitur in *argum. cont.* A Concilio autem Florentino in decreto super union. Armen. *Forma hujus sacramenti est. Ego te absolvo.* Hæc ibi. Item a Concil. Trident. sess. 14. cap. 6. „ Quamvis absolutio sacerdotis alieni beneficii sit „ dispensatio: tamen non est solum nudum „ ministerium, vel annunciandi Evangelium, „ vel declarandi, remissa esse peccata: sed „ ad instar actus judicialis, quo ab ipso, „ velur a iudice, sententia pronunciat. „ Hæc ibi. Et canon. 9. „ Si quis dixerit, „ Absolutionem sacramentalem sacerdotis non

esse actum judicalem; sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi, remissa esse peccata: contitenti; anathema sit. „ Hæc ibi. Quæ speciatim ad doctrinam responsionis ad quintum faciunt. Item a catechismo edito ex decr. Concilii Tridentini, & Pii V. Pont. Max. jussu: in, De sacramento pœnitentiæ. „ Hujus sacramenti forma est: „ Ego te absolvo. Quam non solum ex illis verbis licet colligere: Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo: sed ex eadem Christi Domini doctrina ab Apostolis tradita accepimus. Ac quoniam sacramenta id significant, quod efficiunt; illa: Ego te absolvo, ostendunt peccatorum remissionem hujus sacramenti administratione effici; planum est, hanc esse pœnitentiæ perfectam formam. „ Hæc ibi: . *Secundo vides: quomodo &c.*

A R T I C U L U S IV. 513

Utrum impositio manuum sacerdotis requiratur ad hoc sacramentum.

IV. cons. gen. cap. lxxi. & op. xxii. cap. 1v.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod absolutio manuum sacerdotis requiratur ad hoc sacramentum. Dicitur enim Marci ult. 18. *Super agros manus imponent, & bene habebunt.* Egri autem spiritualiter sunt peccatores, qui recipiunt bonam habitudinem per hoc sacramentum. Ergo in hoc sacramento est manus impositio facienda.

2. Præterea. In sacramento pœnitentiæ recuperat homo Spiritum sanctum amissum: unde ex persona pœnitentis dicitur in Psal. 1. 14. *Redde mihi letitiam salutis sui, & spiritu principali confirma me.* Sed Spiritus sanctus datur per impositionem manuum: legitur enim Act. viii. 17. quod *Apostoli imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum:* & Matth. xix. 19. dicitur quod *oblatus sunt Domino parvuli, ut eis manus imponeret.* Ergo in hoc sacramento est facienda manus impositio.

3. Præterea. Verba sacerdotis in hoc sacramento non sunt majoris efficacitæ quam in aliis sacramentis. Sed in aliis sacramentis non sufficiunt verba ministri, nisi aliquem actum exercent; sicut in baptismo simul, cum hoc quod sacerdos dicit, *Ego te baptizo*, requiritur corporalis ablutio. Ergo etiam simul cum hoc quod sacerdos dicit, *Ego te ab-*

so. vo.

solvo, oportet quod aliquem actum exercent circa penitentem, imponendo ei manus.

Sed contra est quod cum Dominus dixit Petro (Matth. xvi. 19.) *Quodcumque solveris super terram &c.* nullam mentionem de manus impositione fecit: neque etiam cum omnibus Apostolis simul dixit; *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (Joan. xx. 23.) Non ergo ad hoc sacramentum requiritur impositio manuum.

Respondeo dicendum, quod impositio manuum in sacramentis Ecclesie fit ad designandum aliquem copiosum gratie effectum, quo illi quibus manus imponuntur, quodammodo per quamdam similitudinem continuantur ministris, in quibus copia gratie esse debet. Et ideo manus impositio fit in sacramento confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus sancti; & in sacramento ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis in divinis mysteriis: unde & II. ad Timoth. 1. 7. dicitur: *Resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum carnis.*

Sacramentum autem penitentiae non ordinatur ad consequendam aliquam excellentiam gratie, sed ad remotionem peccatorum: & ideo ad hoc sacramentum non requiritur manuum impositio, sicut etiam nec ad baptismum, in quo tamen fit plenior remissio peccatorum. (*)

Ad primum ergo dicendum, quod illa manus impositio non est sacramentalis, sed ordinatur ad miracula perficienda, ut scilicet per contactum manus hominis sanctificati etiam corporalis infirmitas tollatur; sicut etiam legitur de Domino Marc. vi. 5. quod *infirmos manibus impositis curavit*: & Matth. viii. legitur, quod leprosum mundavit per contac-

tum. Ad secundum dicendum, quod non qualibet acceptio Spiritus sancti requirit manus impositionem, quia etiam in baptismo accipit homo Spiritum sanctum, nec tamen fit ibi manus impositio; sed acceptio Spiritus sancti cum plenitudine requirit manus impositionem, quod pertinet ad confirmationem.

Ad tertium dicendum, quod in sacramentis quæ perficiuntur in usu materie, minister habet aliquem actum corporalem exercere circa eum qui suscipit sacramentum, sicut in baptismo, & confirmatione, & extrema unctione; sed hoc sacramentum non consistit in usu alicuius materie exterius appositæ; sed loco materie se habent ea quæ sunt ex parte penitentis: unde sicut in Eucharistia sacerdos sola prolatione verborum super materiam perficit sacramentum, ita etiam sola verba sacerdotis absolventis super penitentem perficiunt absolutionis sacramentum. Et si aliquis actus corporalis esset ex parte sacerdotis necessarius, non minus compereret cruciagnatio, quæ adhibetur in Eucharistia, quam manus impositio, in signum quod per sanguinem crucis Christi remittuntur peccata; & tamen non est de necessitate huius sacramenti, sicut nec de necessitate Eucharistie.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, & Conciliis, quod non requiritur manuum impositio in sacramento penitentiae. A scripturis quidem per hoc, quod, *cum Dominus dixit Petro, &c.* ut in arg. contr. Pro cuius efficacis captu nota, quod, licet locus ab au-

(*) *Hæc D. Thomas. Sic autem profequitur in textu Nicolajus. Licet interdum sacramentum penitentiae (publicæ, vel privatæ) manus impositio apud veteres appelletur, vel per manuum impositionem designetur. Sic enim S. Clemens Lib. II. Constitutionum apostolicarum cap. xviii. de reconciliatione peccatoris agens: Eum qui luxit, inquit, cum ei manus imposueris, recipe, ac permitta in Ecclesia esse: ut & cap. xl. Cum ei manus imposueris, in antiqua pascha restitues. Sic Cyprianus Lib. de lapsis: Ante expiata delicta, ante exomologesim, idest confessionem, factam crimini, ante purgatam conscientiam sacrificio, & mana sacerdotis, pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus venditant &c. Sic Augustinus de baptis adversus Donatistas Lib. III. cap. xvi. Manus impositio, idest penitentia, vel reconciliatio, non sicut baptismus repeteri non potest: quid est enim aliud nisi oratio super hominem? Quasi dicat, baptismum quidem iterari non posse, posse autem penitentiam, vel reconciliationem iterari.*

Sic S. Leo epist. xcii. cap. xvii. eos qui eccis immolatiis usi sunt: *manus impositione purgari* ait. Sic Optatus Milevitanus Lib. II. *Dum manus imppnit, & delicta donatis &c.* Ut & in Concilio Carthaginensi IV. cap. lxxvi. *Si continuo creditur moriturus reconcilietur per manus impositionem &c.* & in Arauxicano cap. III. *Stent in ordine penitentium, ut ostentis necessariis penitentiae fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant.* Sed a caeremonia tantum exteriori, quæ nunc etiam in usu est, sacramentum penitentiae sic vocatur; non quod ad eius essentiam sive intrinsecam rationem caeremonia illa pertineat; sicut etiam sacramentum Eucharistie Tertullianus Lib. de pudicitia cap. xiv. *Sacramentum benedictionis* vocat, & *Eulogiam* eodem sensu Græci passim appellant, quia in eo conficiendo benedictio adhibetur exemplo Christi; quamvis ejus confectio vel consecratio essentialis non sit.

ab autoritate negative, simpliciter, idest, nullo alio addito, nihil efficaciz habeat, ut patet in logicalibus, tamen idem locus, si cum aliquo alio addito affirmativam auctoritatem importante accipiatur, validam efficaciam habet. Verbi gratia, in proposito. Dominus intendebat assignare omnia assignanda ad remissionem peccatorum ex parte sacerdotis (ut patet, ne, scil. esset diminutus in sua doctrina) quando dixit Petro Matth. 16. *Quodcumque solveris, &c. simulque omnibus Jo. 20. Quorum remisistis, &c.* At nullam alicubi mentionem de manuum impositione facit (ut patet Evangelii citata loca legenti.) Ergo ad sacramentum pœnitentiæ non requiritur manuum impositio. Ecce argumentum ab autoritate negative (quod ostendit minor) sumptum tamen cum aliquo addito affirmativam importante, quod ostendit major, & ideo est validum, & efficax, ut de se patet. Sic intellexit D. Tho. illud suum arg. cont. Nec obstat, quod non expresserit illam majorem; quoniam ipsa propositio, ut communis animi conceptio subintelligenda de necessitate præsupponebatur ibi. Quis enim non concipiat, quod Christus Dei sapientia, quando tractat ex professo aliquid, illud & intendit tractare, & tractat sufficienter, idest sine diminutione? Sufficiens ergo, secundum etiam communem animi conceptionem, tractavit Christus de requisitis ex parte absolventis ad remissionem peccatorum. Stante hoc addito affirmativam circa illam auctoritatem importante, & ideo faciente, quod ille non est locus ab autoritate pure negative (in quo sensu loquebantur Logici.) sed est ab autoritate æquivalente affirmative, constat omnibus manifeste, quod, si Christus in locis præmissis Evangelii nullam de impositione manuum fecit mentionem, non requiritur hic ipsa impositio. A Conciliis item similiter illud insinuat per hoc, quod, cum tractant de requisitis ad remissionem peccatorum ex parte absolventis, non faciunt mentionem de manuum impositione. Hoc patet legenti Concilium Florentinum, & Tridentinum. recitata verbatim supra art. 2. *append.* Constat vero, Florentinum intendisse de requisitis ad sacramenta pleniter ibi instruere Armenos ipsos, & idem intendisse ibi Concilium Tridentinum respectu quorumcumque, cum certum sit, neutrum ipsorum notam insufficientiæ, seu diminutionis (quam & natura suggerere docet.) incurrere voluisse, quod, si de loco ab autoritate negative quæstio moveatur pro infirmata insinuatione prædicta, quam

a Conciliis accepimus: tunc videantur præmissa circa scripturas de simili quæstione, & loquentia, & definitiva, & mox, ad propositum præfens ipsa applicando, per locum a simili plene satisfactum erit. *Secundo* vides: quomodo &c.

ARTICULUS V. 314

Utrum hoc sacramentum sit de necessitate salutis.

Sup. quæst. lxxv. art. 1. cor. & art. 2. ad 4. & art. 4. cor. & IV. dist. xiv. quæst. 1. art. 5. & in prin. exp. lit. & IV. cont. cap. xvii.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum non sit de necessitate salutis. Quia super illud Ps. cxxv. *Qui seminans in lacrymis &c.* dicit Glossa (interl. Aug.) „ Noli esse tristis, si adstet tibi bona voluntas, unde metitur pax. “ Sed tristitia est de ratione pœnitentiæ; secundum illud II. Cor. vii. 10. *Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiæ in salutem stabilem operatur.* Ergo bona voluntas sine pœnitentiâ sufficit ad salutem.

2. Præterea. Proverb. x. 12. dicitur: *Universa delicta operit caritas: & infra cap. xv. 27. Per misericordiam, & fidem purgantur peccata.* Sed hoc sacramentum non est nisi ad purgandum peccata. Ergo habendo caritatem, & fidem, & misericordiam, potest quisque salutem consequi etiam sine pœnitentiæ sacramento.

3. Præterea. Sacramenta Ecclesiæ initium habent ab institutione Christi. Sed, sicut legitur Joan. viii. Christus mulierem adulteram absolvit absque pœnitentiâ. Ergo videtur quod pœnitentiâ non sit de necessitate salutis.

Sed contra est quod Dominus dicit Luc. xiii. 3. *Si pœnitentiâ non habueritis, omnes simul peribitis.*

Respondetur dicendum, quod aliquid est necessarium ad salutem dupliciter: uno modo absolute; alio modo ex suppositione. Absolute quidem necessarium est ad salutem illud sine quo nullus salutem consequi potest, sicut gratia Christi, & sacramentum baptismi, per quod aliquis in Christo renascitur. Ex suppositione autem est necessarium sacramentum pœnitentiæ; quod quidem est necessarium non omnibus, sed peccato subjacentibus. Dicitur enim II. Paral. vii. (in ordi-

Manaf. ante Lib. III. Eldræ :) *Tu Domine Deus iustorum non posuisti poenitentiam iustis, Abraham, Isaac, & Jacob, & his qui tibi non peccaverunt. Peccatum autem, cum consummatum fuerit, generat mortem ut dicitur Jacobi 1. 15. Et ideo necessarium est ad salutem peccatoris quod peccatum removeatur ab eo : quod quidem non potest fieri sine poenitentiae sacramento, in quo operatur virtus passionis Christi per absolutionem sacerdotis simul cum opere poenitentis, qui cooperatur gratiæ ad destructionem peccati. Sicut enim dicit Augustinus super Joan. (implic. tract. lxxii. ante med. & expref. ferm. xv. de verb. Apost. cap. xi. cir. med.) qui creavit te sine te, non justificabis te sine te. Unde patet quod sacramentum poenitentiae est necessarium ad salutem post peccatum, sicut medicatio corporalis, postquam homo in morbum periculofum incidit.*

Ad primum ergo dicendum, quod Glossa illa videtur esse intelligenda de eo cui adest bona voluntas sine interpolatione quæ fit per peccatum: talis enim non habet tristitiæ causam: sed ex quo bona voluntas tollitur per peccatum, non potest restitui sine tristitia, qua quis dolet de peccato præterito; quod pertinet ad poenitentiam.

Ad secundum dicendum, quod ex quo aliquis peccatum incurrit, caritas, fides, & misericordia non liberant hominem a peccato sine poenitentia. Requirit enim caritas quod homo doleat de offensa in amicum commissa, & quod amico homo studeat satisfacere: requirit etiam ipsa fides ut per virtutem passionis Christi, quæ in sacramentis Ecclesiæ operatur, quærat justificari a peccatis: requirit etiam & ipsa misericordia ordinata ut homo subveniat poenitendo suæ miseræ, quam per peccatum incurrit, secundum illud Proverb. xiv. 34. *Miseros facit populos peccatum: unde Eccli. xxx. 24. dicitur: Misere anime tuæ, placens Deo.*

Ad tertium dicendum, quod ad potestatem excellentiæ, quam solus Christus habuit, ut supra dictum est (quæst. lxxv. art. 3.) pertinuit quod Christus effectum sacramenti poenitentiae, qui est remissio peccatorum, contulit mulieri adulteræ sine exterioris poenitentiae sacramento, licet non sine interiori poenitentia, quam ipse in ea per gratiam est operatus.

APPENDIX.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses Catharorum (ut refert Car. Turc. *De Ecclesia lib. 4. cap. 35.*) dicentium, quod non est poenitendum de peccatis. Item Petri de Olma (ut refertur in *Extrav. Sixti IV.*) dicentis; quod peccata mortalia, quoad culpam, & poenam alterius seculi delentur sola cordis contritione absque ordine ad claves, idest absque confessione etiam in voto habita. Item *Albanensium* dicentium: quod homo non potest, nec debet confiteri post commissum peccatum. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, eas cum similibus (quod semper, & ubique intelligitur. Quoniam, damnata una hæresi, omnes aliz similes, absque nova, & speciali damnatione, intelliguntur esse damnatæ) merito condemnari ab illa *Extravaganti Papæ Sixti IV.* Item a Concilio *Trid.* sessione decimaquarta, cap. secundo. *Est autem hoc sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.* Hæc ibi. Item a Conciliis, & multis aliis, ut patet in *quæst. 69. articul. 1. Elucidat. & in Addit. articul. numer. 1. 19. 20. 29. 59. 62. 108.* semper cum Elucidat. Quæ loca citata, cum adversus hæreses agatur, videas omnino. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS VI. 515

Utrum poenitentia sit secunda tabula post naufragium.

IV. dist. 11. quæst. 1. art. 3. ad 5. & dist. xiv. quæst. 1. art. 2. quæst. 4. & dist. xvi. quæst. 1v. art. 1. quæst. 1. ad 1.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod poenitentia non sit secunda tabula post naufragium. Quia super illud Isa. 111. *Peccatum suum quasi Sodoma predicaverunt, dicit Glossa (interl. Hieron.)* "Secunda tabula post naufragium est peccata abscondere." Poenitentia autem non abscondit peccata, sed magis ea revelat. Ergo poenitentia non est secunda tabula.

2. Præterea. Fundamentum in edificio non tenet secundum, sed primum locum. Poenitentia autem in spiritali edificio est fundamentum, secundum illud Hebr. vi. 1. *Non rursus jaciens fundamentum poenitentiae ab ope-*

ab operibus mortuis: unde & præcedit ipsum baptismum, secundum illud Act. 11. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Ergo pœnitentia non debet dici secunda tabula.

3. Præterea. Omnia sacramenta sunt quædam tabulæ, idest remedia contra peccatum. Sed pœnitentia non tenet secundum locum inter sacramenta, sed magis quartum, ut ex supradictis patet (quæst. lxxv. art. 1. & 2.) Ergo pœnitentia non debet dici secunda tabula post naufragium.

Sed contra est quod Hieronymus dicit (loc. cit.) quod *secunda tabula post naufragium est pœnitentia.*

Respondeo dicendum, quod id quod est per se, naturaliter prius est eo quod est per accidens, sicut & substantia prior est accidente. Sacramenta autem quædam per se ordinantur ad salutem hominis; sicut baptismus, qui est spiritualis generatio; & confirmatio, quæ est spirituale augmentum; & Eucharistia, quæ est spirituale nutrimentum: pœnitentia autem ordinatur ad salutem hominis quasi per accidens, supposito quodam scilicet ex suppositione peccati, nisi enim homo peccaret actualiter, pœnitentia non indigeret; indigeret tamen baptismo, & confirmatione, & Eucharistia: sicut & in vita corporali non indigeret homo medicatione, nisi infirmaretur; indigeret autem homo per se ad vitam generatione, augmento, & nutrimento.

Et ideo pœnitentia tenet secundum locum respectu status integritatis, qui confertur, & conservatur per sacramenta prædicta: unde & metaphorice dicitur *secunda tabula post naufragium.* Nam sicut primum remedium mare transeuntibus est ut conserventur in navi integra; secundum autem remedium est post navem fractam, ut quis tabulæ adhæreat; ita etiam primum remedium in mari hujus *Summ. S. Tb. Tom. XII.*

vitz est quod homo integritatem fervet; secundum autem remedium est, si per peccatum integritatem perdidit, quod per pœnitentiam redeat.

Ad primum ergo dicendum, quod abscondere peccata contingit dupliciter. Uno modo, dum ipsa peccata fiunt. Est autem pejus peccare publice quam occulte: tum quia peccator publicus videtur ex majori contemptu peccare: tum etiam quia peccat cum scandalo aliorum. Et ideo quoddam remedium est in peccatis quod aliquis in occulto peccet: & secundum hoc dicit Glossa, quod *secunda tabula post naufragium est peccata abscondere*, (1) non quod per hoc tollatur peccatum, sicut per pœnitentiam, sed quia per hoc peccatum fit minus. Alio modo aliquis abscondit peccatum prius factum per negligentiam confessionis: & hoc contrariatur pœnitentiæ: & sic abscondere peccatum non est secunda tabula, sed magis contrarium tabulæ: dicitur enim Proverb. xxviii. 13. *Qui abscondit scelerata sua, non dirigitur.*

Ad secundum dicendum, quod pœnitentia non potest dici fundamentum spiritualis ædificii simpliciter, idest in prima ædificatione; sed est fundamentum in secunda reedificatione, quæ fit per destructionem peccati: nam primo redeuntibus ad Deum occurrit pœnitentia. Apostolus tamen ibi loquitur de fundamento spiritualis doctrinæ. Pœnitentia autem quæ baptismum præcedit, non est pœnitentiæ sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod tria præcedentia sacramenta pertinent ad navem integram, idest ad statum integritatis, respectu cuius pœnitentia dicitur secunda tabula.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito infirmatum esse a
R r S.

(1) Sed planiore sensu Hieronymus ex quo sumpta est Glossa, non quod *secunda post naufragium tabula sit abscondere peccata*, sed quod *secunda post naufragium tabula pœnitentia sit*, ut ipse S. Thomas in textu argum. Sed contra, refert; *miseriarum autem consolatio suam impietatem abscondere.* Quod & in ipso textu S. Thomæ 4. Sententiarum loco infra notando sic refertur, sed ex additamento alicuius qui Hieronymi textum consuluerat; cum in Exemplaribus manucriptis hoc solum S. Thomas habeat quod hic ex Glossa refert, nec amplius habeat vel manucripta vetus vel moderna impressa, quæ perperam suppressis verbis intermediis prima cum ultimis con-

junxit. Habet quidem alibi Hieronymus explicans illud *Porta & tu confusionem tuam, (vel secundum 70. tormentum tuum)* Ezechiel. 16. quod *secunda post naufragium tabula est, cum peccaveris erubescere*: Hoc autem non est impietatem abscondere, sed propter illam animo pœnitente confundi: Unde immediate subdit, *non illi subjacere increpationi quæ contra Hierusalem dicitur* (Hierem. 3.) *Facies meretricis facta est tibi, necis erubescere: Porta domum tormentum suum qui propria torquetur conscientia, & in isto seculo sustinet propria voluntate cruciatum ne tormenta aeterna sustinet.*

S. Hieronymo, & Conciliis, quod Pœnitentia est secunda tabula post naufragium. A S. Hieron. quidem, ut *in arg. contr.* A Concilio autem *Florent.* per hoc, quod dicit in decreto Armenis dato. *Per baptismum spiritualiter renascimur: per confirmationem auge-mur in gratia, & roboramur in fide: renati autem, & roborati nutrimur divina Eucharistie alimonia. Quod si per peccatum agritudinem incurrimus anima: per pœnitentiam spiritualiter sanamur.* Hæc ibi. Intelligas enim terminum, scil. quid importet *ly secunda tabula post naufragium:* & mox conspicias, quod per illa verba omnia Concilium dixit in sensu, quod sacramentum pœnitentiæ est secunda tabula post naufragium. A Concilio etiam *Trident.* sess. 6. cap. 14. *Qui ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt: cum excitante Deo, per pœnitentiæ sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverunt. Hic enim justificationis modus est lapsus reparatio: quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti Patres apte nuncuparunt.* Hæc ibi. Et sess. 14. canone 2. *Si quis, sacramenta confundens, ipsum Baptismum pœnitentiæ sacramentum esse dixerit; quasi hæc duo sacramenta distincta non sint: atque ideo pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari: anathema sit:* Hæc ibi: *Secundo vides: quomodo &c.*

ARTICULUS VII. 516

Utrum hoc sacramentum fuerit convenienter in nova lege institutum.

IV. dist. xxii. quæst. v. art. 3.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum non fuerit convenienter institutum, in nova lege. Ea enim quæ sunt de jure naturali, institutione non indigent. Sed pœnitere de malis quæ quis gessit, est de jure naturali: non enim potest aliquis bonum diligere, quin de contrario doleat. Ergo pœnitentia non fuit convenienter instituta in nova lege.

2. Præterea. Illud quod fuit in veteri le-

ge, instituendum non fuit in nova. Sed etiam in veteri lege fuit pœnitentia: unde & Dominus conqueritur Hierem. v. 11. 6. dicens: *Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, Quid fecit?* Ergo pœnitentia non debuit institui in nova lege.

3. Præterea. Pœnitentia consequenter se habet ad baptismum, cum sit secunda tabula, ut supra dictum est (art. præc.) Sed pœnitentia videtur a Domino instituta ante baptismum: nam in principio prædicationis suæ dixisse Dominus legitur Matth. iv. 17. *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum calorum.* Ergo hoc sacramentum non fuit convenienter institutum in nova lege.

4. Præterea. Sacramenta novæ legis institutionem habent a Christo, ex cujus virtute operantur, ut supra dictum est (quæst. lxxi. art. 5. & quæst. lxxiv. art. 1.) Sed Christus non videtur instituisse hoc sacramentum, cum ipse non sit usus eo, sicut aliis sacramentis quæ ipse instituit. Ergo hoc sacramentum non fuit convenienter institutum in nova lege.

Sed contra est quod dicit Dominus Luc. ult. 46. *Oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis die tertia, & predicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.*

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. 1. hu. quæst. ad 1. & 2.) in hoc sacramento actus pœnitentis se habet sicut materia; id autem quod est ex parte sacerdotis, qui operatur ut minister Christi, se habet ut formale, & completivum sacramenti. Materia vero etiam in aliis sacramentis præexistit a natura, ut aqua; vel ab arte, ut panis: sed quod talis materia ad sacramentum assumatur, institutione indiget hoc determinante. Sed forma sacramenti, & virtus ipsius totaliter est ex institutione Christi, (1) ex cujus passione procedit virtus sacramentorum.

Sic ergo hujus sacramenti materia præexistit a natura: ex naturali enim ratione homo movetur ad pœnitendum de malis quæ fecit; sed quod hoc, vel illo modo homo pœnitentiam agat, est ex institutione divina.

Unde

(1) Forma quidem, quia tametsi verba quæ consciunt formam, suum usum habeant secundum se; non tamen usum illum qui significationi Sacramenti respondet, sicut aqua & panis & similes alia materia eundem habent usum; sed ex beneplacito instituentis, ele-

vatum, ut sacramento adaptetur & inserviat: Virtus vero, quia nulla est secundum se in ipsa naturali conditione materiæ vel formæ Sacramenti, sed sola potestate instituentis ei superadditur ut effectum sacramentalem causet, &c.

Unde & Dominus in principio prædicationis suæ indixit hominibus, ut non solum pœniterent, sed etiam pœnitentiam agerent, significans determinatos modos actuum, qui requiruntur ad hoc sacramentum. Sed id quod pertinet ad officium ministrorum, determinavit Matth. xvi. 19. ubi dixit Petros *Tibi dabo claves regni caelorum &c.* Efficaciam autem hujus sacramenti, & originem virtutis ejus manifestavit post resurrectionem Luc. ult. 47. ubi dixit, quod oportet prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, præmissa de passione; & resurrectione. Ex virtute enim nominis Jesu Christi patientis, & resurgentis hoc sacramentum efficaciam habet in remissionem peccatorum.

Et sic patet convenienter hoc sacramentum in nova lege institutum fuisse.

Ad primum ergo dicendum, quod de jure naturali est quod aliquis pœniteat de malis quæ fecit, quantum ad hoc quod doleat ea fecisse, & doloris remedium quærat per aliquem modum, & quod etiam aliqua signa doloris ostendat; sicut & Ninivitæ fecerunt, ut Jonæ 111. legitur: in quibus tamen aliquid fuit adjunctum fidei, quam conceperant ex prædicatione Jonæ, ut scilicet hoc agerent sub spe veniæ consequendæ a Deo, secundum illud quod ibi 9. legitur: (1) *Quis scit, si convertatur, & ignoret Deus, & revertatur a furore iræ suæ, & non peribimus?* Sed sicut alia quæ sunt de jure naturali, determinationem acceperunt ex institutione legis divinæ, ut in secunda parte dictum est (2) ita etiam & pœnitentia.

Ad secundum dicendum, quod ea quæ sunt juris naturalis, diversimode determinationem accipiunt in veteri, & in nova lege, secundum quod congruit imperfectioni veteris legis, & perfectioni novæ legis. Unde & pœnitentia in veteri lege aliquam determinationem habuit, quantum quidem ad dolorem, ut esset magis in corde quam in exterioribus

signis, secundum illud Joel. 11. 13. (3) *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra:* quantum autem ad remedium doloris querendum, ut aliquo modo micistris Dei peccata sua confiterentur, ad minus in generali. Unde Dominus Levit. v. 17. dicit: *Anima, si peccaverit per ignorantiam... offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, juxta mensuram, estimationemque peccati, qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit: & dimittetur ei:* in hoc enim ipso quod oblationem faciebat aliquis pro peccato suo, quodammodo suum peccatum sacerdoti confitebatur. Et secundum hoc dicitur Proverb. xxviii. 13. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea misericordiam consequetur.* Nondum autem erat instituta potestas clavium, quæ a passione Christi derivatur; & per consequens nondum erat institutum quod aliquis doleret de peccato cum proposito subjiciendi se per confessionem, & satisfactionem clavibus Ecclesiæ sub spe consequendæ veniæ virtute passionis Christi.

Ad tertium dicendum, quod si quis recte consideret ea quæ Dominus dixit de necessitate baptismi Joan. 111. tempore præcesserunt ea quæ dixit Matth. iv. de necessitate pœnitentiæ: nam id quod dixit Nicodemo de baptismo, fuit ante incarcerationem Joannis, de quo postea subditur, quod baptizabat; illud vero quod de pœnitentia dixit Matth. iv. fuit post incarcerationem Joannis.

Si tamen prius ad pœnitentiam induisset quam ad baptismum, hoc ideo esset, quia etiam ante baptismum requiritur quædam pœnitentia; (4) sicut & Petrus dicit Act. 11. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.*

Ad quartum dicendum, quod Christus non est usus baptismo, quem ipse instituit, sed est baptizatus baptismo Joannis, ut supra dictum est (quæst. xxxix. art. 1. & 2.) Sed nec etiam active usus est suo

R r 2

mini-

(1) Quod propterea in exemplum pœnitentiæ ad peccatorum remissionem disponentis usurpat Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 4.

(2) Nempe 1. 2. quæst. 94. art. 4. & quæst. 95. art. 2. & qu. 99. art. 3. & quæst. 110. art. 1. ubi proinde indicatur & explicatur ex professo qua ratione dici possint omnia legis cujuscumque præcepta pertinere ad legem naturalem &c.

(3) Alludendo ad morem Judæorum qui vestes in tristibus quibusvis adversisque scindebant, ut ibidem observat Hieronymus, qui & subinde addit: *Idcirco*

præcipio vobis ut nequaquam scindatis vestimenta sed corda; quæ plena sunt peccatis, & quæ instar utriusque nisi scissa fuerint, sponso rumpentur: Cyrillus autem cor asperum ac durum scindi debere significat, ut in tret illuc timor Dei &c. Nec dissimili sensu Theodoretus *mentis perveraciam* interpretatur quam emolliiri oporteat.

(4) Non quæ sit sacramentum, sed quæ sit solum virtus, ut qu. 90. art. 4. ex professo dicitur, & Sess. 6. in Concilio Tridentino cap. 6. ex professo docetur.

ministerio, quia ipse non baptizabat communiter, sed discipuli ejus, ut dicitur Joan. xv. quamvis credendum sit quod discipulos suos baptizaverit, ut Augustinus dicit ad Seleucianum (epist. cclxv. al. cviii. ante med. (1) & Lib. III. de anima & ejus orig. cap. ix.) Usus autem hujus sacramenti ab eo instituti nullo modo sibi competeat, nec quantum ad hoc quod ipse pœniteret, in quo peccatum non fuit, neque quantum ad hoc quod hoc sacramentum aliis præberet: quia ad ostendam misericordiam, & virtutem suam, effectum hujus sacramenti sine sacramento præbebat, ut supra dictum est (art. 5. hu. quæst. ad 3.) Sacramentum autem Eucharistiæ & ipse sumpit, & aliis dedit, tum ad commendandam excellentiam hujus sacramenti, tum quia hoc sacramentum est memoriale suæ passionis, in qua Christus est sacerdos, & hostia.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a Concil. Trident. quod sacramentum pœnitentiæ a Christo institutum est convenienter. Ut sess. 7. de sacramentis, can. 1. *Si quis dixerit: sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Christo instituta: anathema sit.* Vide q. 64. art. 2. append. Item ab eod. sess. 6. c. 14. Pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus sacramentum instituit Pœnitentiæ, cum dixit, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. *Hæc ibi. Et sess. 14. c. 1.* Dominus sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos, dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus suis se communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit, & Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter ne-

gantes, magna ratione Ecclesia Catholica, tamquam hæreticos, expulsi, atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans, & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi Evangelium annunciandi, contra hujusmodi sacramenti institutionem, falso detorquent. *Hæc ibi Et c. 3.* Si quis dixerit verba illa Domini salvatoris: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi & retinendi peccata in sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit, detorsit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad autoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit. *Hæc ibi.* Ceterum de convenientia institutionis patet ex hoc, quod Christum instituisse sacramentum istud, affirmat. Nam Christus, cum sit Dei sapientia, 1. Cor. 1. & non possit negare seipsum, 2. Tim. 2. non potest non convenienter, imo non convenientissime facere, quæcumque facit, ut alias docuimus, ita, quod idem sunt convertibiliter, Christus fecit hoc, vel illud, & Christus convenientissime fecit hoc, & illud: *Secundo* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S VIII. 517

Utrum pœnitentia debeat durare usque ad finem vitæ.

Inf. art. 9. ad 1. & IV. dist. xvii. quæst. 11. art. 4. quæst. 1. & 2.

AD octavum sic proceditur. Videtur quod pœnitentia non debeat durare usque ad finem vitæ. Pœnitentia enim ordinatur ad deletionem peccati. Sed pœnitens statim consequitur remissionem peccatorum, secundum illud Ezech. xviii. 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ opera-*

115

(1) Scilicet quæ ad Seleucianam perperam prius notabatur; sed apud Augustinum *Religiosissime & in Christi dilectione honorande famulæ Dei Seleucia-*

ne: Quid ineptius autem quam ad Celestium in Manuscripto ipso Summæ inscribi? Similia etiam sed brevius lib. 3. de anima & ejus origine c. 9.

tus est . . . vita vivet, & non morietur (1) Ergo non oportet ulterius pœnitentiam pro-
tendi.

2. Præterea. Pœnitentiam agere pertinet ad statum incipientium. Sed homo de hoc statu debet procedere ad statum proficientium, & ulterius ad statum perfectorum. Ergo non debet homo pœnitentiam agere usque ad finem vitæ.

3. Præterea. Sicut in aliis sacramentis homo debet servare statuta Ecclesiæ, ita & in hoc sacramento. Sed secundum canones determinata sunt tempora pœnitendi, (2) ut scilicet ille qui hoc, vel illud peccatum commiserit, tot annis pœniteat. Ergo videtur quod non sit pœnitentia extendenda usque ad finem vitæ.

Sed contra est quod Augustinus dicit in Lib. de pœnit. (alius Author de vera, & falsa pœnit. cap. xiii.) *Quid restat nobis nisi semper dolere in vita? ubi enim dolor finitur, deficit pœnitentia; si vero pœnitentia finitur, quid reliquatur de venia?*

Respondeo dicendum, quod duplex est pœnitentia, scilicet interior, & exterior. Interior quidem pœnitentia est qua quis dolet de peccato commisso: & talis pœnitentia debet durare usque ad finem vitæ: semper enim debet homini displicere quod peccavit: si enim ei placeret peccasse, jam ex hoc ipso peccatum incurreret, & fructum veniæ perderet. Displicentia autem dolorem causat in eo qui

est susceptivus doloris, qualis est homo in hac vita; post hanc vitam autem Sancti non sunt susceptivi doloris: unde displicebunt eis peccata præterita sine omni tristitia, secundum illud Isa. lxxv. 16. *Oblivioni tradite sunt angustie priores.*

Pœnitentia vero exterior est qua quis exteriora signa doloris ostendit, & verbo tenus peccata sua confitetur sacerdoti absolventi, & juxta ejus arbitrium satisfacit: & talis pœnitentia non oportet quod duret usque ad finem vitæ, sed usque ad determinatum tempus, secundum mensuram peccati.

Ad primum ergo dicendum, quod vera pœnitentia non solum removet peccata præterita, sed etiam præservat hominem a peccatis futuris. Quamvis igitur homo in primo instanti veræ pœnitentiæ remissionem consequatur præteritorum peccatorum; oportet tamen in homine perseverare pœnitentiam, ne iterum incidat in peccatum:

Ad secundum dicendum, quod agere pœnitentiam interiorē simul, & exteriorē pertinet ad statum incipientium, qui scilicet de novo redeunt a peccato; sed pœnitentia interior habet locum etiam in proficientibus, & perfectis, secundum illud Psal. lxxxiii. 7. *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum.* Unde & ipse Paulus dicebat I. Corinth. xv. 9. *Non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.*

Ad

(1) Ubi tamen quibusdam interjunctis plenius id habetur, nempe sic, *& custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam*, quæ ipsius pœnitentiæ appendices quædam sunt & sequelæ.

(2) Nimirum nunc tres *Quadragesime* tantum ut ei qui coactus vel per ignorantiam pejeravit, causa 32. quæst. 5. cap. *Qui pejerat*: Nunc *unus annus*, ut in cruce non consecrata pejeranti; eadem causa & eodem cap. Nunc *tres anni*, ut qui in cruce consecrata vel Episcopi manu pejeravit, ibidem: imo & *septem anni*, si quantumvis compulsus ab alio ad pejerandum, liber fuit ut resistere compulsioni posset cap. *Qui compulsus*, eadem causa 22. Sicut etiam *septem anni* pœnitentiæ strictioris in vaforibus Ecclesiarum vel sicariis ac prædonibus publicis, causa 12. quæst. 2. cap. *De viro*; ut & adulteriis reis causa 33. quæst. 2. cap. *Admonere*, vel quibuslibet passim capitaliter peccantibus eadem causa & quæst. ut cap. *Hoc ipsum* videre est: Nunc *octo anni* sicut incestuosus, causa 30. quæst. 2. cap. *Si pater*: Nunc *severius adhuc decem anni*, sicut interfectori matris causa 33. quæst. 2. ex cap. *Lacorem* colligitur; fornicariæ Mœniali causa 27. quæst. 1. cap. *Devotam*; ut & fornicatio Presbytero vel cuiuslibet criminis reo, dist. 82. cap. *Presbyter*: Nunc *duodecim anni*, aut ut 2. lli leguat *quindecim anni*, Presbytero spiritualem si-

liam suam vitianti, sive cum illa fornicanti, causa 30. qu. 1. cap. *Si quis Sacerdos* &c. Plane autem *quindecim* Episcopo qui hoc vitium commiserit, cap. *Non debes* &c. Quamvis etiam ex nonnullis prædictis capitibus colligi possit pœnitentia diuturnior (nec interior tantum quoad affectum, sed exterior quoad effectum) toto vitæ tempore peragenda: Nam de filia spiritali fornicante cap. mox notato dicitur quod *si laica femina est, omnia derelinquat, res suas pauperibus tradat, & conversa in Monasterio Deo usque ad mortem serviet*: Ut & de Presbytero qui cum illa fuerit fornicatus, quod postquam depositus ab officio *duodecim* (vel sicut supra ex alia notatur lectione *quindecim annis*) peregrinando pœniterit, *ad Monasterium postea vadat, ibique cunctis diebus vitæ suæ Deo serviet*: Ac de uxoris interfectore cap. *Admonere*, ut supra, quod *omnibus diebus quibus pœnitere debet, vinum & siceram non bibat, carnem nullo unquam tempore comedat, in jejuniis & vigiliis omni tempore perseveret, in conviviis lætantium nunquam se misceat, in Ecclesia segregatus & post ostium humiliter se reponens communionem corporis & sanguinis Domini cunctis diebus vitæ suæ indignum se existimet, huius nihilominus viaticum in ultimo exitus die venialiter ei concedatur.*

Ad tertium dicendum, quod illa tempora præfigurantur pœnitentibus quantum ad actionem exterioris pœnitentiæ.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem primæ conclusionis interimas hæreses *Beardorum* dicentium: quod perfectionis gradum tantum potest homo in hac vita acquirere, ut nec peccare amplius, nec in gratia proficere possit: & ita Spiritui sensum subijciat, ut amplius nec jejunare, nec orare, nec alicujus obedientiæ etiam Ecclesiæ se subijcere oporteat, sed libere corpori, quidquid placet, concedere potest. Et addentium: quod perfecta anima licentiat a se virtutes, quia imperfecti hominis est, exercere se in actibus virtutum. Cum enim agere pœnitentiam contraponatur (ut cœcutientibus etiam patet) his hæresibus: dum articulus præsens, pœnitentiam nostram per totum tempus vitæ hujus debere protendi, monstrat, impugnat e diametro illas, inquantum pœnitentiam & cordis, & doloris a seipsis rejiciunt. Cordis, inquam; quoniam, si detestarentur (ut facit pœnitentia interior) peccata, non fugerent obedientiam præsertim Ecclesiæ, nec quæcumque placencia corpori concederent. Nam rejicere a se obedientiam, & speciatim Ecclesiæ, est aperire viam spatiosam, & portam latam vitis: tantum abest, ut is, qui facit illud, detestetur vitia. Similiter concedere corpori, quidquid placet, non detestationem, sed complacentiam vitiorum, secundum cujusque vere sapientis judicium, importat. Doloris etiam dixi, quoniam, si dolorem sensus (ut facit pœnitentia interior) amplecterentur, non repudiarent ipsum orare, jejunare, & exercere se in actibus virtutum. Ex his igitur omnibus constat: quod & illæ pro quanto sufficit ad propositum, breviter summatæ dicunt. Pœnitentia interior non debet durare usque ad finem vitæ: & conclusio articuli dicto huic contraria ad litteram illarum extensa pro earumdem manifestiori confusione, dicit: Homo debet usque ad finem vitæ subijcere se obedientiæ præsertim Ecclesiæ sanctæ, & corpori suo non concedere, quæcumque placent, & juxta mensuram rationabilem orare, jejunare, in actibusque virtutum seipsum exercere. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas, pro quanto important errorem prænarratum,

sc. Pœnitentia interior non debet durare usque ad finem vitæ, damnari a D. August. secundum quod ponitur in *arg. contr.* Item a Concilio *Tridens.* sess. 14. in doctrina de sacr. extr. unctio. *Quod* (scil. sacramentum extremæ unctio) non modo pœnitentiæ, sed totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentiæ esse debet, consummativum existimatum est a patribus. Hæc ibi. Item a scripturis per hoc, quod dicitur Eccles. 5. *De propitiatio peccatorum noli esse sine metu.* Hoc est. Ad propitiatum peccatorum habendum, vel etiam conservandum, nitaris semper per pœnitentiam interiorem. Pura & detestando peccata, & assumendo dolorem sensitivum, sc. satisfactioes sponte per seipsum pro vindicandis peccatis. Item per hoc, quod dicitur Eccles. 18. *Non impediaris semper orare, & ne verearis, usque ad mortem justificari.* Item per hæc, quod dicitur Proverb. 28. *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Scil. de peccatis suis ad quærendam a Deo misericordiam, ut ex circumstantia litteræ habetur ibidem. Hoc autem totum est pœnitentia interior. Quoad illum pavorem, & quoad illud, non esse sine metu, concordat Concilium *Trid.* sess. 6. cap. 9. 12. & canon. 14. 15. 16. 23. Item illæ hæreses, ut jacent, damnantur, & consequenter articuli conclusio aequaliter roboratur a Papa *Clemente V.* in Concilio *Viennensi*, in lib. *Clementinar. tit. de heret. cap. ad nostrum.* Item a multis aliis dictis 2. 2. *articulorum num. 127. 556. cum Elucid. & Veritatibus aureis super totam legem veterem. Gen. 4. concl. 10. & cap. 19. conclus. 3. 5. item Levit. 18. concl. 1. item Num. 15. concl. 10. & cap. 20. conclus. 4. Tertio* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S IX. 318

Utrum pœnitentia possit esse continua.

IV. dist. XIV. quæst. 1. art. 4. quæst. 1.

AD nonum sic proceditur. Videtur quod pœnitentia non possit esse continua. Dicitur enim Hierem. xxxi. 16. *Quiescat vox tua a ploratu, & oculi tui a lacrymis.* Sed hoc esse non posset, si pœnitentia continuaretur, quæ consistit in ploratu, & lacrymis. Ergo pœnitentia non potest continuari.

2. Præterea. De quolibet bono opere debet homo gaudere, secundum illud Ps. xcix.

1.

1. *Servite Domino in letitia*. Sed agere pœnitentiam est bonum opus. Ergo de hoc ipso debet homo gaudere. Sed non potest homo simul gaudere, & triftari, ut patet per Philosophum in IX. Ethic. (cap. iv. sub fi.) Ergo non potest esse quod pœnitens continue triftetur de peccatis prœteritis; quod pertinet ad rationem pœnitentiæ. Ergo pœnitentia non potest esse continua.

3. Prœterea. II. ad Corinth. 11. 7. Apostolus dicit. *Consolamini*, scilicet pœnitentem, *ne forte abundantiori triftitia absorbeatur qui ejusmodi est*. Sed consolatio depellit triftitiam, quæ pertinet ad rationem pœnitentiæ. Ergo pœnitentia non debet esse continua. Sed contra est quod Augustinus dicit in Lib. de pœnitentia (de vera, & falsa pœnit. ut supra cap. xiiii.) *Dolor in pœnitentia continue custodiatur*.

Respondeo dicendum, quod pœnitere dicitur dupliciter, secundum actum, & secundum habitum. Actum quidem impossibile est quod homo continue pœniteat: quia necesse est quod actus pœnitentis sive interior, sive exterior interpoleretur ad minus somno, & aliis quæ ad necessitatem corporis pertinent.

Alio modo dicitur pœnitere secundum habitum: & sic oportet quod homo continue pœniteat & quantum ad hoc quod homo nunquam aliquid contrarium pœnitentiæ faciat, per quod habitualis dispositio pœnitentis tollatur, & quantum ad hoc quod debet homo in proposito gerere quod semper sibi prœterita peccata displiceant.

Ad primum ergo dicendum, quod ploratus, & lacrymæ ad actum exterioris pœnitentiæ pertinent, qui non solum non debet esse continuus: sed nec etiam oportet quod duret usque ad finem vitæ, ut dictum est (art. præc.) Unde & signanter ibi subditur: *quia est merces operi tuo*. Est autem merces operis pœnitentis plena remissio peccati & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam: post cujus consecutionem non est necesse quod homo ulterius exteriorem pœnitentiam agat. Per hoc tamen non excluditur continuitas pœnitentiæ, qualis dicta est (in corp. & art. præc.)

Ad secundum dicendum, quod de dolore, & gaudio dupliciter loqui possumus. Uno

modo secundum quod sunt passiones appetitus sensitivi: & sic nullo modo possunt esse simul, eo quod sunt omnino contrariæ, vel ex parte objecti (puta cum sunt de eodem) vel saltem ex parte motus cordis, nam gaudium est cum dilatatione cordis, triftitia vero cum constrictione: & hoc modo loquitur Philosophus in IX. Ethic. Alio modo possumus loqui de gaudio, & triftitia, secundum quod consistunt in simplici actu voluntatis, cui aliquid placet, vel displicet: & secundum hoc non possunt habere contrarietatem nisi ex parte objecti, puta cum sunt de eodem, & secundum idem: & sic non possunt simul esse gaudium, & triftitia: quia non potest simul idem secundum idem placere, & displicere. Si vero gaudium, & triftitia sic accepta non sint de eodem secundum idem, sed vel de diversis, vel de eodem secundum diversa; sic non est contrarietas gaudii, & triftitiæ: unde nihil prohibet hominem simul gaudere, & triftari; puta si videamus justum affligi, simul placet nobis ejus justitia, & displicet ejus afflictio. Et hoc modo simul potest alicui displicere quod peccavit, & placere quod hoc ei displicet cum spe veniæ; ita quod ipsa triftitia sit materia gaudii. Unde & Augustinus dicit in Lib. de pœnitentia (loc. sup. cit.) *Semper doleat pœnitens, & de dolore gaudeat*.

Si tamen triftitia nullo modo compatere- tur sibi gaudium, per hoc non tolleretur habitualis continuitas pœnitentiæ, sed actualis.

Ad tertium dicendum, quod secundum Philosophum in II. Ethic. (cap. 111. VI. VII. & IX.) ad virtutem pertinet tenere medium in passionibus. Triftitia autem quæ in appetitu sensitivo pœnitentis consequitur ex displicentia voluntatis, passio quædam est: unde moderanda est secundum virtutem, & ejus superfluitas est vitiosa, quia inducit in desperationem: quod significat Apostolus ibidem dicens: *Ne majori triftitia absorbeatur qui hujusmodi est*. Et sic consolatio de qua ibi Apostolus loquitur, est moderativa triftitiæ, non autem totaliter ablativa.

AP.

(1) Scilicet libro de pœnitentia vera & falsa, qui Augustini quidem operibus intermiscetur tom. 4. sed alterius auctoris est, ac propterea inter adulterina ejus opera nunc rejectus. Aliquid autem non dissimile habet verus ipsemet Augustinus lib. 3. Confessio-

num cap. 2. ubi ait: *Eccè ibi es in corde confitentium tibi & plorantium in sinu tuo post vias suas difficiles; & tu facilis terges lacrymas eorum ut magis plorant & gaudeant in fletibus.*

APPENDIX.

EX art. habes primo: quomodo per rationem & ostendas, & recte intelligas, merito esse insinuat a scripturis, August. Concilio, & Ecclesia, quod pœnitentia debet esse continua. A D. August. quidem, ut in *arg. cont. & respon. ad secundum*. A scripturis vero per hoc, quod dicitur Proverb. 23. *in timore Domini esto tota die*. Item per hoc, quod dicitur Eccles. 27. *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua*. Ubi nota *ly instanter*, idest continue. Item per illud Eccles. 1. *timor Domini expellit peccatum*, & illud Eccles. 7. *Qui timet Deum, nihil negligit*. Et illud Eccles. 21. *Qui timeat Deum, convertetur ad cor suum*: Scilicet agendo pœnitentiam de peccato suo, dicens: *Quid feci*. Ut per locum ab oppositis patet ex Hier. 8. *Nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, quid feci?* Ex his namque collectis in unum patet intentum, sic. Si scriptura sacra nos monet ad persistendum tota die, & ad continendum instanter nosmetipsos in timore Dei, & timor Dei facit nos nihil negligere, idest expellere præ displicentia peccatum, convertique ad eor, agendo pœnitentiam de peccato cordialem, dicentes singillatim, *quid feci?* utique scriptura ipsa per hoc demonstrat, quod pœnitentia nostra debet esse continua. Nam *ly tota die*, & *ly instanter* important manifeste continuitatem, & eam non negligenter, sed diligenter factam. Ab Ecclesia item insinuat id ipsum per hoc, quod in Collecta Dominicæ infra octav. SS. Corp. Christi dicit: *Sancti nominis tui Domine timorem pariter, & amorem fac nos habere perpetuum*; hoc est, juxta declarationem de timore Domini præmissam, Pœnitentiam Domine ex amore tuo proveniente fac nos habere perpetuam. A Concilio quoque Trident. sess. 4. secundum quod ponitur in a. 8. *append.* Nam *ly perpetua* non tantum dicit durationem usque ad finem vitæ, pro quo sensu ibi adducebatur, sed etiam dicit continuitatem, in quo sensu nunc adducitur. *Secundo* habes: quomodo per rationem destruas errorem *Begardorum* in suis

illis hæresibus inclusum, sc. quod pœnitentia non debet esse continua. Ex declaratio ne facta *ar. 8. append.* ad ostendendum errorem ibi condemnatum, scilicet pœnitentiam non debere durare usque ad terminum vitæ, in eisdem contineri; demonstrare potes tu, quod error hic ultimo dictus includitur in ipsorum hæresibus, ut dicebatur. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, errorem hunc, scil. pœnitentiam non debere esse continuam, damnari merito a prædictis nunc scripturis Ecclesia, Concilio, & Aug. *Quarto* vides: quomodo &c.

ARTICULUS X. 519

Utrum sacramentum pœnitentiæ debeat iterari.

IV. dist. XIV. quæst. 1. art. 4. quæst. 3. & art. 5. quæst. 2. & Heb. VI.

AD decimum sic proceditur. Videtur quod sacramentum pœnitentiæ non debeat iterari. Dicit enim Apostolus Hebr. VI. 4. (1) *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, & gustaverunt caeleste donum, & participes sunt facti Spiritus sancti, & prolapsi sunt, renouari rursus ad pœnitentiam*. Sed quicumque pœnituerunt, sunt illuminati, & acceperunt donum Spiritus sancti. Ergo quicumque peccat post pœnitentiam, non potest iterato pœnitere.

2. Præterea. Ambrosius dicit in Lib. II. de pœnitentia (cap. x. a med.) (2) *Reperiuntur qui sæpius agendam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Christo: nam si vere pœnitentiam agerent, iterandam postea non putarent: quia sicut unum est baptisma, ita & unica est pœnitentia*. Sed baptismus non iteratur. Ergo nec pœnitentia.

3. Præterea. Miracula quibus Dominus infirmitates corporales sanavit, significant sanationes spiritualium infirmitatum, quibus scilicet homines liberantur a peccatis. Sed non legitur quod Dominus aliquem cœcum bis illuminã

(1) Plenius quam hic & quibusdam aliis interiectis, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum caeleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt, &c.

(2) Sicut refertur in Decretis dist. 3. de pœnitentia cap. 10. cum tamen sit in Ambrosii textu originali *Reprehendantur*, &c. quia luxuriantur in Christo; usurpata ex Apostoli verbis loquutione 1. ad Timoth. 5. ubi hoc de viduis alio sensu dicit.

luminaverit, vel quod aliquem leprosum bis mundaverit, aut aliquem mortuum bis fuscitaverit. Ergo videtur quod nec alicui peccatori bis per pœnitentiam veniam largiatur.

4. Præterea. Gregorius (1) dicit in hom. Quadragesimæ (xxxiv. in Evang. inter med. & fi.) *Pœnitentia est antea facta peccata deſerere, & ſtenda iterum non committere* : & Iſidorus dicit in Lib. II. de ſummo bono (cap. xvi.) *Irriſor eſt, & non pœnitens, qui ad huc agit quod pœnitens*. Si ergo aliquis vere pœniteat, non iterum peccabit. Ergo non poteſt eſſe quod pœnitentia iteretur.

5. Præterea. Sicut baptiſmus habet efficaciam ex paſſione Chriſti, ita & pœnitentia. Sed baptiſmus non iteratur propter unitatem paſſionis, & mortis Chriſti. Ergo pari ratione nec pœnitentia iteratur.

6. Præterea. Ambroſius dicit (ſup. illud ſal. cxviii. *Deprecatus ſum faciem &c.*) *quod facilitas venia incentivum præbet delinquendi*. Si ergo Deus veniam frequenter præbet per pœnitentiam, videtur quod ipſe hominibus præbeat incentivum delinquendi : & ic videretur delectari in peccatis ; quod ejus unitati non congruit. Non ergo poteſt pœnitentia iterari.

Sed contra eſt quod homo inducitur ad miſericordiam exemplo divinæ miſericordiæ, ſecundum illud Lucæ vi. 36. *Eſtor miſericors, ſicut & Pater veſter miſericors eſt*. Sed Dominus hanc miſericordiam diſcipulis ſuis imponit, ut ſæpius remittant fratribus contra ſe peccantibus : unde, ſicut dicitur Matth. xviii. 21. Petro quærenti, *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei ? uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*. Ergo etiam Deus ſæpius per pœnitentiam veniam eccantibus præbet, præſertim cum doceat os petere (Matth. vi. 12.) *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus*.
Summ. S. Th. Tom. XII.

bus noſtris.

Reſpondeo dicendum, quod circa pœnitentiam quidam erraverunt, dicentes, non poſſe hominem per pœnitentiam ſecundo conſequi veniam peccatorum. Quorum quidam, ſcilicet Novatiani, hoc intantum extenderunt ut dicerent, poſt primam pœnitentiam, quæ agit in baptiſmo, peccantem non poſſe per pœnitentiam iterato reſtitui. Alii vero fuerunt hæretici, ut Auguſtinus dicit in Lib. de pœnit. (alius Author de vera, & falſa pœnit. cap. v. in princ.) qui poſt baptiſmum dicebant quidem eſſe utilem pœnitentiam, non tamen pluries, ſed ſemel tantum.

Videntur autem hujusmodi errores ex duobus proceſſiſſe. Primo quidem ex eo quod errabant circa rationem veræ pœnitentiæ. Cum enim ad veram pœnitentiam caritas requiratur, ſine qua non delentur peccata, credebant quod caritas ſemel habita non poſſit amitti ; & per conſequens pœnitentia, ſi ſit vera, nunquam per peccatum tollatur, ut ſic ſit neceſſe eam iterari. Sed hoc improbatum eſt in ſecunda parte (2. 2. quæſt. xxiv. art. 11.) ubi oſtenſum eſt quod caritas ſemel habita propter libertatem arbitrii poteſt amitti ; & per conſequens poſt veram pœnitentiam poteſt aliquis peccare mortaliter. Secundo ex eo quod errabant circa æſtimationem gravitatis peccati. Putabant enim adeo grave eſſe peccatum quod aliquis committit poſt veniam impetratam, quod non ſit poſſibile ipſum remitti. In quo quidem errabant & ex parte peccati, quod etiam poſt remiſſionem conſecutum poteſt eſſe & gravius, & levius quam fuerit primum peccatum remiſſum ; & multo magis contra infinitatem divinæ miſericordiæ, quæ ſuperat omnem numerum, & magnitudinem peccatorum, ſecundum illud Plal. l. 1. *Miſere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam ; & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele*
S f ini-

(1) Sic etiam in Manuſcripto Summæ : Sed unde ? Nam in Decreti textu manuſcripto, gothico, impreſſo Ambroſius non Gregorius diſt. 3. de pœnitentia indicatur : Et vere quidem Ambroſius hoc ſum in ſermone pro feria 3. poſt primam Domini Quadageſimæ verbis paululum immutatis ex eſſe habet : *Pœnitentia (inquit) eſt & mala præria plangere & plangenda iterum non committere ; nullo poſt indicati ſermonis initium ſic incipiens, ecco nunc tempus. Quiddam porro ſimile Gregorius re ad verbum homil. 34. in Evang. poſt medium : Pœnitentia (inquit.) eſt & perpetrata mala plangere & plangenda non perpetrare : Ut & reſertur in*

Decretis cap. *Pœnitentiam* diſtinct. jam notata. Sequens appendix autem Iſidori habetur apud illum lib. 2. Sententiarum (aut, ut hic inſcribitur, de ſummo bono) c. 16. indeque rursus in Decretis reſertur ubi ſupra, cap. *irriſor eſt* : Sed quod ex Ambroſio ſubjungitur, & Manuſcriptum Summæ velut ex Gregorio citat, ſicut & lib. 4. Sentent. loco inferius notando in modernis etiam Exemplaribus indicatur (niſi quod ad marginem a me in poſtrema editione reſtitutum eſt) ideo ſub nomine Gregorii retulit S. Thomas, quia Decretum vetus eo tempore ſic notabat, ſed novæ tandem Editiones correxerunt & in Decreti textu & hic.

iniquitatem meam. (1) Unde reprobatum verbum Cain dicentis Genes. 1v. 13. *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear.* Et ideo misericordia Dei peccantibus per pœnitentiam veniam præbet absque ullo termino: unde dicitur II. Paralip. ult. (in orat. Manaf. ante Lib. III. Efdre) *Immensa, & inuestigabilis misericordia promissionis tue super malitiam hominum.*

Unde manifestum est quod pœnitentia pluries est reiterabilis.

Ad primum ergo dicendum, quod quia apud Judeos erat secundum legem quædam lavacra instituta, in quibus pluries se ab immunditiis purgabant, credebant aliqui Judæorum quod etiam per lavacrum baptismi aliquis pluries purificari posset. Ad quod excludendum Apostolus scribit Hebræis, quod *impossibile est eos qui semel sunt illuminati, scilicet per baptismum, rursus renovari ad pœnitentiam, scilicet per baptismum, qui est lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti, ut dicitur ad Tit. 111. 5. & rationem assignat ex hoc quod per baptismum homo Christo commoritur: unde subditur: Rursus crucifigentes sibi metipsi Filium Dei (Hebr. vi. 8.)*

Ad secundum dicendum, quod Ambrosius loquitur de pœnitentia solemnî, quæ in Ecclesia non iteratur, ut infra dicitur (Suppl. quæst. xxviii. art. 2.)

Ad tertium dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in Lib. de pœnit. (loc. sup. cit.) *multos cæcos, & in diverso tempore Dominus illuminavit, & multos debiles confirmavit, ostendens in diversis illis eadem sæpe peccata dimitti, ut quem prius sanavit leprosum, alio tempore (*) illuminaverit cæcum. Ideo enim eos salvavit febricitantes, eos languidos, eos claudos, cæcos, & aridos, ne desperet de se peccator: ideo non scribitur, aliquem nisi semel sanasse, ut quilibet timeat jungi peccato: me-*

aicum se vocat, & non sanis, sed male habentibus opportunum. Sed qualis hic medicus, qui malum iteratum nescires curare? Medicorum enim est centies infirmum centies curare, qui ceteris minor esset, si aliis possibilia ignorares. (2)

Ad quartum dicendum, quod pœnitere est antea facta peccata desistere, & stenda non committere, scilicet simul dum stet vel actu, vel proposito. Ille enim est irritor, & non pœnitens, qui simul dum pœnitet, agit quod pœnitet, vel proponit iterum se facturum quod gessit, (2) vel etiam actualiter peccat eodem, vel alio genere peccati. Quod autem aliquis postea peccat vel actu, vel proposito, non excludit quin prima pœnitentia vera fuerit: numquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequenter: sicut enim vere cucurrit qui postea sedet, ita vere pœnituit qui postea peccat.

Ad quintum dicendum, quod baptismus habet virtutem ex passione Christi, sicut quædam spiritualis generatio cum spirituali morte præcedentis vitæ. Statutum autem est hominibus semel mori, (Hebr. ix. 27.) & semel nasci: & ideo pœnitentiam tantum debet homo baptizari. Sed pœnitentia habet virtutem ex passione Christi, sicut spiritualis medicatio, quæ frequenter iterari potest.

Ad sextum dicendum, quod secundum Augustinum in Lib. de pœnitentia (4) loc. sup. cit.) *constat Deo multum displicere peccata, qui semper præsto est ea destruere, ne solvatur quod creavit, nec corrumpatur quod amavit, scilicet per desperationem.*

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, & conciliis; quod sacramentum pœ-

(1) Ubi proinde Augustinus vult idem esse ac si dicat: *Subveni gravi vulnere secundum magnam medicinam tuam? Grave est quod habeo, sed ad omnipotentem confugio: De meo tam lethali vulnere desperarem, nisi tantum medicum reperirem.* De Cain autem sic Bernardus explicans illud Isai. 48. *Infra nabo os tuum laude mea ne intereas; hoc est, ne insultu facinorum tuorum nimiam incurras tristitiam, atque instar effrenis equi desperatus in præceps ruas & pereas, freno te inhibebo indulgentie mea; ut in scdm. 11. super Cantica commentatur: Hoc freno (inquit) si confrangatur fuisset Cain, nunquam desperando dixisset, Major est iniquitas mea quam ut veniam merear: Absit, absit! Major enim est eius pietas quam quavis iniquitas, &c.*

(*) Al. illuminet.

(2) Seu facere non possit; Hoc enim est practice ignorare, juxta intentum hujus loci.

(3) Unde ad legitimam & sinceram pœnitentiam requiritur ex Concilio Tridentino ut supra cessans a peccato & proposito nova visa quod voluntatem peccandi excludas, ut ibidem paulo post subjungitur.

(4) Supple vera & falsa sicut prius, cap. 5. paulo plenius quam hic; ut & dist. 3. de pœnitentia cap. *Adhuc*, arguendo velut errantes eos qui dicunt non prodesse pœnitentiam iteratam sæpius peccantibus, quod sit incitatio ad peccatum; Deumque dicunt incitatorum mali, si semper subveniret pœnitentibus, &c.

QUÆSTIO LXXXV.

De sacramento penitentiae, secundum quod est virtus,

In sex articulos divisa.

DEinde considerandum est de penitentia, secundum quod est virtus: & circa hoc quaeruntur sex.

- Primo, utrum penitentia sit virtus.
- Secundo, utrum sit virtus specialis.
- Tertio, sub qua specie virtutis contineatur.
- Quarto de subjecto ejus.
- Quinto de causa ipsius.
- Sexto de ordine ejus ad alias virtutes.

ARTICULUS I. 520

Utrum penitentia sit Virtus.

IV. dist. xxiv. quæst. 1. art. 1. quæst. 2. & art. 3. quæst. 1. cor. & ad 2. & quæst. 2. & 4.

AD primum sic proceditur. Videtur quod penitentia non sit virtus. Penitentia enim est quoddam sacramentum aliis sacramentis connumeratum, ut ex supradictis patet (quæst. præc. art. 1. & quæst. lxxv. art. 1.) Sed nullum aliud sacramentorum est virtus. Ergo neque penitentia est virtus.

2. Præterea. Secundum Philosophum IV. Ethic. (1) *verecundia non est virtus*, tum quia est passio habens corporalem immutationem; tum etiam quia non est dispositio perfecti, cum sit de turpi actu; quod non habet locum in homine virtuoso. Sed similiter penitentia est quædam passio habens corporalem immutationem, scilicet ploratum, sicut Gregorius dicit (hom. xxxiv. in Evang. inter med. & fin.) quod *penitere est peccata præterita plangere*: (2) est etiam de turpibus factis, scilicet de peccatis, quæ non habent locum in homine virtuoso. Ergo penitentia non est virtus:

3. Præterea. Secundum Philosophum IV. Ethic. (cap. 111. cir. princ.) *nullus est stultus corum qui sunt secundum virtutem*. (3) Sed stultum videtur dolere de commisso

S f 2 præ-

penitentia: reiterari potest pluries. A scripturis quidem, ut per dictum Luc. 6. simul uni Matth. 18. eo modo discurrendo, quo et in arg. cont. A concilio autem Florentino, in decreto super union. Armenor. *Sacramenta tria, Baptismus, Confirmatio, Ordo characterem imprimunt: unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt: & reiterationem admittunt. Izc ibi*. Ex quibus patet, quod ex characteris impressione, vel non impressione iudicatur reiteratio, vel non reiteratio. Ideo dicitur videre q. 63. a. 6. Item a Concilio Lateranensi sub Innoc. III. c. 21. *Omnis utriusque sexus, &c.* Vide sup. qu. 80. art. 10. d. 5. Ibi namque pluries in anno, vel saltem semel in anno confessionem fieri mandatur. A Concilio quoque Trid. sess. 13. canon. 9. " Si quis negaverit; omnes, & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit. Et canon. 11. Ne tantum sacramentum indigne, atque ideo in mortem, & condemnationem sumatur, sancta synodus statuit, atque declarat, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumserit, eo ipso excommunicatus existat. " Hæc ibi. Ex s enim simul junctis patet, quod non tantum potest, sed etiam debet iterari penitentia sacramentum: & quod excommunicatus dicitur contrarium. Ceterum contra Nonianos, de quibus loquitur tex. corp. vide *fundam. secundæ articulorum numero 22. cum elucidation. & Veritates aureas super totam gem veterem, Genes. 45. conclus. prima, cap. quarto, conclus. 17.* Item Numer. 15. *conclus. secunda.* Item Deuteron. 10. *conclus.* De gratia quoque, quod possit amitti, ut sit text. ibid. vide 1. *quæst. 23. art. 1. & est. 82. art. 4. cum Elucid.* Item 1. 2. *art. mer. 356. 619. cum Elucidat.* Et veritates reas prædictas, Numer. 13. *concl. 4. Secundo vides: quomodo &c.*

(1) Ex cap. ultimo colligitur ubi dicitur passioni magis assimilari quam habitui: Virtutem porro esse *dispositionem perfecti adoptivum* 7. Phyltext 17. videre est. (2) Vel *perpetrata mala plangere*, ut hom. 34.

in Evangelia expresse habet. (3) Sic 7. cap. græcolat. ubi pro stulto ἄλθεος, idest *stolidus*; vel c. 8. in antiquis & apud S. Thomam lect. 8.

præterito, quod non potest non esse; quod tamen pertinet ad pœnitentiam. Ergo pœnitentia non est virtus.

Sed contra est quod præcepta legis dantur de actibus virtutum: quia *legislator intendit civēs facere virtuosos*, ut dicitur II. Ethic. (cap. 1. ante med. (1) Sed præceptum divinæ legis est de pœnitentia, secundum illud Matth. 17. *Pœnitentiam agite &c.* Ergo pœnitentia est virtus.

Respondeo dicendum, quod sicut ex dictis patet (in arg. 2. & quæst. præc. art. 10. ad 4.) pœnitere est de aliquo prius a se facto dolere, (2) Dictum est autem supra (quæst. præc. art. 9.) quod dolor, vel tristitia dupliciter dicitur. Uno modo secundum quod est passio quædam appetitus sensitivi, & quantum ad hoc pœnitentia non est virtus, sed passio. Alio modo secundum quod consistit in voluntate: & hoc modo est cum quadam electione, quæ quidem si sit recta, necesse est quod sit actus virtutis. Dicitur enim in II. Eth. (cap. vi.) quod virtus est habitus electivus secundum rationem rectam. Pertinet autem ad rationem rectam ut aliquis doleat, de quo dolendum est, & eo modo, & fine, quo dolendum est: quod quidem observatur in pœnitentia de qua nunc loquimur: nam pœnitens assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis cum intentio-

ne removendi ea. Unde manifestum est quod pœnitentia de qua nunc loquimur, vel est virtus, vel actus virtutis.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut dictum est (quæst. præc. art. 1. ad. 1. & art. 2. & 3.) in sacramento pœnitentiæ materialiter se habent actus humani: quod non contingit in baptismo, vel confirmatione. Et ideo cum virtus sit principium alicujus actus, potius pœnitentia est virtus, vel cum virtute, quam baptismus, seu confirmatio.

Ad secundum dicendum, quod pœnitentia, secundum quod est passio, non est virtus, ut dictum est (in corp. art.) sic autem habet corporalem transmutationem adjunctam: est tamen virtus, secundum quod habet ex parte voluntatis electionem rectam; quod tamen magis potest dici de pœnitentia quam de verecundia: nam verecundia respicit turpe factum ut præsens, pro quo timet confundi; pœnitentia vero ut præteritum. Est autem contra perfectionem virtutis quod aliquis in præfenti habeat turpe factum, de quo oporteat eum verecundari; non est autem contra perfectionem virtutis quod aliquis prius commiserit turpia facta, de quibus oporteat eum pœnitere, cum ex vitioso fiat aliquis virtuosus.

Ad tertium dicendum, quod dolere de eo quod prius factum est, cum intentione con-

nan-

(1) Ubi probans virtutes usu ipso acquiri vel assuetudine ait: *Huius rei asseffatur id quod in civitatibus fieri solet: Legumlatores enim assuefaciunt civēs facere bonos: & hac parte est uniuscujusque legumlatoris voluntas, &c.*

(2) Id enim ipso pœnitendi nomine designatur, sicut in 4. Tusculana Cicero ipse prope finem de Alexandro loquens qui cum interemisset Clytium familiarem suum vix a se manus abstinuit propter displicentiam ac dolorem, *Tanta vis fuit, inquit, pœnitendi! Ut & Orat. pro Celio, id nunquam tam acerbo foret ut eum pœnitentia: Sic Ovidius quoque lib. 1. de Ponto, Pœnitet, & factio torquet ipsa meo.* Contra Erasimum, Besam, & Laurentium Valam qui græca voce *μετανοια* sive latina *metanœa* putide abutentes ac pro pœnitentia quæ a pœna denominatur substituentes, *resipiscenciam* quæ solam propositi vel mentis emendationem significat, evertunt illud omne quod ad sinceram peccatorum quæ commissa sunt detestationem ex inflicto Christi & Ecclesiæ sensu requiritur. Nec vero *metanœa* (seu *μετανοια*) sic propositi emendationem vel mentis animadversionem dicit, ut non etiam detestationem ac dolorem vel pœnam & castigationem peccatorum includat: Unde pœnitentiam Ninivitarum quæ in cinere sacco, & jejuniis fuit Jonæ 3. Basilius orat. de siccitate *μετανοια* appellat; nec aliter Matth. 12.

vers. 41. Luc. 11. vers. 32. ipse Christus, cui & Matth. 11. vers. 21. de Tyriis ac Sidoniis dicens, *olim in cinere ac cilicio pœnitentiam egissent, idem verbum usurpat: ac iterum Luc. 10. vers. 13. Hinc Iactantius lib. 6. divinarum institutionum cap. 24. tametsi *metanœam* latine reddidit *resipiscenciam*, sic tamen bono sensu explicat *Resipiscite quem errasti piget, ac seipsum castigat demencia, confirmatque subinde ad rectius vivendum.* Sicut & apud Aufonium quoque pœnitentia in proprio Epigrammate sic loquitur: *Sum Dea quæ facti non factique exigo pœnas: Nempe ut pœnitentia sic Metanœa vocor.* Proinde Concilium etiam Tridentinum Sess. 14. cap. 4. *Declarat sancta Synodus inquit, conversionem non solum cessationem a peccato & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere: juxta illud Ezechiel. 18. Projicite a vobis omnes iniquitates vestras in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum: Et certe quæ illos Sanctorum clamores consideraveris, Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum. Psal. 6. Recongito tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ Isai. 38. & alios hujus generis, facile intelliget eos ex vehementi quodam antea vitæ odio & ingenti peccatorum detestatione manasse: Præter alia quæ de conversione suo loco dicentur infra.**

randi ad hoc quod factum non fuerit, esset stultum. Hoc autem non intendit pœnitens; sed dolor ejus est displicentia, seu reprobatio acti præteriti cum intentione removendi sevelam ipsius, scilicet offensam Dei, & reatum pœnæ; & hoc non est stultum.

ARTICULUS II.

Utrum pœnitentia sit specialis virtus.

IV. dist. XIV. quest. 1. art. 1. quest. 2. 3. & 4.

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem & ostendas, & recte intelligas, merito esse insinuatam a scripturis, & Concilio, quod pœnitentia est virtus, seu actus virtutis. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur *Matth. 4.* secundum quod cum dicitur patet in *arg. cons.* A Concilio autem *Trid. sess. 6. c. 6.* "Diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem: hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet. De hac dispositione scriptum est. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum. Denique præparate corda vestra Domino." Hæc ibi. Præparatur enim cor Domino mediis virtutum, seu virtutum actibus. Unde ad hoc designandum inquit D. Aug. in sermone dedicationis. *eccles. Habituaculum cordis nostri evacuatur vitis, & vineis repleatur; claudatur diabolo, & aperiaturo Christo.* Hæc ibi. Item a Conc. eod. *sess. 14. c. 1.* "Fuit quidem, Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi sacramento ablui petivissent, ut, perveritate rejecta, & eliminata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur. Unde Prophetas ait: Convertimini, & agite pœnitentiam, ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas." Hæc ibi. Ex quibus patet, quod Concilium pœnitentiam dicit esse virtutem: dum dicit ipsam esse peccati odium, animique pium dolorem, detestantem offensam Dei: atque facientem, quod iniquitas non sit nobis in ruinam. Universa siquidem hæc, quæ sunt quædam descriptio pœnitentiæ, important electionem quamdam, & actionem, secundum rectam rationem, ut patet consideranti, & hoc est virtus seu actus virtutis, ex 2. *Ethic. citato in sex.* *Secundo* vides: quomodo &c.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod pœnitentia non sit specialis virtus. Eiusdem enim rationis videtur esse gaudere de bonis prius actis, & dolere de malis perpetratis. Sed gaudium de bono prius factio non est specialis virtus, sed est quidam affectus laudabilis ex caritate proveniens, ut patet per Augustinum XIV. de civitate Dei (*implic. cap. VII. VIII. & IX.*) unde & Apostolus I. ad Corinth. XIII. 6. dicit, quod *caritas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Ergo pari ratione nec pœnitentia, quæ est dolor de peccatis præteritis, est specialis virtus, sed est quidam affectus ex caritate proveniens.

2. Præterea. Quælibet virtus specialis habet materiam specialem: quia habitus distinguuntur per actus, & actus per objecta. Sed pœnitentia non habet materiam specialem: sunt enim ejus materia peccata præterita circa quamcumque materiam. Ergo pœnitentia non est specialis virtutis.

3. Præterea. Nihil expellitur nisi a suo contrario. Sed pœnitentia expellit omnia peccata. Ergo contrariatur omnibus peccatis. Non ergo est specialis virtus.

Sed contra est quod de ea datur speciale legis præceptum, ut supra habitum est (*quæst. præc. art. 5. & 7.*)

Respondeo dicendum, quod, sicut in secunda parte habitum est (*1. 2. quæst. liv. art. 1. ad 1. & art. 2.*) species habituum distinguuntur secundum species actuum: & ideo ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem quod in pœnitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensam, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Unde necesse est ponere quod pœnitentiæ est specialis virtus.

Ad primum ergo dicendum, quod a caritate derivatur aliquis actus dupliciter. Uno modo sicut ab ea elicitus: & talis actus virtuosus non requirit aliam virtutem præter caritatem; sicut diligere bonum, gaudere de eo, & tristiari de oppposito. Alio modo aliquis actus a caritate procedit, quasi a

caritate imperatus: & sic quia ipsa imperat omnibus virtutibus, utpote ordinans eas ad finem suum, actus a caritate procedens potest etiam ad aliam specialem virtutem pertinere. Si ergo in actu pœnitentis consideretur sola displicentia peccati præteriti, hoc immediate ad caritatem pertinet, sicut & gaudere de bonis præteritis; sed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti requirit specialem virtutem sub caritate.

Ad secundum dicendum, quod pœnitentia habet quidem realiter generalem materiam, in quantum respicit omnia peccata, sed tamen sub ratione speciali, in quantum scilicet sunt emendabilia per actum hominis cooperantis Deo ad suam justificationem.

Ad tertium dicendum, quod quælibet virtus specialis formaliter expellit habitum vitii oppositi, sicut albedo expellit nigredinem ab eodem subiecto; sed pœnitentia expellit omne peccatum effective, in quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex divina gratia, homine cooperante. Unde non sequitur quod sit virtus generalis.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, quod pœnitentia est specialis virtus. Ut per hoc, quod dicitur Mat. 4. *Pœnitentiam agite.* Ibi enim patet, quod de ea datur mandatum speciale. Correspondens siquidem solent mandata virtutibus ita, ut ad virtutes generales exercendas sufficiat dare mandata generalia, ad exercendam autem speciales requiratur speciale mandatum, ut etiam apparet in humanis legibus per quotidianam experientiam. Vide 2. 2. 9. 58. a. &c. item per hoc, quod de homine, qui peccato speciali peccavit dicitur Lev. 5. *agat pœnitentiam pro peccato, & offerat de gregibus agnum, sive capram.* Et similiter per multa capitula *ly. Levitici*, imponitur speciale quid pro pœnitentia diversorum specialium peccatorum correspondenter. Ex isto enim exteriori facto, tamquam per figuram, ostenditur aliquod interius, scilicet quod cordialis pœnitentia est virtus specialis. Quod autem a factis antiquiorum, tamquam a figuris, liceat argumentari valide ad aliquid interius, seu in novo requisitum: habes ex Concilio *Hispalensi* 2. prout refertur in *Veritatibus aureis* super totam legem veterem, *Levit. 3. conclus. 2.*

Item per hoc, quod pœnitentia specialiter describitur, Hierem. 2. *Scio, & vide, quia malum, & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Ecce dolor, seu displicentia de peccato præterito, Et Apocal. 2. *Memor esto, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Ecce intentio operandi ad destructionem peccati commissi; Et facit Luc. 3. *facite fructus dignos pœnitentiae.* Ecce idem: secundum proportionem tamen correspondentem ad gravitatem peccati. Quod & clarius habetur in Pl. 79. *sibabis nos pane lachrymarum, & posum dabis nobis in lachrymis in mensura.* Dixi *ly clausus*, propter *ly in mensura*: id quod valde notandum est in pœnitentia. Et Psalm. 3. *Revela. Domine viam tuam; & spera in eo.* Ecce, spes veniæ consequendæ per misericordiam Dei: in revelando ei per pœnitentiam interiorum viam nostram, illam sc. de qua dicitur Isa. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine anime mee. Secundo vides: quomodo &c.*

ARTICULUS III. 522

Utrum virtus pœnitentiae sit species iustitiæ.

Inf. ars. 6. cor. & IV. dist. XIV. quest. 1. ars. 1. quest. 4. art. 4. & quest. 5. & dist. XV. quest. 1. ars. 1. quest. 3. ad 4.

AD tertiam sic proceditur. Videtur quod virtus pœnitentiæ non sit species iustitiæ. Iustitia enim non est virtus theologica, sed moralis, ut in secunda parte patet (1. 2. quest. lxxi. art. 3.) Pœnitentia autem videtur esse virtus theologica; quia habet Deum pro objecto; satisfacit enim Deo, cui etiam reconciliat peccatorem. Ergo videtur quod pœnitentia non sit species iustitiæ.

2. Præterea. Iustitia, cum sit virtus moralis, consistit in medio. Sed pœnitentia non consistit in medio, sed in quodam excessu, secundum illud Hieremix vs. 26. *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* Ergo pœnitentia non est species iustitiæ.

3. Præterea. Duz sunt species iustitiæ, ut dicitur in V. Ethic. (cap. iv.) scilicet *distributiva, & commutativa.* Sed sub neutra videtur pœnitentia contineri. Ergo videtur quod pœnitentia non sit species iustitiæ.

4. Præterea. Super illud Luc. vi. *Beati qui nunc stetit*, dicit Glossa (ordin. Bedæ

de (1) " Ecce prudentia, qua ostenditur quam hæc terrena sint misera, & quam beata, cœlestia. " Sed flere est actus pœnitentiæ. Ergo pœnitentia magis est species prudentiæ quam iustitiæ.

Sed contra est quod Augustinus dicit in Lib. de pœnitentia (alius Author de vera & falsa pœnit. cap. viii. a med. & cap. xix.) *Pœnitentia est quedam dolentis vindicta, semper puniens in se quod dolet commississe.* Sed vindictam facere pertinet ad iustitiam: unde Tullius in sua Rethorica (Libr. II. de invent. aliquant. ante fi.) ponit vindicativam unam speciem iustitiæ. Ergo videtur quod pœnitentia sit species iustitiæ.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. præc. ad 2.) pœnitentia non habet quod sit virtus specialis ex hoc solo quod dolet de malo perpetrato (ad hoc enim sufficeret caritas;) sed ex eo quod pœnitens dolet de peccato commisso; in quantum est offensa Dei cum emendationis proposito. Emendatio autem offensa contra aliquem commissa non fit per solam cessationem offensa; (2) sed exigitur ulterius quedam recompensatio, quæ habet locum in offensa in alterum commissis, sicut & retributio: nisi quod recompensatio est ex parte eius qui offendit, utpote cum satisfacit; retributio autem est ex parte eius in quem est offensa commissa. Utrumque autem ad materiam iustitiæ pertinet, quia utrumque est commutatio quedam. Unde manifestum est quod pœnitentia, secundum quod est virtus, est pars iustitiæ.

Sciendum tamen est, quod secundum Philosophum in V. Ethic. (3) dupliciter dicitur iustum, scilicet simpliciter, & secundum

quid. Simpliciter quidem iustum est inter æquales: eo quod iustitia est æqualitas quedam, quod ipse vocat iustum politicum, vel civile; eo quod omnes cives æquales sunt quantum ad hoc quod immediate sunt sub Principe, sicut liberi existentes. Iustum autem secundum quid dicitur quod est inter illos quorum unus est sub potestate alterius; sicut servus sub domino, filius sub patre, uxor sub viro. Et tale iustum consideratur in pœnitentia. Unde pœnitens recurrit ad Deum cum emendationis proposito, sicut servus ad dominum, secundum illud Psal. cxxi. 2. (4) *Sicut oculi servorum in manibus domini sunt suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri: & sicut filius ad patrem, secundum illud Luc. xv. 21. *Pater peccavi in cœlum, & coram te: & sicut uxor ad virum, secundum illud Hierem. lxxi. 1. *Fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me: dicit Dominus.***

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut in V. Ethic. (cap. 1. vers. fin.) dicitur, iustitia est virtus ad alterum: (5) ille autem ad quem est iustitia, non dicitur esse materia iustitiæ, sed magis res quæ distribuatur, vel commutantur. Unde & materia pœnitentiæ non est Deus, sed actus humani, quibus Deus offenditur, vel placatur; sed Deus se habet sicut ille ad quem est iustitia. Ex quo patet quod pœnitentia non est virtus theologica, quia non habet Deum pro objecto, vel materia.

Ad secundum dicendum, quod medium iustitiæ est æqualitas, quæ constituitur inter illos inter quos est iustitia, ut dicitur in V. Ethic. (cap. 1. & v.) In quibusdam autem non po-

(1) Bedæ nomine prænotata, sed eam Beda ex Ambrosio sumpsit verbis paululum immutatis dicente: *Habet prudentiam, cuius est flere occidua & æterna querere: Itemque sic: Reati qui per prudentiam flere occidua & ad æterna norunt abelare.* Quod autem Augustini nomine subiungitur velut ex libro de pœnitentia, subintellige *vera & falsa* sicut supra, cuius adulterinus alius author inter opera supposititia reicitur ad finem tomi 4.

(2) Juxta prædictam Concilii Tridentini doctrinam quæ plenius etiam infra pro satisfactione versabitur, cum de illiusmet necessitate, agendum erit.

(3) Non sicut prius ad marginem cap. 6. sed cap. 10 græco-lat. vel in antiquis cap. 11. & apud S. Thomam lect. 11. Quod autem iustitia sit æqualitas quedam ex prædicto cap. 6. tum in græcolatinis tum in antiquis colligitur.

(4) Quod eo fere sensu explicat Augustinus & ad flagella Dei pro peccatis applicat: *Vapulas Adam, inquit, sed ita multi obdurerunt ut nec sentiant*

suas plagas. Ut & Cassiodorus: *Quando pro culpis vapulans iabentur (inquit) donec audiant, parco.*

(5) Quasi ad altetius usum sive utilitatem ordinata; quia non nisi propter alterum exercetur; ut cap. 3 tum in græco-latinis tum in antiquis videre est: Hinc *alienum bonum* inferius dicitur, ut notatum est suo loco. Sequentes autem appendixes ex Ethic. 5. & 8. tum ex capite 6. ut jam supra sumuntur, tum ex cap. 16. sive ultimo respectivè: *Quamvis posteriori loco non refertur ad iustitiam, ut hic, sed ad amicitiam. Sit enim ibi: Quod pro dignitate fit, amicitiam adæquat & conservat: Ita igitur etiam cum inæqualibus versandum est: Quod enim fieri potest, non quod pro dignitate fit, amicitia exigit: Quippe quod pro dignitate fit, non in omnibus inest; sicut in honoribus qui diis aut parentibus exhibentur. Nemo enim refertur vltis dignitatem graviam posse; sed qui pro viribus colitur, is esse probus videtur, &c. vel juxta græcum in iuxta æquitate conscientiam, &c.*

potest perfecta æqualitas constitui propter alterius excellentiam, sicut inter patrem & filium, aut inter Deum & hominem, ut Philosophus dicit in VIII. Ethic. (cap. ult.) unde in talibus ille qui est deficiens, debet facere quicquid potest. Nec tamen hoc erit sufficiens simpliciter, sed solum secundum acceptationem superioris: & hoc significatur per excessum, qui attribuitur pœnitentiæ.

Ad tertium dicendum, quod sicut est commutatio quædam in beneficiis, cum scilicet aliquis pro beneficio recepto gratiam rependit; ita etiam est commutatio in offensis, cum aliquis pro offensa in alterum commissa vel invitus punitur, quod pertinet ad vindictivam justitiæ; vel voluntarie recompensat emendam, quod pertinet ad pœnitentiæ, quæ respicit personam peccatoris, sicut justitia vindictiva personam judicis. Unde manifestum est quod utraque sub justitia commutativa continetur.

Ad quartum dicendum, quod pœnitentiæ licet sit directæ species justitiæ, comprehendit tamen quodammodo ea quæ pertinent ad omnes virtutes: in quantum enim est justitia quædam hominis ad Deum, oportet quod participet ea quæ sunt virtutum theologiarum, quæ habent Deum pro objecto. Unde pœnitentiæ est cum fide passionis Christi, per quam justificamur a peccatis, & cum spe veniæ, & cum odio vitiorum, quod pertinet ad caritatem. In quantum vero est virtus moralis, participat aliquid prudentiæ, quæ est directiva omnium moralium virtutum: sed ex ipsa ratione justitiæ non solum habet id quod justitiæ est, sed etiam ea quæ sunt temperantiæ, & fortitudinis, in quantum scilicet ea quæ delectationem causant ad temperantiæ pertinentem, vel terrorem incutiunt, quem fortitudo moderatur, in communionem justitiæ veniunt. Et secundum hoc ad justitiæ pertinet & abstinere a delectabilibus, quod pertinet ad temperantiæ, & sustinere vana, quod pertinet ad fortitudinem.

bis, scilicet, satisfactorias pœnas sponte sumendo, ageremus: non utique a Domino in vindictam peccatorum nostrorum castigaremur. Id, quod litteraliter ab oppositis dictum fuerat Eccles. secundo: *Si pœnitentiæ non agerimus, incidemus in manus Domini.* Clarum etenim est, quod hoc verbum judicare pertinet ad justitiæ: *secunda secunda, quæst. 60. art. 2. 5.* Apostolus ergo, dum in casu pœnitentiæ utitur hoc verbo judicare, monstrat eo ipso, quod pœnitentiæ virtus est pars justitiæ. A Concilio autem *Trid. sess. 14. cap. 9. Docet præterea, tantam esse divinæ munificentie largitatem, ut pœnis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis aquod Deum patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.* Hæc ibi: Pœnæ enim sponte susceptæ, ut patet ex textu corp. pertinent ad pœnitentiæ virtutem: & hæc pœnæ, secundum Concilium, assumuntur pro vindicando peccato. Cum ergo vindicta sit pars justitiæ, 2. 2. *quæst. 108. art. 2.* patet, quod pœnitentiæ virtus, secundum concilium, est pars justitiæ. Sed & nomen satisfactio, quo utitur concilium, pertinet ad justitiæ, ut patet. Et notat, quod hujusmodi justitiæ satisfactionum pœnitentiæ virtutis attendi secundum acceptationem divinæ bonitatis, ut habetur ex text. *ad secundum, ostendit aperte concilium ipsum per ly tantam esse divinæ munificentie largitatem, & per ly per Christum Jesum. Secundo habes & ex articuli ratione, & ex prædictis hic autoritatibus; quod hæretici negantes opera satisfactio, sive pœnitentiæ virtutem requiri necessario ad salutem peccatoris, dicunt per hoc, quod aliquis potest salvari sine justitiæ, ut patet considerantibus ex præmissis terminos ly pœnitentiæ ly satisfactio. Id, quod manifestissime est contra totam sacram scripturam, quæ semper injustos damnat: tantum abest, ut secundum veritatem ipsius possint salvari sine justitiæ. Tertio vides: quomodo &c.*

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, & recte intelligas, merito esse insinuatam a scripturis, Concilio, & Augustino, quod pœnitentiæ est pars justitiæ. A D. August. quidem, ut cum discursu ponitur in arg. consr. A scripturis vero per hoc quod dicitur 1. Corinth. 1. *Si nos ipsos judicaremur, non usque a Domino judicaremur.* Hoc est, si nos pœnitentiæ spontaneam de nobis

A R T I C U L U S I V. 523

Utrum voluntas sit proprie subiectum pœnitentiæ.

IV. dist. XIV. quæst. II. art. 3. quæst. 3. per 10. & quæst. 4. cor.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod subiectum pœnitentiæ non sit proprie voluntas. Pœnitentiæ enim est tristitiæ species. Sed tristitia est in concupiscibili, sicut

& gaudium. Ergo pœnitentia est in concupiscibili.

2. Præterea. Pœnitentia est vindicta quædam, sicut Augustinus dicit in Lib. de pœnitentia (loc. cit. art. præc.) Sed vindicta videtur ad irascibilem pertinere, quia ira est appetitus vindictæ. Ergo videtur quod pœnitentia sit in irascibili.

3. Præterea. Præteritum est proprium objectum memoriæ, secundum Philosophum in Lib. de memoria (cap. 1. a princ. (1) Sed pœnitentia est de præterito, ut dictum est (art. 1. hu. quæst. ad 2. & ad 3.) Ergo pœnitentia est in memoria sicut in subiecto.

4. Præterea. Nihil agit ubi non est. Sed pœnitentia excludit peccatum ab omnibus viribus animæ. Ergo pœnitentia est in qualibet vi animæ, & non in voluntate tantum.

Sed contra. Pœnitentia est sacrificium quoddam, secundum illud Psal. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* (2) Sed offerre sacrificium est actus voluntatis, secundum illud Psal. 111. 8. *Voluntarie sacrificabo tibi.* Ergo pœnitentia est in voluntate.

Respondendo dicendum, quod de pœnitentia dupliciter loqui possumus. Uno modo secundum quod est passio quædam: & sic, cum sit species tristitiæ, est in concupiscibili sicut in subiecto. Alio modo secundum quod est virtus: & sic, sicut dictum est (art. præc.) est species iustitiæ. Iustitia autem, ut in secunda parte habitum est (1. 2. quæst. lvi. art. 6.) habet pro subiecto appetitum rationis, qui est voluntas. Unde manifestum est quod pœnitentia, secundum quod est virtus est in voluntate sicut in subiecto; & proprius ejus actus est propositum emendandi illud quod contra Deum commissum est.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de pœnitentia, secundum quod est passio.

Ad secundum dicendum, quod vindictam appetere ex passione de alio, pertinet ad irascibilem; sed appetere, vel facere vindictam ex ratione de se, vel de alio, pertinet ad voluntatem.

Ad tertium dicendum, quod memoria est
Summ. S. Tb. Tom. XII.

vis apprehensiva præteriti. Pœnitentia autem non pertinet ad vim apprehensivam, sed ad appetitivam, quæ præsupponit actum apprehensivæ. Unde pœnitentia non est in memoria, sed præsupponit eam.

Ad quartum dicendum, quod voluntas, sicut in prima parte habitum est (quæst. lxxxii. art. 4. & 1. 2. quæst. ix. art. 1.) movet omnes alias potentias animæ: & ideo non est inconveniens, si potentia in voluntate existens aliquid in singulari potentiis animæ operetur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse infirmatum a scripturis, quod pœnitentia est in voluntate, tamquam in subiecto, idest tamquam in elicente actum pœnitentiæ. Ut per dictum Ps. 50. *Sacrificium &c.* Simul cum dicto Ps. 53. *Voluntarie, &c.* secundum quod ponuntur cum discursu in *arg. 20.* Ubi nota, quod propheta loquitur de voluntate, ut elicit ipsum sacrificium, non de ea, ut solum imperat actum idest, ut illud fiat. His quippe duobus modis aliquid est a voluntate factum, ut patet ex 1. 2. quæst. 11. &c. & quæst. 17. art. &c. Cum enim loquatur ibi de interiori sacrificio, ut constat ad litteram, & postea nihil aliud, nisi voluntatem, assignet, ad offerendum illud sacrificium, consequens est, quod ipsam, tamquam elicentem actum hunc introducat, non tamquam imperantem. Nam, si eam, ut imperantem, induceret, assignandum erat primum sacrificii talis elicivum; cui postea voluntas ipsa impetaret, ut eliceret actum hunc. Item per hoc, quod ad pœnitentiam virtutem Propheta Joel exhortans ex persona Domini dicit cap. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, & scindite corda vestra.* Non enim cordis intelligitur voluntas: quoniam, sicut cor est principium movens omnes partes corporis, ita voluntas est principium a seive movens omnes vires animæ, 1. quæst. 82. art. 4. Item per hoc, quod volens ostendere Dominus animam, cui tunc loquebatur, esse

(1) Ubi Neque futurum meminisse cœgit (inquit) sed sperare vel opinari; neque præsens etiam quod sub sensum potius cadit; sed præteritum.

(2) Quod sic interpretatur Cassiodorus ibi: Postquam dixit Propheta quemam sacrificia Deus respicit, modo dicit illa quæ possit: *Isud enim sacrificium damus Deo, spiritum superbia confessionis humilitate maculatum, unde non sanguis egreditur, sed lacrymarum fluentia decurrunt: Nam spiritus iste quando*

est laesus, nos obligat (idest obnoxios peccato facit) quando est secundum Deum contribulatus, ubi solvis: Sacrificium quoque contriti cordis appellat Augustinus lib. 2. contra Cresconium cap. 12. ubi ait sacrificio contriti cordis eos mundari qui resipiscunt ab errore: Sed latinus interpretatur Theodoratus de modestia tantum animi, quæ ad pœnitentiam tamen referri potest.

esse impœnitentem, dicit Hier. 3. *Noluiti erubescere*. Item per hoc, quod Apostolus attribuit contrarium pœnitentiæ, idest impœnitentiam, cordi: Roman. 2. *Secundum aures duritiam suam, & impenitens cor*. Cum ergo contraria habeant fieri circa idem subjectum (ut ait Philoſophus) consequens est, quod per illa verba Apostoli ponatur pœnitentia in corde, tamquam in subjecto. *Secundo* vides: quomodo &c.

ARTICULUS V. 524

Utrum principium pœnitentiæ sit ex timore.

IV. dist. XIV. quæst. 1. art. 2. quæst. 1. per tot. & quæst. 2. cor.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod principium pœnitentiæ non sit ex timore. Pœnitentia enim incipit in displicentia peccatorum. Sed hoc pertinet ad caritatem, ut supra dictum est (art. 3. hu. quæst.) Ergo pœnitentia magis oritur ex amore quam ex timore.

2. Præterea. Ad pœnitentiam homines provocantur per expectationem regni cœlestis, secundum illud Matth. III. & IV. 17. *Pœnitentiam agite, appropinquabis (1) enim regnum cœlorum*. Sed regnum cœlorum est objectum spei. Ergo pœnitentia magis procedit ex spe quam ex timore.

3. Præterea. Timor est quidam actus interior hominis. Pœnitentia autem non videtur in nobis esse ex opere hominis, sed ex opere Dei, secundum illud Hierem. XXXI. 19. *Postquam convertisti me egi pœnitentiam*. Ergo pœnitentia non procedit ex timore.

Sed contra est quod Isa. XXVI. 17. dicitur: *Sicut quæ concepit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus, scilicet per pœnitentiam: &*

postea subditur secundum aliam litteram (LXX. Interpr.) (*) *A timore suo Dominus concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum salutis, idest pœnitentiæ salutis, ut per præmissa patet*. Ergo pœnitentia procedit ex timore. (2)

Respondeo dicendum, quod de pœnitentiæ loqui possumus dupliciter. Uno modo quantum ad habitum: & sic immediate a Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositivè cooperantibus per aliquos actus.

Alio modo possumus loqui de pœnitentia quantum ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur: quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor, secundum illud Thren. III. 21. (3) *Converte nos Domine ad te, & convertemur*: secundus actus est motus fidei: tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur: quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi: quintus actus est motus caritatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, & non jam propter supplicia: sextus actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert.

Sic igitur patet quod actus pœnitentiæ a timore servili procedit sicut a primo motu affectus ad hoc ordinato; a timore autem filiali sicut ab immediato & proprio principio.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum prius incipit homini displicere, maxime peccatori, propter supplicia, quæ respicit timor servilis, quam propter Dei offensam vel peccati turpitudinem, quod pertinet ad caritatem.

Ad secundum dicendum, quod in regno cœlorum appropinquante intelligitur adventus Regis, non solum præmiantis, sed etiam

(1) Ut ex Bibliis emendatis omnino legendum est, & græce quoque sic habetur ἔγγις non sicut prius ex corruptis Bibliis, *appropinquabis*: Significatur enim appropinquasse jam eo ipso quod Christus venit.

(2) *Vulgata* sic facti sumus a facie tua, Domine. *Concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum: salutes non fecimus in terra &c.*

(3) Huc pertinere potest quod Augustin. *Traçt. 8. in epistolam I. Joannis* ait: *Capit aliquis credere diem iudicii: Si capit credere, capit & timere: Timendo corrigis se; vigilat adversus hostes suos, idest peccata sua: incipit reviviscere interior, &c.*

(4) Seu lamentationum Hieremias quas Græci

Spitus vocant, indeque usurparunt Latini: *Threnas*. Locum autem hunc sic Tridentinum Concilium *Sess. 6. cap. 5. in præsentem usurpat sensum: Declarat præterea (sancta Synodus) justificationis exordium in adultis a Dei per Jesum Christum prævenientis gratia sumendum esse: ita ut neque homo nihil omnino agat, neque tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram illo libera voluntate possit: Unde cum dicitur, Zach. 1. vers. 3. Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostra admonemur: Cum respondemus (Threnorum 5. 5.) Converte nos, &c. Dei nos gratia præveniri festinemus.*

Iam punientis. Unde & Matth. III. 7. Joannes Baptista dicebat : *Prognies viperarum , quis demonstravit vobis fugere a ventura ira ?*

Ad tertium dicendum , quod ipse etiam motus timoris procedit ex actu Dei convertentis cor : unde dicitur Deuter. v. 29. *Quis det eos talem habere mentem ut timeant me ?* Et ideo per hoc quod poenitentia a timore procedit , non excluditur quin procedat ex actu Dei convertentis cor .

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo : quomodo per rationem interitas hæreses *Lutheri* dicentis : quod poenitentia , quæ ex timore gehennæ oritur , est non solum inanis , sed etiam noxia , & pestifera . Et tamquam ad principium viae , se , viam totam impediturus , ponens , idest , principium poenitentiae , scilicet , displicentiam , seu dolorem , seu contritionem (quæ tria in idem redeunt) præcludere volens , ad dentis , quod contritio , quæ paratur per discussionem , collectionem , & detestationem peccatorum , qua quis cogitat annos suos in amaritudine animæ suæ , ponderando peccatorum gravitatem , multitudinem , foeditatem , amissionem æternæ beatitudinis , & acquisitionem æternæ damnationis , facit hominem hypocritam , imo magis peccatorem . *Secundo* habes : quomodo per rationem ostendas , illas merito damnari ab Eccles. 1. *Timor Domini expellit peccatum* : nam , qui sine timore est , non poterit justificari . Item a Luc. 12. *Time te cum , qui postquam occideris , habet potestatem mittere in gehennam . Ita dico vobis : hunc time .* Item ab Apocal. 14. *Time Deum , & date illi honorem : quia venit hora judicii ejus .* Ubi ex ipsa litterali serie constat , quod timere Deum etiam timore servili , quem manifeste importat ly *quia venit hora judicii ejus* , est dare ipsi Deo honorem . Id , quod & per experientiam patuit . Nam sanctus Vincentius magnus prædicator ordinis Prædicatorum , cui ideo pro insigni suo ascribitur iudicium , quia scilicet prædicabat specialiter de hora venturæ judicii Dei , profecit in tantum animarum fructum , sic eis timorem Domini incutiendo , ut Ecclesia sancta de hoc in festi ejus collecta dicat ; *Deus , qui gentium multitudinem mira . B. Vincentii confessoris tui prædicatione ad agnitionem sui nominis venire tribuisti .* Et bene inquit , *gentium multitudinem* , quoniam (ut legitur in vita ejus ab Eccl. recepta) Judæor. supra viginti quinque millia , Saracenor. octo

millia , aliorumque flagitiosorum hominum innumerabilem multitudinem ad Deum convertit . Sicut ergo time te Deum , timore etiam servili , est dare illi honorem (secundum scripturam sacram) ita ab oppositis peccatores non sic timere Deum est illos non dare , seu subtrahere illi honorem , id , quod *Lutherus* illis suis hæresibus in tot millibus hominum sibi credentium (experientia teste fecit .) Item merito damnari a Concil. *Trident.* sess. 6. c. 6. „ Disponuntur autem ad ipsam „ justitiam , dum excitati divina gratia , & „ adjuti , fidem ex auditu concipientes libere „ moventur in Deum , credentes vera „ esse , quæ divinitus revelata , & promissa „ sunt , atque illud in primis , a Deo justificari „ impium per gratiam ejus , per redemptionem , quæ est in Christo JESU : & dum „ peccatores se esse intelligentes a divinæ „ justitiæ timore , quo utiliter concutiuntur , „ ad considerandam Dei misericordiam se „ convertendo in spem eriguntur , fidentes , „ Deum sibi propter Christum propitium fore : illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt , ac propterea moventur adversus peccata per odium , & detestationem , hoc est , per poenitentiam : denique , dum proponunt inchoare novam „ vitam , & servare divina mandata „ . Hæc ibi . Ubi patet , timorem servilem , qui est timor divinæ justitiæ utiliter nos concutiens , esse viam ad spem , ad caritatem , ad moveri per detestationem adversus peccata ; ad propositum bonum , scilicet inchoandi novam vitam & servandi mandata divina . Hæc ergo omnia tanta bona auferit *Lutherus* , per hoc quod timorem servilem disuadet hominibus . Quo contra illa nobis tot bona inferre cupit Apostolus per hoc , quod timorem servilem , divini scilicet judicii , inferere conatur hominum eordibus dicens 2. Cor. 5. *Scientes ergo (scilicet , quod omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi ,) &c. timorem Domini hominibus suademas .* Item ab eod. Concil. sess. 14. c. 4. „ Illam contritionem imperfectam , „ quæ attritio dicitur , quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione , vel ex gehennæ , & poenarum metu communiter concipitur (si voluntatem peccandi excludat , & sit cum spe veniæ) declarat , non solum non facere hominem hypocritam , & magis peccatorem ; verum etiam donum Dei esse , & Spiritus sancti impulsu , quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat . Hoc enim timore utiliter concussa Ninivitarum , ad Jonæ prædicationem plenam

terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt. *Hæc ibi.*
Et sess. 6. canon. 8. Si quis dixerit: gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere: anathema sit. *Hæc ibi.* *Et sess. 14. canon. 5.* Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, scditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: demum illam esse dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium: anathema sit. *Hæc ibi.* *Tertio* vides: quomodo &c.

ARTICULUS VI. 535

Utrum pœnitentia sit prima virtutum.

IV. dist. XIV. quest. 1. art. 1. quest. 6. & art. 2. quest. 2.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod pœnitentia sit prima virtutum. Quia super illud Matth. 111. *Pœnitentiam agite*, dicit Glossa (ord.) „Prima virtus est pœnitentiam perimere (1) veterem hominem, & vitia edisse.“

2. Præterea. Recedere a termino prius esse videtur quam accedere ad terminum. Sed omnes aliæ virtutes pertinere videntur ad accessum ad terminum, quia per omnes ordinatur homo ad bonum agendum; pœnitentia autem videtur ordinari ad recessum a malo. Ergo pœnitentia videtur esse prior omnibus aliis virtutibus.

3. Præterea. Ante pœnitentiam est pecca-

tum in anima. Sed simul cum peccato mala virtus animæ inest. Ergo nulla virtus est ante pœnitentiam; sed ipsa videtur esse prima, quæ aliis aditum aperit, excludendo peccatum.

Sed contra est quod pœnitentia procedit ex fide, spe, & caritate (2), sicut jam dictum est (art. præc. & art. 2. hu. quest.) Non ergo est pœnitentia prima virtutum.

Respondeo dicendum, quod in virtutibus non attenditur ordo temporis quantum ad habitus: quia cum virtutes sint connexæ, ut in secunda parte habitum est (1. 2. quest. lxxv. art. 1.) omnes simul incipiunt esse in anima: sed dicitur una earum esse prior altera ordine naturæ, qui consideratur ex ordine actuum, secundum scilicet quod actus unius virtutis præsupponit actum alterius virtutis.

Secundum hoc igitur dicendum est, quod actus quidam laudabiles etiam tempore procedere possunt actum, & habitum pœnitentiæ, sicut actus fidei, & spei informium, & actus timoris servilis; actus autem, & habitus caritatis simul tempore cum actu, & habitu pœnitentiæ, & cum habitibus aliarum virtutum. Nam, sicut in secunda parte habitum est (1. 2. quest. cxiii. art. 3. & 4.) in justificatione impij simul est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei per caritatem formatus, & motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus pœnitentiæ. Horum tamen duorum actuum primus naturaliter præcedit secundum, nam actus virtutis pœnitentiæ est contra peccatum ex amore Dei unde primus actus est ratio, & causa secundi.

Sic igitur pœnitentia non est simpliciter prima virtutum nec ordinis temporis, nec ordinis naturæ: quia secundum ordinem naturæ simpliciter præcedunt ipsam virtutes theologice: sed quantum ad aliquid est prima inter ceteras virtutes ordine temporis, quantum ad ejus actum, qui primus occurrit in justificatione impij; sed ordine natu-

(1) Ut habet Glossa tum nova & impressa tum vetus manuscripta, & ipse S. Thomas 4. Sentent. dist. 14. qu. 1. art. 2. quest. 1. refert, non *summe* ut prius hic per alicujus corruptelam: Est autem allusio ad illud Apostoli ex cap. 4. ad Ephes. *Depone vos veterem hominem*, &c. Nullius porro nomen præfert, nec apud ullum Interpretem occurrit.

(2) *Ex fide* quidem qua peccatorum remissionem in Ecclesia fieri credit; licet non certo credat ea sibi remitti, quia, nec novit certo an ea præstiterit quam ad eorum remissionem requiruntur: Sive gene-

ralius ex fide illa universali qua credit illud omne quod Ecclesia ut a Deo revelatum proponit; quia sine hac fide non est salus: *Ex spe*, sicut explicatum est articulo superiori & Concilium Tridentinum explicat sess. 13. cap. 4. *Ex caritate* vel perfecta vel inchoata quæ propter Deum summe dilectum vel quem diligere incipit, omnem ejus offensam detestatur; ut ex eodem Concilio colligi potest: Sess. 6. cap. 6. Et addi potest, *ex timore*, ut & ibidem explicatur, (Sess. 14. cap. 4.) & præmissum est supra.

raz videntur esse aliz virtutes priores, sicut quod est per se, est prius eo quod est per accidens: nam aliz virtutes per se videntur esse necessariz ad bonum hominis; pœnitentia autem, supposito quodam, scilicet peccato præexistenti, sicut etiam dictum est (quæst. lxxv. art. 2. in corp. & ad 4.) circa ordinem sacramenti pœnitentiæ ad alia sacramenta prædicta.

Ad primum ergo dicendum, quod Glossa illa loquitur quantum ad hoc quod actus pœnitentiæ primus est tempore inter actus aliarum virtutum moralium (1).

Ad secundum dicendum, quod in motibus successivis recedere a termino est prius tempore quam pervenire ad terminum, & prius natura quantum est ex parte subjecti, sive secundum ordinem causæ materialis; sed secundum ordinem causæ agentis, & finalis prius est pervenire ad terminum: hoc enim est quod primo agens intendit. Et hic ordo præcipue attenditur in actibus animæ, ut dicitur in II. Physic.

Ad tertium dicendum, quod pœnitentia aperit aditum virtutibus, expellendo peccatum per virtutem fidei, spei, & caritatis, quæ sunt naturaliter priores; ita tamen aperit eis aditum quod ipsæ simul intrant cum ipsa: nam in justificatione impii simul cum motu liberi arbitrii in Deum, & in peccatum, est remissio culpæ, & infusio gratiæ, cum qua simul infunduntur omnes virtutes, ut in secunda parte habitum est (1. 2. quæst. lxxv. art. 3.)

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem & ostendas, & recte intelligas, merito esse insinuatam a scripturis, & a concilio, quod pœnitentia est, & non est prima inter virtutes. A scripturis quidem, quod sit, insinuat per hoc, quod tam Christi præcursor, *Matth. 3.* quam Christus, *Matth. 4.* in primo suæ prædicationis ingressu dicunt, *Pœnitentiam agite.* Prædicatio enim ordinatur (ut patet) ad inferendum

virtutes peccatoribus auditorum: & uterque illorum, maxime Christus, ad faciendum homines virtuosos venerat. Ab eisdem quoque scripturis, quod non sit, insinuat per hoc, quod ponunt, fidem esse primum fundamentum totius boni, & propterea priorem aliis virtutibus, inter quas est pœnitentia. Ut per ly *fides est substantia sperandarum rerum*, Hebr. 11. & per ly *accidentem ad Deum oportet credere*, ibidem. A Concilio autem *Trid.* quod non sit prima, insinuat *sess. 6. cap. 6.* ut recitatur sup. *art. 5. append.* Patet siquidem ibi ex ordine litteræ concilii, quod *fides*, *spes*, *caritas*, seu *fidei*, *spei*, atque *caritatis* actus præcedunt pœnitentiam formaliter dictam, idest perfectum odium (*Psalm. 138.*) seu meritoriam detestationem peccati, & firmum propositum inchoandi novam vitam per observationem mandatorum Dei. *Secundo* vides: quomodo &c.

Q U Æ S T I O LXXXVI.

De effectu pœnitentiæ quoad mortalium peccatorum remissionem,

In sex articulos divisa.

DEinde considerandum est de effectu pœnitentiæ: & primo quantum ad remissionem peccatorum mortalium; secundo quantum ad remissionem peccatorum venialium; tertio quantum ad reditum peccatorum dimissorum; quarto quantum ad restitutionem virtutum.

Circa primum quæruntur sex.

Primo, utrum omnia peccata mortalia per pœnitentiam auferantur.

Secundo, utrum possint sine pœnitentia tolli.

Tertio, utrum unum possit remitti sine alio.

Quarto, utrum pœnitentia auferat culpam, remanente reatu.

Quinto, utrum remaneant reliquæ peccatorum.

Sexto, utrum auferre peccatum sit effectus pœ-

(1) An propterea forte Glossa prædicta *perimora veterem hominem* dixit, quo morum corruptio significari ab Apostolo solet, ac *visia edisse* quæ virtutibus moralibus intelliguntur opposita? Hinc enim vetus homo ad Eph. 4. *qui corrumpitur secundum desideria erroris*, hoc est *pristina visia sequens*, ut ibidem explicat Glossa; iterumque ad Coloss. 3. ver. 9. eius actus dicuntur ea quæ pertinent ad morum

corruptelam: Tametsi Glossam illam intelligendo absolute ut verba sonant & ut ex ibidem adjunctis implicite colligi potest, intelligetur actus pœnitentiæ qualicumque virtute prior in genere causæ materialis tantum sive dispositivæ; quasi ultima dispositio ad gratiam ex qua resultat omnis virtus & cum qua simul infunditur, ut mox dicitur ad 2. & qu. 89. art. 1. ad 2. patebit expressius.

pœnitentiæ, in quantum est virtus, an in quantum est sacramentum.

ARTICULUS I. 526

Utrum per pœnitentiam omnia peccata remoueantur.

Inf. quest. lxxxvi. art. 1. & IV. dist. xiv. quest. 11. art. 1. quest. 1. & dist. xvi. quest. 1. art. 2. quest. 3. & III. con. cap. clvi. & op. 11. cap. cxlvi.

AD primum sic proceditur. Videtur quod per pœnitentiam non omnia peccata remoueantur. Dicit enim Apostolus Hebr. xii. 17. quod *Esau non inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam*: Glossa (interl.) idest, „ non inuenit „ locum veniæ, & benedictionis per pœnitentiam: „ & II. Machab. ix. 13. dicitur de Antiocho: *Orabat scelestus (*) Deum, a quo non erat misericordiam consecuturus*. Non ergo videtur quod per pœnitentiam omnia peccata tollantur.

2. Præterea. Augustinus dicit in Lib. I. de sermone Domini in monte (†) quod *tanta labor est illius peccati, scilicet cum post agnitionem Dei per gratiam Christi oppugnat aliquis fraternitatem, & aduersus ipsam gratiam inuidia facibus agitur, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiamsi peccatum suum mala conscientia agnosceret, & annuntiare cogatur*. Non ergo omne peccatum potest per pœnitentiam tolli.

3. Præterea. Dominus dicit Matth. xii. 32. *Qui dixerit contra Spiritum sanctum verbum, (2) non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro*. Non ergo omne peccatum remitti potest per pœnitentiam.

Sed contra est quod dicitur Ezech. xviii. 22. *Omnium iniquitatum ejus quas operatus est,*

non recordabor amplius.

Respondeo dicendum, quod hoc quod aliquid quod peccatum per pœnitentiam tolli non possit, potest contingere dupliciter: uno modo quia aliquis de peccato pœnitere non possit; alio modo quia pœnitentia non possit delere peccatum. Primo quidem modo non possunt per pœnitentiam deleri peccata demonum, & etiam hominum damnatorum: quia affectus eorum sunt confirmati in malo, ita quod non potest eis displicere peccatum, in quantum est culpa, sed solum displicet eis pœna quam patiuntur, ratione cujus aliquam pœnitentiam, sed infructuosam habent, secundum illud Sap. v. 3. *Pœnitentiam agentes, & pro angustia spiritus gementes.* (3) Unde talis pœnitentia non est cum spe veniæ, sed cum desperatione. Tale autem non potest esse aliquod peccatum hominis viatoris, cujus liberum arbitrium flexibile est ad bonum, & ad malum. Unde dicere, quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis pœnitere non possit, erroneum est: primo quidem quia per hoc tolleretur libertas arbitrii: secundo quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam veriter potest cor cuiuscumque peccatoris ad pœnitendum, secundum illud Proverb. xxi. 1. *Cor Regis in manu Dei, & quocumque voluerit, verset illud.*

Quod autem secundo modo non possit per veram pœnitentiam aliquod peccatum remitti, est etiam erroneum. Primo quidem quia repugnat diuinæ misericordiæ, de qua dicitur Joel. ii. 13. quod *benignus, & misericors est, & patiens, & multa misericordiæ, & prestabilis* (4) *super malitia*: vinceret enim quodammodo Deus ab homine, si homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet. Secundo quia hoc derogaret virtuti passionis Christi, per quam pœnitentia operatur, sicut & cetera sacramenta, cum scriptum sit I. Joan. ii. 2. *Ipsa est propitiatio pro pec-*

(*) *Vulgata Dominum, & mox est.*

(†) Scilicet lib. 3. cap. 22. in modernis Exemplaribus: capi autem 34. in antiquis alia serie quam hic & transposito textu.

(2) Sicut subintelligi debet ex adjunctis, cum præmittatur ibi vers. 32. *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur, &c.* Quod sic Marc. 3. vers. 8. exprimitur: *Omnia dimittantur filiis hominum peccata & blasphemiae quibus blasphemauerint: Qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.*

(3) De illis nempe dictum qui angustiauerunt (id est vexarunt) iustos, & labores eorum abstulerunt:

Unde videntur turbabuntur timore horribili & mirabuntur in subitaneis: inperata salutis, dicentes intra se. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperii: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, &c. Et inferius vers. 14. *Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt hæc.*

(4) Ad præstantiam bonitatis diuinæ peccatorum parentis quidam interpretes referunt; nempe ut præstabilis eo sensu dicatur quo excellens: Græce porro est *μεταβολῆς ἐπὶ τῶν κακῶν*, id est *super malitiis pœnitens*: Quod sic explicat ibi Hieronymus, ut si nos egerimus pœnitentiam super peccatis, ipsum quoque comminationis paniceas, & mala que committimus est non inferat, nostræque mutatione sensentia ipse mutescat.

*peccatis nostris, non solum nostris, sed etiam
assus mundi.*

Unde simpliciter dicendum est, quod omne peccatum in hac vita per pœnitentiam ve- am deleri potest.

Ad primum ergo dicendum, quod Esau non vere pœnituit: quod patet ex hoc quod lixit (Gen. xxvii. 41.) *Veniens dies luctus
tristis mei, & occidam Jacob fratrem meum:* imiliter etiam nec Antiochus vere pœnituit: lolebat enim de culpa præterita, non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem quam patiebatur.

Ad secundum dicendum, quod illud verbum Augustini sic intelligendum est: *Tanta
est labes illius peccati, ut deprecandi humili-
tatem subire non possit*, scilicet de facili; se- cundum quod dicitur ille non posse sanari qui non potest de facili sanari: potest tamen hoc fieri per divinæ gratiæ virtutem, quæ etiam interdum *in profundum maris conver-
is*, ut dicitur in Psal. lxxvi. (1)

Ad tertium dicendum, quod illud verbum, vel blasphemia contra Spiritum sanctum est finalis impœnitentia, ut Augustinus dicit in Lib. de verbis Domini (serm. xi. cap. xii. & xiii.) quæ penitus irremissibilis est, quia post finem hujus vitæ non est remissio peccatorum: vel si intelligatur per blasphemiam spiritus sancti peccatum quod sit ex certa malitia, vel etiam ipsa blasphemia Spiritus sancti, dicitur non remitti, scilicet de facili: vel quia tale peccatum non habet in se cau- sam excusationis: vel quia pro tali peccato punitur aliquis & in hoc seculo, & in fu- turo, ut in secunda parte expositum est (2. 2. quæst. xiv.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per ratio- nem interimas hærefes *Novatianorum*, & *Monastiarum* dicentium: Pœnitere eos non posse, ut remissionem peccatorum consequan- tur, qui semel lapsi sunt in peccatum post baptismum. Et addentium: quod in pecca- tum prolapsi post baptismum non ad pœni- tentiam sunt admittendi, sed ad luporum rapinam, & diaboli prædam projiciendi. Et *Melchioritarum* dicentium: quod, qui post acceptam gratiam voluntarie peccat, num-

quam in gratiam recipi potest: Et quorumdam innominatorum (ut refert Joseph Angles ordinis minorum, in lib. *Flores quæst. theo- log. De sacr. Pœnitent. q. 1. a. 3.*) dicentium: Peccatorum esse certum numerum irremissi- bilem, ita ut qui illum attingat, veniam consequi non possit. *Secundo* habes: quomo- do per rationem ostendas, merito damnari a 2. Paralip. ult. *immensa, & investigabilis misericordia promissionis sue super malitias ho- minum.* Quod dictum, tamquam exponens D. Thomas ait q. 84. a. 10. quod miseri- cordia Dei peccantibus per pœnitentiam veniam præbet absque ullo termino. Item ab Apostolorum cano. 51. *Si quis Episcopus, aut presbyter, eum, qui a peccato reuertitur, non recipit, sed rejicit, deponatur: eo, quod Christum offendat. Qui dixit: ob unum peccato- rem, qui respiciat, gaudium oboriri in Cælo.* Hæc ibi. Et ca. 61. *Si quis clericus per metum vel Ju- dai, vel Græci, vel hæretici, negaverit no- men Christi, ab Ecclesia rejicitur. Pœnitentia tamen ductus, vel laicus recipitur.* Hæc ibi. Item a sancta Ecclesia per hoc, quod cele- brat festum de SS. Francisco, & Marcellino Papa: quorum primus post lasciviam juveni- lem ad tantam postea sanctitatem per pœni- tentiam erectus est, ut stigmatibus Christi ab ipso adhuc vivens corporaliter insigniri promeruerit: alter vero post thurificationem idolis factam, pœnitentia media, gloriosus Dei martyr effectus est. Item a Beato Petro Apostolo per hoc, quod Simoni mago jam baptizato Act. 8. offerenti pecuniam pro emptione gratiæ dandi Spiritum sanctum, dixit: *Pœnitentiam isaque age ab hac nequitia sua.* Patet enim hic, quod post baptismum lapsis in peccatum, etiam maximum, quale est simonia, persuaderi debet pœnitentia, secundum catholicum dogma a principe Apo- stolorum immediate procedens. Item a sa- cto Christi circa ipsum Petrum jam ab eo baptizatum, 3. de Sa. q. 36. art. 6. ad se- cundum. Nam Petrus negaverat Christum. Mat. 26. ideoque mortaliter peccaverat (ut d. S. Doctor *Quodlib. 9. art. 14.*) & tamen Christus non solum ei trinam negationem per ejus veram pœnitentiam remisit, sed & eum in promissam *Matth. 16.* dignitatem pastoralis officii exaltavit, *Joan. 21.* ut dica- mus in eo mirifice adimpletum ly *ubi abun-
davit*

(1) Ubi proinde Augustinus: *Conversis eos (in quit) qui in profundo hujus seculi jacens demorsu videri peccatorum: Quia & subiungit quod si non est convertam, sed convertar, intelligitur hoc dixisse*

Dominam nostrum quod sua misericordia converteretur e mari in profundum maris ad eos liberandos quibus sumus desperatissimi peccatores.

*daui delictum, superabundavit & gratia, Rom. 5. Item ab eodem Christo per hoc, quod Thomæ Apostolo voluntarie, magis, idest obstinatione quadam, non pura fragilitate, ut Petrus, peccanti, Joan. 20. ipse Christus culpam, media pœnitentia, condonavit. Unde intelligendum necessario relinquitor, quod prædictis non obstat illud Hebr. 10. *Voluntarie peccantibus post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitor hostia pro peccatis.* Quem vero sensum genuinum habeant ista verba Apostoli (ut ex abundantia loquamur: quoniam in proposito sufficit, quod non obstat) monstrat expressus Apostoli contextus. Postquam enim dixerat *ly Abluti corpus aqua munda teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem,* mox, paucis interjectis, subjungit, & quidem cum conjunctione causali *ly voluntarie enim peccantibus, &c.* Contextus ergo, addita etiam ibi ad majorem hujus rei claritatem causali, seu rationali conjunctione, demonstrat aperte, quod de baptismo, ubi corpus aqua munda abluitur, intelligitur illa sententia, scilicet: *Voluntarie peccantibus, &c.* Ac si secundum planum sensum litteræ dicat. Abluti corpus aqua munda per baptismum, idest, baptizatis, si postea voluntarie peccent, non relinquitor locus iterum suscipiendi baptismum, tamquam hostiam salutiferam pro delendis ipsis peccatis. Recole datam tibi alias regulam non errandi in rebus fidei, interpretando scripturas, si quæ videantur in contrarium, licet vera non sint, nec esse possint, quandoquidem impossibile omnino est, quod scriptura sacra contrarietur veritati fidei. Regula illa erat; & est, ut semper a notioribus venire conerimur in cognitionem ignotorum, seu minus notorum: non autem e converso, scil. a minus notis ad notiora. Si enim, a minus notis procedas: non cognitionem, sed offuscationem quæris notiorum: quoniam (ut pater) illud, quod est notius, est tamquam lumen respectu minus noti, quod respectu illius est tamquam tenebra, & tenebrarum non est clarificare, sed offuscare lumen, cujus e contra est clarificare, non offuscare tenebras; verbi gratia in proposito. Ab Ecclesia sancta manifestissime habes, quod peccantes post baptismum possunt per veram pœnitentiam consequi veniam (ut SS. Marcellino, & Francisco patuit) habes ab Apostolo quod *voluntarie peccantibus post baptismum non relinquitor hostia pro peccatis.* Siste pedem: & dic. Horum duorum quid est notius? Utique illud, quod Ecclesia tam aper-*

te docet, non solum, quia illum apertum sensum veritatis demonstrat, sed etiam, quia Ecclesia data est nobis a Deo pro regula infallibili veritatis in his, quæ fidei sunt, 2. 2. 9. 5. art. 3. Nam id, quod Apostolus dicit, sensum quidem veritatis in se habet, sed non tam aperte illum demonstrat, imo sub apertis in superflue verbis latet aliquantulum occultum. Rursum Scriptura sacra non est data a Deo pro tam clara nobis regula veritatis, licet & ipsa in se sit infallibilis: sicut data est nobis Ecclesia. In cuius rei signum manifestum Christus scripturis tribuit officium non judicandi, sed testificandi, dicens Joan. 5. *Ille sunt, quæ testimonium perhibent de me, & lex vetus vocatur testimonium, Exod. 40. Posuit testimonium in arca.* Ecclesie autem assignatur a Deo officium judicandi: ut patet & in Veritibus aureis super totam legem veterem, *Levit. 13. concl. 1. Item Deut. 17. concl. 7. & in Conc. Trid. sess. 4. decr. de edit. libr. Nemo in rebus fidei, & morum scripturam sacram interpretari audeat contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia. Cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione scripturarum sanctarum.* Hæc ibi. Sed & quod scriptura sit testis, Ecclesia vero iudex, manifestavit in suis ipsis verbis, dicens sess. 5. decr. de pec. orig. *sacrosancta synodus sacrarum scripturarum testimonia, & Ecclesie judicium secuta, hæc de peccato orig. statuit.* Hæc ibi. Stantibus his, revertere, ad regulam universalem pro dirigendo tuo processu, & dic. Si dictum Ecclesie est notius, quam dictum Apostoli; quomodo mihi in prædicto dubio apparenti, ne errem, est procedendum ad cognoscendum firmiter veritatem? Hoc utique modo, scilicet, ut accipiam pro stabilissimo medio (quod ajunt) seu principio, dictum Ecclesie, & ipso tamquam duce conductus, non declinans ab eo neque a dextris, neque a sinistris, vadam ad inquirendum, quisnam sit verus sensus Apostoli, semper tenendo pro firmo (sicuti est) quod sensus ipsius, dummodo sit verus, non potest importare contrarium ejus, quod docet Ecclesia. Quod, si per meipsum non potero invenire sensum illius Apostolici dicti verum; consulam peritos, seu peritiores. Quod si mihi ad manum non fuerint periti, neque peritiores; interim differetur inquisitio talis dicti, semper tamen in dogmate dato ab Ecclesia firmissime absque ulla formidine contrarii persistendo. Porro de Apostolo quid interim dicam? Utar verbo & sen-

& sensu cōpostolorum suorum non penetrantium verba Christi, quando humiliter, nihil hæsitantes de salutifera veritate magistri, pro exemplo aliorum catholicorum in simili casu quandoque existentium dixerunt; *Nescimus quid loquitur*. Joann. 16. At si oppositum (quod in æternum abñt) prædictæ regulæ universalis faceres, scilicet, propter ignotius tibi dictum Apostoli dubitare, vel leviter de notiori tibi hæctenus doctrina Ecclesiæ, actum est de salute tua; & quoniam dubius in fide infidelis est, & quoniam dubiorum quotidie insurgentium nullus erit finis. Nam remoto iudice, qui Ecclesia est (ut supra) & discordantium ad pacem adducendorum aufertur spes, & discordiis infinitum augendis latissima via aperitur. Exemplum sit de hæreticis, qui quoniam & iudicem, & regulam (de quibus supra) abiciunt: ideo Babylonia omni in rebus fidei confusiores sunt; & semper proficiunt in pejus errantes, & tam se, quam alios in errorem mittentes, 2. *Timoth. versio*. Hæc dicta sint ex occasione respondendi *Novatianis* &c. tali dicto Apostolico ad suum errorem confirmandum abutentibus. Ceterum pro ampliori adhuc earum hæresum damnatione (si placet) vide *pri. par. articulo- rum numero 255. 564. cum elucid. & 2. 2. articulo- rum num. 28. 14. cum elucid. & Addition. articulo- rum num. 43. 260. cum elucid. & Veritates aureas super legem veterem, Genesi 4. conclusi. 17. item cap. 45. concl. 1. item cap. 3. concl. 21. & Num. 15. concl. 2. & Deuter. 20. concl. 1. Tertio vides: quomodo &c.*

ARTICULUS II. 527

Utrum sine pœnitentia peccatum remitti possit.

Inf. art. 3. co. & quæst. lxxxviii. art. 1. cor. & IV. dist. xiv. quæst. 11. ar. 5. & dist. xvi. quæst. 1. art. 2. quæst. 1.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod sine pœnitentia peccatum remitti possit. Non enim est minor virtus Dei circa adultos quam circa pueros. Sed pueris peccata

Summ. S. Tb. Tom. XII.

dimittit sine pœnitentia. Ergo etiam adulti

2. Præterea. Deus virtutem suam sacramentis non alligavit. Sed pœnitentia est quoddam sacramentum. Ergo virtute divina possunt peccata sine pœnitentia dimitti.

3. Præterea. Major est misericordia Dei quam misericordia hominis. (1) Sed homo interdum remittit offensam suam homini etiam non pœnitenti: unde & ipse Dominus mandat Matth. v. 44. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos*. Ergo multo magis. Deus dimittit offensam suam hominibus non pœnitentibus.

Sed contra est quod Dominus dicit Hierem. xviii. 8. *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo quod fecit, agam & ego pœnitentiam* (2) *super malo quod cogitavi ut facerem ei*. Et sic e contrario videtur quod si homo pœnitentiam non agat, Deus ei non remittat offensam.

Respondeo dicendum, quod impossibile est peccatum actuale mortale sine pœnitentia remitti, loquendo de pœnitentia quæ est virtus. Cum enim peccatum sit Dei offensam, eo modo Deus peccatum remittit, quo remittit offensam in se commissam. Offensa autem directe opponitur gratiæ: ex hoc enim dicitur aliquis alteri esse offensus quod repellit eum a gratia sua. Sicut autem habitum est in secunda parte (1. 2. quæst. cx. art. 1.) hoc interest inter gratiam Dei, & gratiam hominis, quod gratia hominis non causat, sed præsupponit bonitatem veram, vel apparentem in homine grato; sed gratia Dei causat bonitatem in homine grato, eo quod bona voluntas Dei, quæ in nomine gratiæ intelligitur (3) est causa omnis boni creati. Unde potest contingere quod homo remittat offensam, qua offensus est alicui, absque aliqua immutatione voluntatis ejus, non autem contingere potest quod Deus remittat offensam alicui absque immutatione voluntatis ejus. Offensa autem peccati mortalis procedit ex hoc quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remissionem divinæ offensæ quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum

V u dete-

(1) Quippe cum rori mane pertransenti Ofem 6. comparetur; quamvis & Hieronymus ad misericordiam Dei referat qua Judæis afflictis per transfennam lumtaxat miserum est.

(2) Non quod proprie pœnitentia in Deo sit, sed,atenus pœnitere dicitur, quia malum non infert quod fuerat antea comminatus; Unde sic ibi Glossa Theodorici: *Ne desperatis* (inquit) *de salute: Non*

est decrepro condemnare gentem, & comminatus fuero supplicium extremum, videro autem pœnitentiam eorum, non inferam supplicium, sed misericordiam desidero.

(3) Juxta triplicem illam acceptionem hujus nominis quæ notata est suo loco 1. 2. quæst. 110. art. 1. & quidem primo ut gratia intelligatur dilectio, qua Deus creaturam vult bonum, &c.

derelatione conversionis prædictæ, (1) & proposito emendæ; quod pertinet ad rationem penitentiz, secundum quod est virtus. Et ideo impossibile est quod peccatum alicui remittatur sine penitentia, secundum quod est virtus.

Sacramentum autem penitentiz, sicut supra dictum est (quæst. lxxxiv. art. 3.) perficitur per officium sacerdotis ligantis, & solvantis, sine quo potest Deus peccatum remittere, sicut remisit Christus mulieri adulteræ, (2) ut legitur Joan. viii. & peccatrici, ut legitur Luc. vii. quibus tamen non remisit peccata sine virtute penitentiz: nam sicut Gregorius dicit in hom. (lxxxiii. in Evang. parum a princ.) *per quam rano intus, scilicet ad penitentiam, quam per misericordiam suscepit foris.*

Ad primum ergo dicendum, quod in pœnis non est nisi peccatum originale, quod non consistit in actuali deordinatione voluntatis, sed in quadam habituali deordinatione naturæ, ut in secunda parte habitum est (l. 2. quæst. lxxxii. art. 1.) & ideo remittitur eis peccatum cum habituali immutatione per infusionem gratiæ, & virtutum, non autem cum actuali. Sed aucto, in quibus sunt actualia peccata, quæ consistunt in deordinatione actuali voluntatis, non remittuntur peccata, etiam in baptismo, sine actuali immutatione voluntatis; (3) quod fit per penitentiam.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de penitentia, secundum quod est sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod misericordia Dei est majoris virtutis quam misericordia hominis in hoc quod immutat voluntatem hominis ad penitendum, quod misericordia hominis facere non potest.

A. P. P. E. N. D. I. X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses *Catharorum* (ut refert Cardinalis Turrecremata, *De Ecclesia lib. 4. c. 35.*) dicentium: Non esse

penitendum de peccatis. Hoc est (ut videtur velle dicere) peccata possunt remitti sine penitentia, seu peccatoribus penitentia non est necessaria. Mitto, quod miselli *Cathari*, se esse sine peccato iactabant: ideo potuerunt scilicet hoc suum dictum de seipsis solum intelligere. Sed, quoniam absolute eorum positio sic jacet. Non est penitendum de peccatis, videlicet, dimissa illa possibilitate, adducimus eam secundum hæresim, pro quanto & presenti avoculo opponitur, & ab eodem validissime exponatur. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari a *Hier.* 13. secundum quod cum dictum ponitur in *arg. base.* Item a *Papa Gelasio*, in epistola ad Faustum magistrum fungentem legationis officio Constantinopoli. Ibi enim docet, nullum absolvi posse ab errore præterito, nisi resipiscat. *Remitti*, inquit, *culpa de præterito potest, correctione sine dubio subsequente. Nam, si mansura perveritas fuerit: non est benignitas remissionis, sed confessionis assensio.* Propter hanc correctionem vide *q. 72. ar. 1. app.* Item a *Luc. 13.* *Nisi penitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Quod quidem dictum tanto magis penitentiz necessitatem peccatoribus ostendit, ac per hoc illam hæresim tanto magis damnat: quanto bis ibi obliquitur. Item a *Luc. 15.* *Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore penitentem agente, quam super 99. iustis, qui non indigent penitentia.* Per hoc enim patet, inferendo ad oppositum, quod peccatores indigent penitentia. Nam, si Christus hoc non præsupponeret de peccatoribus, non esset, quod ad ipsorum differentiam de iustis adderet, quod non indigent penitentia. Suffecisset enim tunc dixisse, quod *magis gaudens Angelus de uno peccatore penitentem agente, quam de 99. iustis.* Addendo igitur *ly qui non indigent penitentia*, monstravit Christus patenter, quod illi, qui non sunt iusti, id est, qui sunt mortali peccato involuti, indigent penitentia. Item a *Luc. 23.* *Pater dimitte illis. Nos quidem iuste: nam digni facti recipimus. Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum. Contra autem, qui*

(1) Quia nimirum ad creaturam vel ad bonum commutabile conversus erat cum peccavit, non conversionis, ut hoc loco Exemplaria quædam habent.

(2) Et olim quidem legebatur, ut ex ipsius Augustini commentaria patet hanc historiam explicantis: quamvis veluti incertam cum Erasmo receptores anticristiani rejiciant; sed retinendam Concilium

Tridentinum definiit sess. 4. æquivalenter cum Librorum canonicorum partes omnes retineri vult.

(3) Nec aliter utique fieri posse per potentiam ipsam extraordinariam & absolutam ex ipso articuli corpore subintelligi debet: quia cum S. Thomas impossibile dicit aliquid quod natum est a solo Deo fieri, subintelligit absolute, ut qu. 1. de pot. art. 4. ex professo explicat.

qui simul adierant, &c. percussiones pectora sua reversebantur. Per hoc enim quod, Christo orante pro peccatoribus non remittuntur peccata illis absque sua ipsorum poenitentia, quae per ly nos quidem, &c. memento mei, &c. per ly percussiones, &c. designatur, patet, a fortiori etiam, quod peccatoribus omnibus, & singulis necessaria est omnino poenitentia ad remissionem peccatorum suorum. Ecce. Si, de quo magis, inquit regula Philosophi, videtur inesse, & non inest: ergo de quo minus videtur inesse, non inest. Applicetur hæc ad propositum præsens, & dicatur. Si Christo etiam corporaliter præsentem, si ipso tum verbis illis, tum factis, scilicet tantæ sanguinis, cum tantis doloribus effusione pro peccatorum venia ad patrem orante, non datur venia alicui illorum sine ipsorum poenitentia, cum tamen, si absque poenitentia posset dari, magis tunc, quam alias unquam, videretur danda, ut cuique sapienti patet; ut ergo pro constanti veritate ex hoc utique relinquatur, quod peccatoribus, quicumque sint illi, numquam poterit dari venia suorum delictorum sine propria ipsorum poenitentia. Quid ergo profuit oratio Christi? Ad hoc (ut ipse intendebat orando) profuit, & quod donatum est illis præambulum poenitentiae necessarium, idest, cognitio proprii peccati, & quod donatum est illis peccatoribus cor contritum, & humiliatum, scilicet poenitentia ipsa, & donatum est simul illis, ut tale donum, idest, poenitentiam acciperent, iuxta illud Psal. 67. accepisti dona in hominibus, & donatum etiam est illis ut poenitentiam ipsam tunc digne exequerentur, & de nique, per ipsam illis donatam poenitentiam condonata est eisdem omnium suorum delictorum venia. Quinque hæc donationes pro ipsis petiit Christus per ly dimittit illis: & ideo veniam illis dandam, non sine, sed cum poenitentia, postulavit. Item merito damnari a Concil. Trid. sess. 17. cap. primo. „ Fuit quidem poenitentia utriusque veris hominibus, qui se mortali aliquo

peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam; & iustitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi sacramento abtui petivissent, ut, perveritate abjecta, tanquam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur. Porro nec ante adventum Christi poenitentia erat sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum. „ Hæc ibi. Quibus in ultimis monstrat aperte, quod, quando poenitentiam fuisse semper, esse, & futuram esse necessariam, dixit, intendebat loqui tanquam de poenitentia, quæ non est sacramentum. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS III. 340

Utrum possit per poenitentiam unum peccatum sine alio remitti.

1. 2. quest. lxxiii. ars. 1. & III. dist. xxxvi. ars. 5. & IV. dist. xv. quest. 1. ars. 5. quest. 1. cor. & dist. xvi. quest. 2. ars. 1. quest. 2. cor. & dist. xviii. quest. 1. ars. 5. quest. 3. ad 1.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod possit per poenitentiam unum peccatum sine alio remitti. Dicitur enim Amos iv. 7. Plui super unam civitatem, & super alteram civitatem non plui: pars vero completa est, & pars super quam non plui, aruit. Quod exponens Gregorius super Ezech. (hom. x. cir. med.) dicit: „ Cum ille qui proximum odit, ab aliis vitis se corrigit; una ex demque civitas ex parte compluitur, & ex parte arida manet: quia sunt qui cum quædam vitia refecant; in aliis graviter perdurant. „ Ergo potest unum peccatum per poenitentiam dimitti sine alio.

2. Præterea. Ambrosius (1) super Psalm. Beati immaculati in via (post explicat. versic. Exitus aquarum &c.) dicit quod prima consolatio est, quia non obliviscitur misereri; Deus; secunda per punitionem; ubi est

V V 2 „ fides

(1) Sicut refertur in Decretis dist. 9. de poenitentia cap. primo. Sed Ambrosius paulo aliter & plenius: Qui sunt in doloribus, consolatione indigent; & qui gravibus ærumnis pœnas commissorum luerunt sperant indulgentiam; & qui flexibus ac lacrymis propria delicta laverunt, requiem promerentur. Et paulo infra: Credientibus igitur in Dominum est in Domini misericordia consolatio: Est etiam aliud consolationis genus in qui graves solverint pœnas, sicut scriptum est in Isaia libro (cap. 40.) Consolamini Hierusalem quia completa est humilitatio eius

etiam (vel malitia eius in vulgata seu afflictio) quia susceptis duplicia peccata sua (scilicet duplicia pro peccatis) de manu Dei: Etiam si fides decet, pœna satisfecerat. Relevantur solutione pœnarum quæ absolventur commendatione misericordiarum: Ex rursus paulo infra: Consolatio igitur prima ordinis est quoniam non obliviscitur Deus facere misericordias neque in æternum proscit, quos putaverit coercendos (Ps. 76. vers. 8.) Secunda quod decursis suppliciis quæ propter peccata nostra calcavimus, ad veniam pervenimus.

„ fides desit , pœna satisfacit , & relevat . “
Potest ergo aliquis relevari ab aliquo peccato , manente peccato infidelitatis .

3. Præterea . Eorum quæ non necesse est esse simul , unum potest auferri sine alio . Sed peccata , ut in secunda parte habitum est (1 . 2 . quæst . lxxiii . art . 1 .) non sunt connexa ; & ita unum eorum potest esse sine alio . Ergo etiam unum eorum potest remitti sine alio per pœnitentiam .

4. Præterea . Peccata sunt debita , quæ nobis relaxari petimus , cum dicimus in oratione dominica : *Dimitte nobis debita nostra &c.* Sed homo quandoque dimittit unum debitum sine alio . Ergo etiam Deus per pœnitentiam dimittit unum peccatum sine alio .

5. Præterea . Per dilectionem Dei relaxantur hominibus peccata , secundum illud Hierem . xxxi . *In caritate perpetua dilexi te : ideo atraxi te miserans .* Sed nihil prohibet quin Deus diligat hominem quantum ad unum , & sit ei offensus quantum ad aliud ; sicut peccatorem diligit quantum ad naturam , odit autem quantum ad culpam . Ergo videtur possibile quod Deus per pœnitentiam remittat unum peccatum sine alio .

Sed contra est quod Augustinus dicit in Lib . de pœnitentia (alius Author de vera & falsa pœnit . cap . ix . cir . med .) *Sunt plures , quos pœnitentes peccasse , sed non omnino reservantes sibi quadam , in quibus delectantur , non animadvertentes , Dominum simul amicum , & furdum a dæmonio liberasse , per hoc docens , nos nunquam nisi de omnibus sanari .*

Respondeo dicendum , quod impossibile est per pœnitentiam unum peccatum sine alio remitti .

Primo quidem quia peccatum remittitur , in quantum tollitur Dei offensam per gratiam . Unde in secunda parte habitum est (1 . 2 . quæst . cix . art . 7 . & quæst . cxiii . art . 2 .) quod nullum peccatum potest remitti sine gratia . Omne autem peccatum mortale contrariatur gratiæ , & excludit eam . Unde impossibile est quod unum peccatum sine alio

remittatur . Secundo quia , sicut ostensum est (art . præc .) peccatum mortale non potest sine vera pœnitentia remitti , ad quam pertinet deserere peccatum , in quantum est contra Deum ; quod quidem est commune omnibus peccatis mortalibus : ubi autem est eadem causa , & idem effectus . Unde non potest esse vere pœnitens qui de uno peccato pœnitet , & non de alio . Si enim displiceret ei illud peccatum , quia est contra Deum super omnia dilectum (quod requiritur ad rationem veram pœnitentiæ) sequeretur quod de omnibus peccatis pœniteret . Unde sequitur quod impossibile sit unum peccatum per pœnitentiam remitti sine alio . Tertio quia hoc esset contra perfectionem misericordiæ Dei , cujus perfecta sunt opera , ut dicitur Deuteron . xxxiii . unde cujus miseretur , totaliter miseretur . Et hoc est quod Augustinus dicit in Lib . de pœnitentia (loc . cit (1)) *Quadam impietas infidelitatis est , ab illo qui iustus , & iustitia est , dimidiam sperare veniam .*

Ad primum ergo dicendum , quod illud verbum Gregorii non est intelligendum quantum ad remissionem culpæ , sed quantum ad cessationem ab actu : quia interdum ille qui plura peccata consuevit committere , deserit unum , non tamen aliud ; quod quidem fit auxilio divino , quod tamen non pertingit usque ad remissionem culpæ .

Ad secundum dicendum , quod in verbo illo Ambrosii fides non potest accipi , qua creditur in Christum : quia , ut Augustinus dicit super illud Joan . xv . *Si non venissem , & locus eis non fuisset , peccatum non haberem , scilicet infidelitatis (tract . lxxxix . in Joan . parum a princ .)* „ hoc est „ peccatum quo tenentur cuncta peccata . “ (2) Sed accipitur fides pro conscientia : quia interdum per pœnas , quas quis patienter sustinet , consequitur remissionem peccati , cuius conscientiam non habet .

Ad tertium dicendum , quod peccata , quamvis non sint connexa quantum ad conversionem ad bonum commutabile , sunt tamen connexa quantum ad aversionem a bono incom-

(1) Supple *vera & falsa* , ut iam supra cap . 9 . non ut prius inversa nota numerali , cap . 6 . Sed Augustini non est ; ut iam notatum sæpe , quamvis velut ex Augustino referatur dist . 3 . de Pœnitentia cap . *Sunt plures* , unde mutuatus est S . Thomas .

(2) Quasi quodam nomine generali , sicut præmittit : addens quoque quod illud non habenti peccatum dimittuntur omnia . Ex quo item intelligitur

quod ideo peccato infidelitatis cuncta teneri dicit , quia infidelitas præcipuum est remissionis impedimentum , sicut e contrario fides remissionis principium . Tametsi autem locus Ambrosii de vera fide vel fiducia intelligendus videatur , ut ex adjunctis patet quæ ad calcem retulimus , potest dici quod sine fide satisfecerat pœna , materialiter quoad afflictionem ; non formaliter quoad effectum .

incommutabili, in qua conveniunt omnia peccata mortalia: & ex hac parte habent rationem offensæ, quam oportet per pœnitentiam tolli.

Ad quartum dicendum, quod debitum exterioris rei, puta pecuniæ, non contrariatur amicitie, ex qua debitum remittitur: & ideo potest unum dimitti sine alio. Sed debitum culpæ contrariatur amicitie: & ideo una culpa, vel offensa non remittitur sine altera: ridiculum enim videtur quod etiam ab homine aliquis veniam peteret de una offensa, & non de alia.

Ad quintum dicendum, quod dilectio qua Deus diligit hominis naturam, non ordinatur ad bonum gloriæ, a quo impeditur homo per quodlibet peccatum mortale; sed dilectio gratiæ, per quam fit remissio peccati mortalis, ordinatur hominem ad vitam æternam, secundum illud Roman. vi. 23. *Gratia Dei vita æterna*. Unde non est similis ratio.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, Concilio, & Aug., quod non remittitur unquam unum peccatum mortale sine alio. A D. August. quidem, secundum quod ponitur in *argum. contr.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Ro. 13. *Quæcumque a Deo sunt, ordinata sunt*. Hoc est, illa, quæ sunt convenientia, a Deo sunt, & e contra, scilicet, quæ non sunt convenientia, illa, ut sic, a Deo esse non possunt. Si igitur ad propositum præsens particulare applicetur illud Apostoli, est idem, ac si reddita causa, in qua implicite continebatur, diceretur. Quia, unum peccatum mortale sine alio remitti, est inordinatum, idest inconveniens: ideo a Deo non potest unum illorum remitti sine alio. Quod autem, ut supponitur, hoc ipsum sit inconveniens, constat ex terminis suis, scilicet peccatum mortale, & remitti. Nam peccatum mortale est illud, quod inducit mortem animæ, in qua ipsum peccatum est. Mors autem animæ est aversio a Deo, qui solus est spiritualis vita animæ: juxta illud Ecclesiæ in hymno Angelorum; *Tibi Christe splendor patris, vita, virtus cordium*, & illud Deut. 30. *Diligas dominum Deum tuum, ipse enim est vita sua*. Alter vero terminus, scilicet remitti, est, stando in proposito, prædictam mortem, idest aversionem a Deo ex anima tolli: & consequenter vitam, idest conversionem, ipsi ani-

mæ reddi. Declaratis his terminis, nonne vides inconveniens, quod ibi latebat? Nam ex declaratione facta subito, vel tenuiter consideranti patet, quod dicere, unum peccatum mortale sine alio posse remitti, est dicere contradictoria, scilicet eandem animam, in qua sunt ista peccata, esse simul vivam, & mortuam, hoc est, simul esse conversam ad Deum, & averfam a Deo. Quia enim unum peccatum mortale est remissum ei, ideo de necessitate constat, quod ipsa vivit, idest, quod est conversa ad Deum: quia autem: aliud mortale peccatum in ea remanet, utpote non remissum ei, ideo de necessitate constat, quod ipsamet non vivit, sed est mortua, idest, quod non est conversa ad Deum, sed ab ipso averfa. A Concilio quoque *Lateranensi* sub *Innocentio III.* illud in principio appendicis dictum insinuat per hoc, quod dicit cap. 21. *omnis uniusque sexus omnia sua peccata confiteatur*. Ex eo enim, quod præcipit peccata omnia confiteri, ut absolvatur peccator, secundum quod ex subjunctis ibid. patet, relinquitur pro manifesto intelligendum, quod de mente sua est, non posse peccatum unum mortale sine alio mortali remitti. Item similiter insinuat a Concilio *Florentino* sic. *Ad quam*, scilicet oris confessionem, *pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, confiteatur integraliter*. Hæc in decreto super unio. Armenorum: Dic, ut sup. Concordat & Conciliis præmissis Concilium *Trid.* sess. 14. cap. 5. "Univerfa Ecclesia semper intellexit, institutam esse a Domino integram peccatorum confessionem. Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, ad quos omnia mortalia crimina deferantur: quo pro potestate claviam remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntiant." Hæc ibi. Ex quibus patet: & quod Concilia præmissa loquebantur de mortalibus, dicendo *ly omnia*; & quod ad finem, ut possit remissio fieri, dicuntur omnia. Aliter ergo, secundum planam Concilii sententiam, remitti non possent: nisi omnia simul. Ceterum cave, ne ex veritate prædictorum incidas in errorem *Jacobi Præpositi*: hoc est, ne exinde inferas, quod pœnitentia, seu dolor de uno peccato sine dolore omnium, est peccatum. Multum enim distant inter se illa veritas, scilicet unum peccatum per pœnitentiam remitti non potest sine alio, & ista falsitas, scilicet pœnitentia de uno peccato sine dolore omnium est peccatum. Quam quidem falsitatem & ipse *Jacobus præpositus* pro

pro errore recognovit, ac revocavit, ut refert Bernardus a Lutsemb. in suo Catalogo hæretic. Secundo vides: quomodo &c.

ARTICULUS IV. 529

Utrum, remissa culpa per poenitentiam, remaneat reatus pœnæ.

Sup. quæst. lxxvii. art. 3. ad 3. & quæst. lxxix. art. 10. ad 3. & IV. dist. xiv. quæst. 11. art. 1. & Rom. xi. lec. 4. & Heb. vi.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod, remissa culpa per poenitentiam, non remaneat reatus pœnæ. Remota enim causa, removetur effectus: Sed culpa est causa reatus pœnæ: ideo enim est aliquis dignus pœna, quia culpam commisit. Ergo remissa culpa, non potest remanere reatus pœnæ.

2. Præterea. Sicut Apostolus dicit Rom. v. (1) donum Christi est efficacius quam peccatum. Sed peccando homo simul incurrit culpam, & pœnæ reatum. Ergo multo magis per donum gratiæ simul remittitur culpa, & tollitur pœnæ reatus.

3. Præterea. Remissio peccatorum fit in poenitentia per virtutem passionis, secundum illud Roman. iii. 25. *Quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius, propter remissionem peccatorum delictorum.* Sed passio Christi est sufficienter satisfactoria pro omnibus peccatis, ut supra dictum est (quæst. xlvi. & xlix. & quæst. lxxix. art. 5.) Non ergo post remissionem culpæ remanet aliquis reatus pœnæ.

Sed contra est quod II. Reg. xii. 13. dicitur, quod cum David poenitens dixisset ad Nathan, *Peccavi domino*, dixit Nathan ad illum: *Dominus quoque transiit peccatum tuum: non morietur: verumtamen filius qui*

manus est tibi, morte morietur: quod sicut in posnam precedentis peccati, ut ibidem dicitur. Ergo, remissa culpa, remanet reatus alicujus pœnæ.

Respondendo dicendum, quod, sicut in secunda parte habitum est (1. 2. quæst. lxxxvii. art. 4.) (2) in peccato mortali sunt duo; scilicet aversio ab incommutabili bono, & conversio ad commutabile bonum inordinata. Ex parte ergo aversionis ab incommutabili bono consequitur peccatum mortale reatus pœnæ æternæ, ut qui contra æternum bonum peccavit, in æternum puniatur; ex parte etiam conversionis ad bonum commutabile, inquantum est inordinata, consequitur peccatum mortale reatus alicujus pœnæ: quia inordinatio culpæ non reducitur ad ordinem justitiæ nisi per poenam: justum est enim ut qui voluntati suæ plus indulget quam debuit, contra voluntatem suam aliquid patiatur: sic enim erit æqualitas. Unde Apoc. xviii. 7. dicitur: *Quantum gloriificavit se; & in deliciis fuit, tantum datur illi tormentum, & luctum.*

Quia tamen conversio ad bonum commutabile est finita, non habet ex hac parte peccatum, quod debeat ei pena æterna. Unde si fit inordinata conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, sicut est in peccatis venialibus, non debetur peccato pena æterna, sed temporalis. Quando igitur per gratiam remittitur culpa, tollitur aversio animæ a Deo, inquantum per gratiam anima Deo conjungitur. Unde & per consequens simul tollitur reatus pœnæ æternæ; potest tamen remanere reatus alicujus pœnæ temporalis.

Ad primum ergo dicendum, quod culpa mortalis utrumque habet, & aversionem a Deo, & conversionem ad bonum creatum. Sed, sicut in secunda parte habitum est (3) aver-

(1) Equivalente tantum non expresse, cum sic loquitur vers. 14. & sequentibus: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ qui est forma futuri: Sed non sicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.*

(2) Ubi propter aversionem pœna infinita peccato respondere dicitur, propter conversionem vero finita tantum. Quomodo autem infinita, explicavimus ibi contra eos qui simpliciter infinitam somniarunt, ut & peccatum intrinsece ac simpliciter infinitum: ac propterea in peccato non duo tantum notant, sicut hic

S. Thomas & ubicumque passim hac de re agit, sed seorsim offensam Dei ficticio additamento quasi tertium quiddam ab aversione distinctum, quod & destructionem Dei vocant.

(3) Hoc est in 1. 2. qu. 71. art. 6. ubi quasi materiale in peccato dicitur, illud quod pertinet ad substantiam actus humani: quasi formale autem illud quod ad rationem mali pertinet. Quam otiose porro illud quasi diminutive intelligendum quidam volunt, ut positivam in peccato deformitatem cum absurdum adstruant, & indigno sigmento velut ipsam doctrinam S. Thomæ venditent, cui tam evidenter adversatur; cum advertere debuerint eodem sensu ibi dici quasi quo hic dicitur sicut; & utrumque ideo dici quia in

reversio a Deo est ibi sicut formale; conversio autem ad bonum creatum, est ibi sicut materiale. Remoto autem formali cuiuscumque rei, tollitur species; sicut remoto rationali, tollitur species humana. Et ideo ex hoc ipso dicitur culpa mortalis remitti, quod per gratiam tollitur aversio mentis a Deo simul cum reatu poenae aeternae; remanet tamen illud quod est materiale, scilicet inordinata conversio ad bonum creatum, pro qua lebetur reatus poenae temporalis.

Ad secundum dicendum, quod, sicut in secunda parte habitum est (1. 2. quaest. cix. art. 7. & 8. & quaest. cxl. art. 2.) ad gratiam pertinet operari in homine iustificando ipsum a peccato, & cooperari homini ad recte operandum. Remissio igitur culpae, & reatus poenae aeternae pertinet ad gratiam operantem; sed remissio reatus poenae temporalis pertinet ad gratiam cooperantem, in quantum scilicet homo, cum auxilio divinae gratiae patienter poenas tolerando, absolvitur etiam a reatu poenae temporalis. Sicut igitur prius est effectus gratiae operantis quam gratiae cooperantis, ita etiam prius est remissio culpae, & poenae aeternae, quam plena absolutio a poena temporali: utrumque enim est a gratia, sed primum a gratia sola, secundum ex gratia, & libero arbitrio.

Ad tertium dicendum, quod passio Christi de se sufficiens est ad tollendum omnem reatum poenae non solum aeternae, sed etiam temporalis: & secundum modum quo homo participat virtutem passionis Christi, percipit etiam absolutionem a reatu poenae. In baptismo autem homo participat totaliter virtutem passionis Christi, utpote per aquam, & spiritum Christi commortuus peccato, & in eo regeneratus ad novam vitam & ideo in baptismo homo consequitur remissionem reatus totius poenae. In poenitentia vero con-

sequitur virtutem passionis Christi secundum modum propriorum actuum, qui sunt materia poenitentiae, sicut aqua baptismi, ut supra dictum est (quaest. lxxxiv. art. 1. & 3.) Et ideo non statim per primum actum poenitentiae, quo remittitur culpa, solvitur reatus totius poenae, sed completis omnibus poenitentiae actibus. (1)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas haeresim *Lutheri*, dicentis; ut refert Alphonsus de Castro adversus haereses tituli poenitentiae, quod, dimissa culpa, simul etiam dimissa est omnis poena peccato debita. Et propter hoc (inquit) nulla debet fieri satisfactio pro delictis perpetratis. Secundo habes, quomodo per rationem ostendas, eam merito damnari a 2. Reg. 12. per hoc quod ibi legitur; quod cum *David Poenitens*, &c. ut in *arg. cont.* Item per dictum Numer. 14. *Ait Moyses ad Dominum: Dimitte, obsecro, peccatum populi huius secundum magnitudinem misericordiae tuae. Dixitque Dominus: Dimissi iuxta verbum tuum: Attamen omnes, qui, &c. non videbunt terram; pro qua iuravi patribus eorum.* Patet enim hic, ad planam litterarum texturam, quod, dimissa culpa, remanet adhuc poena temporalis, puta, non videre terram promissionis. Ne autem putemus, quod hoc, scilicet poenam temporalem post culpae deletionem remanere, proveniat ex parva misericordia Dei, signanter ibi scriptura ad deletionem illius peccati apposuit *h* secundum verbum suum; hoc est (ut petierat Moyses, secundum magnitudinem misericordiae meae.) Ac si in proposito huius articuli clarius dictum sit: Quod, dimisso peccato mortali, reatus poenae temporalis remaneat, non est ex defectu misericordiae.

moralibus non potest esse verum materiale neque verum formale, sicut est in physicis: Unde non sequitur S. Thomas ut praeter privatam peccati materialitatem quae sit quasi-formale vellet aliam esse positionem quae vere sit formale: Cur enim illam non exprimeret?

(1. Nempe non tantum contritione vel etiam confessione, sed satisfactione actuali, sive hic sive in altero seculo exolvenda: Reatum porro poenae cum culpa non remitti, sed adhuc post illius remissionem remanere temporaliter eluendum, non eo tantum loco qui notatus est argum. Sed contra patet, sed & Genes. 3. ubi Ad mi poena recensetur; tamen cum sapientia e delicto dicatur eduxisse Sap. 10. Et Numer. 12. ubi foror Moysi ad illius orationem a pec-

cato murmuris absolvitur, sed separari septem diebus extra castra iubetur: Et Numer. 10. ubi terram promissionis ingredi prohibetur Moyses propter diffidentiam quamdam, licet remissa ei esset: Et 2. Machab. 12. ubi pro illis qui cum pietate dormitionem acceperant & optimam habebant repositam gratiam, sacrificium ad eorum reatum expiandum offertur, &c. Unde in Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 8. *S. Synodus declarat falsum omnino esse & a verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti quin universa etiam poena condonetur: Perficua enim & illustrata in sacris litteris exempla reperiuntur omnibus praeter divinam traditionem hic error quam manifestissime refutatur.*

miseriçordiæ divinz, sed aliunde, puta ex defectu pœnitentiæ hominum, quia scilicet illorum conversio ad Deum non est tanto spiritus fervore facta, ut sufficiat ad tollendam etiam pœnam temporalem. Vide exam. post ad *primum*. Item damnari a Concilio *Tridem.* sess. 6. cap. 14. " Docendum est: " Christiani hominis pœnitentiã: post lapsam continere cessationem a peccatis, eorum detestationem; cõtritionem, & humilitatem, eorundem sacramentalem confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam, sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem, non pro pœna aeterna, quæ vel sacramentis, vel sacramento menti voto unã cum culpa remittitur; sed pro pœna temporali: quæ ut sacræ litteræ docent, non tota semper dimittitur. *Hæc ibi. Et cano. 30.* Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuiuslibet peccatori pœnitenti culpam remitti, & reatum aeternæ pœnæ deleri dixerit, ita, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ vel in hoc seculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit: anathema sit. *Hæc ibi. Et sess. 14. cap. 8.* Sancta Synodus declarat: falsum omnino esse, & a verbo Dei alienum, culpam a Domino numquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. Perspicua enim, & illustria in sacris litteris exempla repariuntur, quibus hic error quam manifestissime revincitur. " *Hæc ibi.* Ubi per totum capitulum contra hanc erroneam in fide positionem quam pulcherrime, & efficacissime multis rationibus invehitur, quæ omnia vide tu, ne nimis in longum protrahatur hæc Elucidationum formula. Et cano. 15. *Si quis dixerit: fictionem esse, quod virtute clavium sublata pœna aeterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat: anathema sit.* *Hæc ibi.* Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS V. 530

Utrum remissa culpa mortali, tollantur omnes reliquie peccati.

Sup. art. 4. ad 3. & IV. dist. XIV. quæst. 11. art. 1. quæst. 3. & I. Cor. XI. lect. 7.

AD. quintum sic proceditur. Videtur quod remissa culpa mortali, tollantur omnes

reliquie peccati. Dicit enim Augustinus in Lib. de pœnitentiã (alius Author de vera & falsa pœnit. cap. 1x. a med.) *Nunquam Dominus aliquem sanavit, quem omnino non liberavit: totum enim hominem sanavit in fabrica, quia & corpus ab omni infirmitate, & animam ab omni contagione.* Sed reliquie peccati pertinent ad infirmitatem peccati. Ergo non videtur possibile quod remissa culpa, remaneant reliquie peccati.

2. Præterea. Secundum Dionysium IV. c. de div. Nom. (par. IV. lect. 16.) *bonum est efficacius quam malum, quia malum non agit nisi virtute boni.* Sed homo peccando simul totam infectionem peccati incurrit: Ergo multo magis pœnitendo liberatur etiam ab omnibus peccati reliquiis.

3. Præterea. Opus Dei efficacius est quam opus hominis. Sed per exercitium humanorum operum ad bonum tolluntur reliquie peccati contrarii. Ergo multo magis tolluntur per remissionem culpæ, quæ est opus Dei.

Sed contra est quod Marci VIII. legitur, quod cæcus illuminatus a Domino primo restitutus est ad imperfectum visum: unde ait: *Video homines velus arbores ambulantes: deinde restitutus est perfecte, ita ut videret clare omnia.* Illuminatio autem cæci significat liberationem peccatoris. Post primam ergo remissionem culpæ, qua peccator restituitur ad visum spiritualem, adhuc remanent in eo aliquæ reliquie peccati præteriti.

Respondeo dicendum, quod peccatum mortale ex parte conversionis inordinatæ ad bonum commutabile quamdam dispositionem causat in anima, vel etiam habitum, si actus frequenter iteretur. Sicut autem dictum est (art. præc.) culpa peccati mortalis remittitur, inquantum tollitur per gratiam aversio mentis a Deo.

Sublato autem eo quod est ex parte aversionis, nihilominus remanere potest id quod est ex parte conversionis inordinatæ; cum hanc contingat esse sine illa, sicut prius dictum est (art. præc.) Et ideo nihil prohibet quin remissa culpa, remaneant dispositiones ex præcedentibus actibus causatæ, quæ dicuntur peccati reliquie; remanent tamen debilitatæ, & diminutæ, ita quod homini (*) non dominantur; & hoc magis per modum dispositionum quam per modum habituum; sicut etiam remanet fomes post baptismum.

Ad

(*) Ita *ms. & edit. passim. At, non dominantur magis per modum dispositionum &c.*

Ad primum ergo dicendum, quod Deus totum hominem perfecte curat; sed quandoque subito, sicut locrum Petri statim restituit perfectæ sanitati, ita ut surgens ministraret illis, ut legitur Luc. 1v. quandoque autem successive, sicut dictum est (quæst. xlv. art. 3. ad 2.) de cæco illuminato, Mar. viii. Et ita etiam spiritualiter quandoque tanta commotione convertit cor hominis, ut subito perfecte consequatur sanitatem spirituales, non solum remissa culpa, sed sublatis omnibus peccati reliquiis, ut patet de Magdalena Luc. vii. (1) Quandoque autem prius remittit culpam per gratiam operantem, & postea per gratiam cooperantem successive tollit peccati reliquias.

Ad secundum dicendum, quod peccatum etiam quandoque statim inducit debilem dispositionem, utpote per unum actum causatam; quandoque autem fortioorem, causatam

Summ. S. Tb. Tom. XII.

per multos actus.

Ad tertium dicendum, quod uno actu humano non tollantur omnes reliquiæ peccati; quia, ut dicitur in Prædicamentis (cap. de opposit. a med.) *pravus ad meliores exercitationes deductus ad modicum aliquid proficiet, ut melior sit; multiplicato autem exercitio ad hoc pervenit ut sit bonus virtute acquisita.* Hoc autem multo efficacius facit divina gratia sine uno; sive pluribus actibus.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis; quod remissa culpa, quandoque non tollantur omnes reliquiæ peccati: quandoque autem sic. Ut per id, quod a simili dicitur Mar. 8. secundum quod cum discursu ponitur in arg. cont. Item per hoc, quod

X x
legi-

(1) Ubi peccatrix tantum non expresso nomine appellatur: Quod vera tamen Magdalena fuerit hæc peccatrix, res ipsa per se satis ostendit: Primo quia propter vehementiam & ardorem dilectionis commendatur peccatrix cum ad Christum accedit respiciens: hæc vero tam vehemens & ardens dilectio quasi propria nota & character est Magdalene quæ non alia quam Maria Lazari soror; ut colligitur ex Matth. 28. vers. 1. Marc. 16. vers. 1. & 9. Luc. 24. vers. 10. Joan. 20. vers. 1. & 11. ac deinceps vers. 16. & 18. Secundo quia rursus Maria illa quæ dicitur Lazari soror quasi per specialem quamdam notam significatur quod unguento Dominum unxit, Joan. 11. ubi de illa unctione non in futurum sed potius in præteritum Evangelista se significat loqui; ac expressius græce indicatur quod jam unxerat (*αλειψασα*) & exerseras capillis suis pedes ejus; ut ex professo vers. 2. per parenthesis interjicitur; alludendo nimirum ad id quod peccatricem ponitendo fecisse Lucas refert ut supra vers. 38. Tertio quia Luc. 8. Marc. 16. vers. ult. eadem esse Magdalena significatur, de qua septem dæmonia per Christum ejecta sunt; & cui Christus ipse, resurgens primo apparuit: neo dubitatur quin Magdalena illa cui primo apparuit, fuerit ea quæ Maria Lazari soror appellatur: annon autem, quæ propterea dæmoniiis permissa esset in peccatorum poenam, a quibus tandem liberata tam vehementer diligere ac sequi Christum coepit? ut sub nomine Hieronymi author Commentariorum in Marcum cap. 16. insinuat: Præter alias rationes quas in eandem sententiam peculiari Scripto plenius ex professo tractamus. Unde non immerito Gregorius homil. 33. in Evangelia paulo post initium: *Hanc vero (inquit) quam Lucas peccatricem, Joannes Mariam nominat, illam esse Mariam credimus de qua Marcus septem dæmonia ejecta fuisse refertur: Et quid per septem dæmonia nisi universa vitia designantur? Quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, velle sepepario numero universitas figuratur: Septem ergo dæmonia Maria habuit quæ universis vi-*

itis plena fuit. Hanc porro Gregorii de Magdalena sententiam sacra Facultas Theologica Parisiensis in generali Congregatione apud Mathurienenses ad annum 15. celebrata contra Jodocum Chitoveum & Fabrum Stapulensem decrevit amplectendam, & ab omnibus ad se pertinentibus propugnandam, & ab omnibus degradationis vel inhabilitatis poena ne illorum qui spiam contrariam vel viva voce vel in scriptis omnino propugnare auderet: Quod etiam Decretum suum occasione nata contra imperitum ac præposterum quemdam scriptorem Bellocum anno 1604. in Comitibus generalibus cui & præfens ipse sui apud Sorbonam renovavit. Nec refert ejus nomen a Luca prætermitti, cum peccatricem penitentem exhibet ac describit: Ut enim Beda Luc. 8. notat & in Catalena refert S. Thomas, *Pulchre Evangelista ubi eam cum Domino iter facere commemorat, nota hanc vocabulo manifestat; ubi vero peccatricem sed penitentem describit, mulierem generaliter dicit, ne nomen tanta fame præsci erroris nota fuscet: Unde concludit quod Maria Magdalena quæ cap. 8. exprimitur, ipsa est cujus sacro nomine penitentiam proxima lecta (cap. 7.) manifestat. Sed nec interest ejus nomen postea manifestatum esse, quia non sic deicit manifestari dum viveret, sicut post ejus mortem quando jam in gloriam illius redundabat: Et alioqui retorqueri facile posset, cur peccatrix tanto dilectionis ardore ac affectu commendabilis nusquam legitur nominata si Magdalena non est. Frivolum vero quod putatur indecens ut peccatrix in tantam Christi familiaritatem venerit, quasi mirum videri possit quod post dilectionem tantam tanta gratia Christi ad eum gradum perducta sit; Quando & latro simul cum Christo in Paradiso statim post ejus in ipsamet cruce confessionem fuit: Unde in Prosa defunctorum quam Ecclesia canit: *Qui Mariam absolvisti & Latronem exaudisti: Ut nec dubium esse possit, quin Ecclesia Magdalenam & peccatricem ac Lazari sororem pro eadem habendam putet; sicut & ex alio ejus officio publico satis aperte colligitur.**

legitur Psal. 37. *Putruerunt, & corrupte sunt cicatrices mee a facie insipientie mee.* Patet siquidem, quod cicatrix ex vulnere relinquitur, & consequenter, quod istæ cicatrices, de quibus loquitur Propheta, sunt reliquæ peccati alicuius sibi jam dimissi de quibus reliquis lamentabiliter dicit, quod *putruerunt, & corrupte sunt.* Nam secundum D. Thomam ibi super Psalmos, sicut per imperitiam medici quandoque infirmitas generat intus putredinem, & corrumpit aliquid membrum: sic est quandoque in peccatore, cui dimissum est peccatum, & adhuc remansit pronitas ad peccandum; quasi cicatrix ex vulnere. Quando enim peccatum illud non curatur per correctionem, idest per fructus dignos pœnitentiæ, scilicet per satisfactionem, & exercitium bonorum operum: tunc fit putredo interius, idest delectatio peccati præteriti, & consentit in aliud simile. Hoc est, ut breuius dicatur. Sicut quandoque per insipientiam medici vulnus putrescit: ita ex insipientia hominis, in quo reliquæ peccati remanserunt, nescientis sibi bene cavere contingit recidivum. Hæc S. Doctor in sententia. Item, quod quandoque tollantur ipsæ reliquæ, remissa culpa, per hoc insinuat, quod ex persona Dei culpam remittentis ad animam dicitur, Hierem. 30. *Obducam cicatricem tibi, & a vulneribus tuis sanabo te.* Ecce, quod Deus ex bonitate sua promittit alicuius, se non tantum in eis sanaturum vulnera, idest peccata, sed etiam vulnere cicatricem, idest peccatorum ipsorum reliquias. Vide tex. *ad primum.* Secundo vides: quomodo &c.

ARTICULUS VI. 531

Utrum remissio culpæ sit effectus pœnitentiæ.

IV. dist. xiv. quæst. 2. art. 1. quæst. 1.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod remissio culpæ non sit effectus pœnitentiæ, secundum quod est virtus. Dicitur enim pœnitentiæ virtus, secundum quod est principium humani actus. Sed humanus actus non operatur ad remissionem culpæ, quæ est effectus gratiæ operantis. Ergo remissio culpæ non est effectus pœnitentiæ, secundum quod est virtus.

2. Præterea. Quædam aliæ virtutes sunt excellentiores pœnitentiæ. Sed remissio culpæ non dicitur effectus alicuius alterius virtutis. Ergo etiam non est effectus pœniten-

tiæ, secundum quod est virtus.

3. Præterea. Remissio culpæ non est nisi ex virtute passionis Christi, secundum illud Hebr. ix. 22. *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Sed pœnitentiæ, in quantum est sacramentum, operatur in virtute passionis Christi, sicut & cetera sacramenta, ut ex supradictis patet (quæst. lxxi. art. 4. & 5.) Ergo remissio culpæ non est effectus pœnitentiæ, in quantum est virtus, sed in quantum est sacramentum.

Sed contra. Illud est proprie causa alicuius, sine quo esse non potest: omnis enim effectus dependet a sua causa. Sed remissio culpæ potest esse a Deo sine pœnitentiæ sacramento, non autem sine pœnitentiæ, secundum quod est virtus, ut supra dictum est (quæst. lxxxiv. art. 5. ad 3. & quæst. lxxxv. art. 2.) unde & ante sacramenta novæ legis pœnitentibus Deus peccata remittebat. Ergo remissio culpæ est præcipue effectus pœnitentiæ, secundum quod est virtus.

Respondeo dicendum, quod pœnitentiæ est virtus, secundum quod est principium quorundam actuum humanorum. Actus autem humani, qui sunt ex parte peccatoris, materialiter se habent in sacramento pœnitentiæ.

Omne autem sacramentum producit effectum suum non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ: ex utroque enim est unum sacramentum, ut supra habitum est (quæst. lx. art. 6. ad 2. & art. 7.) Unde sicut remissio culpæ fit in baptismo non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ, scilicet aquæ; principaliter tamen virtute formæ, ex qua & ipsa aqua virtutem recipit: ita etiam remissio culpæ est effectus pœnitentiæ principaliter quidem ex virtute clavium, quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id quod est formale in hoc sacramento, ut supra dictum est (quæst. lxxxiv. art. 3.) secundario autem ex vi actuum pœnitentis pertinentium ad virtutem pœnitentiæ; tamen prout hi actus aliquantulum ordinantur ad claves Ecclesiæ. Et sic patet quod remissio culpæ est effectus pœnitentiæ secundum quod est virtus, principaliter tamen secundum quod est sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod effectus gratiæ operantis est justificatio impii, ut in secunda parte dictum est (1. 2. quæst. cxiii.) in qua, ut ibidem dictum est (art. 1. 2. & 3.) non solum est gratiæ infusio, & remissio culpæ, sed etiam motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei formatæ, & motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus pœ-

nitentia. Hi tamen actus humani sunt ibi ut effectus gratiæ operantis, simul producti cum remissione culpæ. Unde remissio culpæ non fit sine actu pœnitentiæ virtutis, licet sit effectus gratiæ operantis.

Ad secundum dicendum, quod in justificatione impii non solum est actus pœnitentiæ, sed etiam actus fidei, ut dictum est (in solut. præc. & 1. 2. quæst. cxiii. art. 4.) Et ideo remissio culpæ non ponitur effectus solum pœnitentiæ virtutis, sed principaliter fidei, & caritatis.

Ad tertium dicendum, quod ad passionem Christi ordinatur actus pœnitentiæ virtutis & per fidem, & per ordinem ad claves Ecclesiæ: & ideo utroque modo causat remissionem culpæ virtute passionis Christi.

Ad id autem quod in contrarium obijcitur, dicendum est, quod actus pœnitentiæ virtutis habet quod sine eo non possit fieri remissio culpæ, in quantum est inseparabilis effectus gratiæ, per quam principaliter culpa remittitur, quæ etiam operatur in omnibus sacramentis. Et ideo per hoc non potest concludi, nisi quod gratia est principalior causa remissionis culpæ quam pœnitentiæ sacramentum. Sciendum tamen, quod etiam in veteri lege, & in lege naturæ erat aliquoties sacramentum pœnitentiæ, ut supra dictum est (quæst. lxxxiv. art. 7. ad 2.)

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, & a Concilio, quod remissio culpæ non est sine ordine ad claves Ecclesiæ: hoc est, quod principaliter est effectus pœnitentiæ, secundum quod sacramentum, quam secundum quod virtus est. A Concilio quidem *Trid. sess. 14. c. 4.* "Declarat sancta Synodus, contritionem non solum cessationem, a peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium, continere; juxta illud: Prostrite a vobis, omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum. Docet præterea: etiam contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc pœnitentiæ sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. "Hæc bi. Quorum ultima sententia, *ly docet præ-*

terea, &c. sufficiebat proposito demonstrando: sed ideo prima adducta fuit, ut omnibus patefieret, quod sub nomine contritionis ibi accipitur pœnitentiæ virtus, secundum quod manifestat eius descriptio præsens, si conferatur descriptioni pœnitentiæ virtutis datæ supra *q. 85. a. 1. 2. 3.* A scripturis vero insinuat per hoc, quod dicitur *Joan. 20. Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* His enim verbis Christus instituit sacramentum pœnitentiæ secundum *Concil. Trid. sess. 14. c. 1. tanquam lapsi post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus, secundum idem Conc. ibid. c. 2. ex cuius insinuatione universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsi jure divino necessariam existere, ut docet idem Concilium ibid. c. 5.* Stantè igitur tali institutione per *ly Accipite, &c.* sic explanata ab Ecclesia, facile constat, ex scriptura illa propositum, quod queritur. Nam, si remissio peccati posset esse effectus pœnitentiæ virtutis absque ordine ad claves, id est ad pœnitentiæ, secundum quod est sacramentum: jam pœnitentiæ sacramentum non esset necessarium, neque integra confessio sacramentalis esset necessaria: quorum utrumque est contra institutionem a Christo factam, ut dictum est. Ex præmissis quoque patet, quod illud emendationis propositum, de quo loquitur *q. 85. a. 3. cadens in definitione pœnitentiæ virtutis, est intelligendum secundum ordinem ad claves.* Ac si ibi dictum sit. Pœnitens debet de peccato commisso, in quantum est offensa Dei, cum proposito emendationis, id est confitendi sacramentaliter ipsum peccatum, & pro ipsius mensura satisfaciendi secundum arbitrium confessarii ministri Ecclesiæ. *Secundo* vides quomodo &c.

Q U Æ S T I O LXXXVII.

De remissione venialium peccatorum,

In quatuor articulos divisa.

DEinde considerandam est de remissione venialium peccatorum; & circa hoc queruntur quatuor.

Primo, utrum sine pœnitentiâ peccatum veniale possit dimitti.

Secundo, utrum possit dimitti sine gratiâ

infusione.

Tertio, utrum peccata venialia remittantur per aspersionem aquæ benedictæ, & episcopalem benedictionem; &unctionem pectoris, & orationem dominicam; & alia huiusmodi.

Quarto, utrum veniale peccatum possit remitti sine mortali.

ARTICULUS I. 532

Utrum peccatum veniale possit remitti sine pœnitentia.

Inf. art. 2. ad 2. & 3. & art. 3. cor. & IV. dist. xvi. quest. 11. art. 2. quest. 2. ad 2. & dist. xxi. quest. 11. art. 1. corp. & mal. quest. vii. art. 12. cor.

AD primum sic proceditur. Videtur quod veniale peccatum possit remitti sine pœnitentia. Pertinet enim, ut supra dictum est (quest. lxxxiv. art. 10. ad 4.) ad rationem veræ pœnitentiæ quod non solum homo doleat de peccato præterito, sed etiam proponat cavere de futuro. Sed sine tali proposito peccata venialia dimittuntur: cum certum sit quod homo sine peccatis venialibus præsentem vitam ducere non potest. Ergo peccata venialia possunt remitti sine pœnitentia.

2. Præterea. Pœnitentia non est sine actuali displicentia peccatorum. Sed peccata venialia possunt dimitti sine displicentia actuali eorum; sicut patet in eo qui dormiens occideretur propter Christum, statim enim evoleret: quod non contingit, manentibus peccatis venialibus. Ergo peccata venialia possunt remitti sine pœnitentia.

3. Præterea. Peccata venialia opponuntur fervori caritatis, ut in secunda parte dictum est (2. 2. quest. xxiv. art. 10.) Sed unum oppositorum tollitur per aliud. Ergo per fervorem caritatis, quem contingit esse sine actuali displicentia peccati venialis, fit remissio peccatorum venialium.

Sed contra est quod Augustinus dicit in Lib. de pœnit. (alius Auther de vera & falsa pœnit. cap. viii. & August. hom. xxvii. inter l. cap. 11. & hom. ult. ante med.) quod est quedam pœnitentia que quotidie agitur in Ecclesia pro peccatis veniali-

bus: quæ frustra esset, si sine pœnitentia peccata venialia possent dimitti. Videtur ergo quod peccata venialia non possint sine pœnitentia dimitti.

Respondeo dicendum, quod remissio culpæ, sicut dictum est (quest. præc. art. 2.) fit per conjunctionem hominis ad Deum, a quo aliquoties separat culpa. Sed hæc separatio perfecte quidem fit per peccatum mortale, imperfecte autem per peccatum veniale: nam per peccatum mortale mens omnino a Deo avertitur, utpotè contra caritatem agens; per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis, ne prompte in Deum feratur. Et ideo utrumque peccatum per pœnitentiam quidem remittitur, quia per utrumque deordinatur voluntas hominis per immoderatam conversionem ad bonum creatum: sicut enim peccatum mortale remitti non potest, quamdiu voluntas peccato adhæret, ita etiam nec peccatum veniale: quia manente causa, manet effectus.

Exigitur autem ad remissionem peccati mortalis perfectior pœnitentia, ut scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur, quantum in ipso est, ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur. Sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum; non tamen sufficit habitualis displicentia, quæ habetur per habitum caritatis, vel pœnitentiæ virtutis: quia sic caritas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse saluum. Unde sequitur quod requiratur quedam virtualis displicentia; puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, & res divinas, ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se commisisse, etiam si actu de illo non cogitaret: quod tamen non iussit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.

Ad primum ergo dicendum, quod homo in gratia constitutus potest vitare omnia peccata mortalia, & singula; potest etiam vitare singula peccata venialia, sed non omnia; ut patet ex his quæ in secunda parte dicta sunt (1. 2. quest. lxxiv. art. 3. ad 2. & quest. cix. art. 8. (1) Et ideo pœnitentia

(1) Sen 2. 2. qu. 24. art. 10. ubi nec effective nec similiter meritorie diminueret caritatem dicitur: quia nec ipsam caritatem attingit, cum caritas vendetur circa finem, peccatum autem veniale non

nisi circa ea quæ sunt ad finem; vel etiam quia is qui dumtaxat delinquit in minori, non meretur ex eo pati detrimentum aliquod in majore; unde nec ille qui se habet inordinate tantum circa ea quæ sunt ad

de peccatis mortalibus requirit quod homo proponat abstinere ab omnibus, & singulis peccatis mortalibus; sed ad pœnitentiam peccatorum venialium requiritur quod homo proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas hujus vitæ non patitur; debet tamen habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda; alioquin esset ei periculum deficiendi, cum deferret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritalis profectus, quæ sunt peccata venialia.

Ad secundum dicendum, quod passio pro Christo suscepta, sicut supra dictum est (quæst. lxxvi. art. 11.) obtinet vim baptismi: & ideo purgat ab omni culpa & veniali, & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem.

Ad tertium dicendum, quod fervor caritatis virtualiter implicat displicentiam venialium peccatorum, ut supra dictum est (quæst. lxxix. art. 4.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, Papa, & Aug. quod veniale peccatum non potest remitti sine pœnitentia: A D. Aug. quidem, ut ponitur in *arg. cont.* A Papa *Bonifacio* autem per hoc, quod in sexto de reg. juris, reg. 5. dicit: *Peccati venia non datur, nisi correctio.* Per correctum enim intelligit pœnitentem, secundum illud B. Augusti. quod recitatur 23. q. 7. c. ult. *Quo modo (inquit) gaudebis, te esse correctum; nisi doleas, te fuisse perversum?* Idem ergo est ly *nisi correctio*; ac si diceretur, nisi dolenti de peccato suo, idest, nisi pœnitenti. Et loquitur regula de peccato sine additione aliqua, idest non determinando se ad mortale, aut veniale, sed in communi, hoc est, de peccato, ut peccatum est. Tamquam si dixisset. Nec mortalis, nec venialis, nec originalis, dummodo sit adultus ille, qui habet originale, peccati venia datur: nisi pœnitenti, idest dolenti de peccato cum proposito emendationis, q. 86. ar. 2. Ratio autem illius regulæ, inquit glossa ibi, est, quia actus activorum non sunt, nisi in patiente bene disposito, ut ait Philof. in *Me-*

rapb. A scripturis vero idipsum insinuat per hoc, quod universaliter dicunt Rom. 13. *quæcumque a Deo sunt, ordinata sunt.* Hoc est: convenientia sunt. Ab oppositis ergo denotant, quod inconvenientia non sunt a Deo, seu quod Deus numquam facit illa, quæ sunt inconvenientia. Cum igitur inconvenientia, imo & maxime inconveniens, utpote contradictorium, sit hoc, scilicet veniale remitti sine pœnitentia, ut patet in coroll. ante concl. 3. sequitur manifeste, quod scriptura illa Rom. 13. si ad particulare præsentis articuli propositum applicetur, dicit quod a Deo numquam potest esse remissio peccati venialis sine interiori pœnitentia. Vide aliquid simile q. 86. ar. 2. *appen. Secundo* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S II. 533

Utrum ad remissionem venialium peccatorum requiratur gratia infusio.

Sup. quæst. lxxv. art. 1. ad 8. & inf. præsentis quæst. art. 3. corp. & art. 4. ad 2. & IV. dist. xvi. quæst. 11. art. 2. quæst. 1. & mal. quæst. vii. art. 11. cor. & ad 14. & art. 12. cor. & ad 1.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod ad remissionem venialium peccatorum requiratur gratia infusio. Effectus enim non est sine propria causa. Sed propria causa remissionis peccatorum est gratia: non enim ex meritis propriis peccata hominis remittuntur: unde dicitur Ephes. 11. 4. *Deus, qui dirigit est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia salvati estis.* Ergo peccata venialia non remittuntur sine gratia infusione.

2. Præterea. Peccata venialia non remittuntur sine pœnitentia. Sed in pœnitentia infunditur gratia, sicut & in aliis sacramentis novæ legis. Ergo peccata venialia non remittuntur sine gratia infusione.

3. Præterea. Peccatum veniale maculam quamdam animæ infert. Sed macula non auferitur nisi per gratiam, quæ est spiritalis animæ decor. Ergo videtur quod peccata venia-

ad finem, meretur aliquod pati detrimentum in caritate per quam ad finem ordinatur: Idem autem est ut caritatem non diminuat ac non diminuat gratiam, quia caritas indivisum gratiam comitatur, et si

differat a gratia sicut virtus ab essentia, &c. Quod autem in corpore istius articuli ut ex 3 parte subjungitur, sumptum etiam ex eodem loco est qu. 24. art. 10. & ex 1. 2. qu. 82. art. 1.

venialia non dimittantur sine gratiæ infusione.

Sed contra est quod peccatum veniale adveniens non tollit gratiam, neque etiam diminuit eam, ut in secunda parte habitum est (2. 2. quæst. xxiv. art. 10.) Ergo pari ratione ad hoc quod peccatum veniale remittatur, non requiritur novæ gratiæ infusio.

Respondéo dicendum, quod unumquodque tollitur per suum oppositum. Peccatum autem veniale non contrariatur habituali gratiæ, vel caritati, sed retardat actum ejus; in quantum nimis inhæret homo bono creato, licet non contra Deum, ut in secunda parte habitum est (1. 2. quæst. lxxxviii. art. 1. & 2. 2. quæst. xxiv. art. 10.) Et ideo ad hoc quod peccatum veniale tollatur, non requiritur quod infundatur aliqua habitualis gratia; sed sufficit aliquis motus gratiæ, vel caritatis ad ejus remissionem.

Quia tamen in habentibus usum liberi arbitrii, in quibus solis possunt esse venialia peccata, non contingit esse infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrii in Deum, & in peccatum; ideo quæcumque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur.

Ad primum ergo dicendum, quod etiam remissio peccatorum venialium est effectus gratiæ, per actum scilicet quem de novo elicit, non autem per aliquid habituale de novo animæ infusum.

Ad secundum dicendum, quod peccatum veniale nunquam remittitur sine aliquali actu poenitentis virtutis, explicito scilicet, vel implicito, ut supra dictum est (art. præc.) Potest tamen remitti peccatum veniale sine poenitentis sacramento, quod in absolutione sacerdotis formaliter pericitur, ut supra dictum est (quæst. præc. art. 2.) Et ideo non sequitur quod ad remissionem venialis peccati requiratur gratiæ infusio; quæ licet sit in quolibet sacramento, non tamen est in quolibet actu virtutis.

Ad tertium dicendum, quod sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter: uno modo per privationem ejus quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris, aut debite

proportionis membrorum; alio modo per superinductionem alicujus impediens decorem, puta luti, aut pulveris: ita etiam animæ inducitur macula uno modo per privationem decoris gratiæ per peccatum mortale; alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale: & hoc fit per peccatum veniale. (1) Et ideo ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infusio gratiæ; sed ad tollendam maculam venialis peccati requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quam removeatur inordinata ad hæsiō ad rem temporalem.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a Concil. Trid. quod ad remissionem peccatorum venialium non requiritur nova gratiæ infusio. Ut per hoc, quod dicit Iess. 6. c. 11. *Lices in hac mortali vita, quantumvis sancti, & justi, in levia saltem, & quotidiana, que etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant; non propterea desinunt esse justi. Nam justorum est illa vox & humilis, & verax, dimitte nobis debita nostra.* Hæc ibi. Patet enim his verbis denotari, quod peccatum veniale stat simul in eodem subjecto cum gratia justificante: & consequenter etiam necessario patet, quod ad remissionem venialis non exigitur, quod de novo gratia infundatur: cum jam & infusa habeatur, antequam veniale committatur, & infusa perseveret, postquam veniale commissum est. Numquam ergo deleatur veniale; si nil aliud, nisi gratia infusa, requireretur. Oporteret igitur dare aliquid aliud ultra gratiam ipsam, quo dato, deleatur: hoc vero aliud non est nova gratiæ infusio: quia gratia, ut diximus, jam habetur. Unde, si ratione gratiæ, ut sic, deleatur: jam deletum esset, antequam gratia illa de novo adveniret. Sicut ergo, ut colligamus omnia in unum, peccatum veniale justis adveniens non tollit gratiam: ita, econtra pari ratione, ad hoc, quod veniale remittatur, non requiritur nova gratiæ infusio. *Secundo* vides: quomodo &c.

AR

(1) Huc spectat quod Bernardus ad illa verba Canticorum 1. *Pulebra sunt gena tue sicut sarturis in serm. 40. super Cantica: Intendere in aliud quam in Deum (inquit) non Maria otium, sed Marthe negotium est. Absit autem ut quæ ususmodi est, quidquam illam dixerim habere deformis, nec tamen ad*

perfectum affirmaverim pervenisse decoris: quippeque adhuc sollicita est & turbatur erga plurima, & non potest terrenorum alium vel tenui pulvere non respergi: quem tamen cito facileque detergit vel in betha sancta dormitionis casta incensio, & bona conscientia interrogatio in Deum, &c.

ARTICULUS III. 534

Utrum venialia peccata remittantur per asperisionem aquae benedictae, & aspera hujusmodi.

Sup. *quest. lxxv. art. 1. ad 6. & 8. & quest. lxxxiii. art. 3. ad 3. & IV. dist. xvii. quest. 11. art. 2. quest. 4. & dist. xvii. quest. 11. art. 3. quest. 3. & dist. xxi. quest. 11. art. 1. & 2. & mal. quest. vii. art. 12.*

AD tertium sic proceditur. Videtur quod venialia peccata non remittantur per asperisionem aquae benedictae, & episcopalem benedictionem, & alia hujusmodi. Peccata enim venialia non remittuntur sine poenitentia, ut dictum est (art. 1. hu. quest.) Sed poenitentia per se sufficit ad remissionem venialium peccatorum. Ergo ista nihil operantur ad hujusmodi remissionem.

2. Praeterea. Quodlibet istorum eandem relationem habet ad unum peccatum veniale, & ad omnia. Si ergo per aliquod istorum remittitur aliquod peccatum veniale, sequitur quod pari ratione remittantur omnia; & ita per unamunctionem pectoris, vel per unam asperisionem aquae benedictae redderetur homo immunis ab omnibus peccatis venialibus: quod videtur inconueniens.

3. Praeterea. Peccata venialia inducunt reatum alicujus poenae, licet temporalis: dicitur enim I. Cor. 11. 15. de eo *qui superedificat lignum, fenum, & stipulam*, quod *saluus erit, sic tamen quasi per ignem*. Sed hujusmodi, per quae dicitur peccatum veniale dimitti, vel nullam, vel minimam poenitentiam in se habent. Ergo non sufficiunt ad plenam remissionem venialium peccatorum.

Sed contra est quod Augustinus dicit in Lib. de poenitentia (1) scilicet hom. ult.

inter l. aliquant. ante medi.) quod *pro leuibus peccatis pectora nostra tundimus, & dicimus: Dimitte nobis debita nostra: & ita videtur quod tunso pectoris, & oratio dominica causant remissionem venialium peccatorum; & eadem ratio videtur esse de aliis.* Respondetur dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. praec.) ad remissionem venialis peccati non requiritur novae gratiae infusio, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale vel explicite, vel saltem implicite; sicut cum aliquis serueat motetur in Deum.

Et ideo triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum. Uno modo inquantum in eis infunditur gratia: quia per infusionem gratiae tolluntur venialia peccata, ut supra dictum est (art. praec.) Et hoc modo per Eucharistiam, & extremam unctionem, & universaliter per omnia sacramenta novae legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo inquantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum: & hoc modo confessio generalis, tunso pectoris, & oratio dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum: nam in oratione dominica petimus: *Dimitte nobis debita nostra*. Tertio modo inquantum sunt cum aliquo motu reuerentiae in Deum, & ad res divinas: & hoc modo benedictio episcopalis, asperio aquae benedictae, quaelibet sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, & si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum.

Ad primum ergo dicendum, quod omnia ista causant remissionem peccatorum venialium, inquantum inclinant animam ad motum poenitentiae, qui est detestatio peccatorum vel implicite, vel explicite.

Ad secundum dicendum, quod omnia ista, quantum est de se, operantur ad remissionem omnium peccatorum venialium; potest tamen

(1) Sive in libro 50. homiliarum homil. 27. implicite, sed expressius homil. 50. quae de poenitentia quidem apud Bedam sed nunc de utilitate ac necessitate poenitentiae, vel de poenitentiae medicina secundum quod iam inscribitur: Sic enim ibi circa medium de peccatis venialibus conformiter ad ea quae articulo superiore notata sunt: *Quamuis* (inquit) *singula non lethali valere ferire sentiantur, tamen omnia simul congregata velut scabies nostrum decus ita exterminant, ut ab illius Sponsi speciosi forma praefiliis hominum castissimis amplexibus separant, nisi medicamento quotidiana poenitentia deseruantur: Quod*

si falsum est, unde quotidie tundimus pectora? Quod nos quoque Antiphitis ad altare assistentes cum omnibus facimus: Unde etiam orantes, dicimus quod in ipsa vita ista operet, ut dicamus, Dimitte nobis debita nostra, &c. Non enim ea dimitti precamur quae in baptismo dimissa sunt, & nisi dimissa credimus, de ipsa fide dubitamus: sed utique de quotidianis peccatis hoc dicimus, pro quibus etiam sacrificia elemosynarum, juniorum, & ipsarum orationum ac supplicationum quisque pro suis viribus offerre non cessat, &c.

tamen impediri remissio quantum ad aliquam peccata venialia, quibus mens actualiter inhæret; sicut & per fictionem interdum impeditur effectus baptismi.

Ad tertium dicendum, quod per prædicta tolluntur quidem peccata venialia quantum ad culpam, tum virtute alicujus satisfactionis, tum etiam virtute caritatis, cujus motus per prædicta excitatur; non autem per quodlibet prædictorum semper tollitur totus reatus pœnæ, quia sic qui esset omnino immunis a peccato mortali, aspersus aqua benedicta statim evolveret; (1) sed reatus pœnæ remittitur per prædicta secundum morum terroris in Deum, qui per prædicta excitatur quandoque magis, quandoque autem minus.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem offendas merito esse iniquatum ab Ecclesia, Augustino, Papa, Evangelio, & Concilio, quod per aquæ benedictæ asperisionem, per orationem Dominicam, tunctionem pectoris, &c. devote exercita, dimittitur peccatum veniale. A B. Augustino quidem, ut cum discursu ponitur in *avg. cons.* A sancta Ecclesia vero per hoc, quod dicit in benedictione aquæ ly us, *qui ea aspersus fueris, liberetur a noxa.* Et universaliter, quæ

ad prædicta, cum sint quædam supplicationes, possunt recte applicari, in quadam collecta dicit: *Deus, cui nunquam sine spe misericordie supplicatur: A Papa autem Alexandro I. Aquam sale conspersam benedicimus; ut ea cuncti aspersi sanctificentur, ac purificentur, &c. Quanto magis aqua divinis precibus facta doctissimos sanctificabit.* Hæc ille, ut recitatur, *De confes. d. 3. c. aquam.* Vide sup. a. num. 2. 35. cum *Elucid.* Ab Evangelio item Luc. 16. *percutiebat pectus suam dicens, &c. descendis hic justificatus in domum suam.* A Conc. deniq. *Trid. sess. 14. c. 5. Venialia in confessione taceri citra culpam; multisque aliis venialibus expiari possunt.* Hæc ibi. *Secundo vides: quomodo &c.*

ARTICULUS IV. 535

Utrum veniale peccatum possit remitti sine mortali peccato.

Inf. quest. xc. art. 4. ad 3. & IV. dist. xlv. quest. 11. art. 1. quest. 2. & 3.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod veniale peccatum possit remitti sine mortali. Quia super illud Joan. VIII. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat, dicit quædam* (2) Glossa (ex Lib.

(1) Supple in *calum*, si hoc modo aspersus moveretur. Immunem autem a peccato mortali vocat, non tantum eum qui non commisit, sed qui liberatus est a commisso, sicut alibi loqui solet, aliaque occasione offendimus.

(2) Quæ porro illa? Nam nec in moderna impressa, nec in veteri Manuscripta quæ ad manum est id habetur, sed solum utrobique: *Prius sitis iusti ut ream puniaris: Esi enim Lex jubet puniri reos, non tamen a similiter puniendis: Ecce plens iustitia ut iustus mala punias:* Velut ex Augustino citat 4. Sent. dist. 16. S. Thomas: At nec occurrit ibi Tract. 33. in Joan. Editiones præcedentes ut ex Cyrillo lib. 5. in Joan. cap. 16. & 17. indicant: sed est Jodoci Chlivoi additamentum non Cyrilli Commentarii qui eam partem de adulteræ historia non recensuit, nec Interpretes passim Græci. Peccatum autem veniale significari per quadrantem habet Glossa vetus, & nova; tametsi neutra de solo veniali explicet: Sic enim utrobique: *Novissimum quadrantem, idest minuta (vel minima) peccata, quia nihil oris impunium: vel per quadrantem novissimum significatur terrena peccata; quia prima pars mundi calum; secunda, aer; tertia, aqua; quarta & novissima, terra: Ergo donec reddas novissimum quadrantem, idest donec luas peccata quæ de terra*

*contraxisti: Primus quadrans est ignis: quo caritas significatur: Secundus, aer quo spiratur: quo significatur vita: Tertius, aqua, qua renascimur: Novissimus, terra per quam carnalis vita: Unde, Terra es & in terram ibis, idest, exolves quod esse voluisti: Addit & nova ut ex Athanasio ad Antiochum, qu. 6. *Penas dabimus tum enormium peccatorum, tum etiam levium & minorum:* Et ex Tertulliano lib. de anima: *Te in carcere tradet infernum, unde non dimittaris, nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expensio &c.* Denique illud quod ex cap. 4. ad Romanos, notatur, sic explicat expresse vetus Glossa *Originale* (inquit) *vel veniale: Equivalenter autem nova, sic tantum ex veteri referuntur: Tres gradus delictorum fecit: Iniquitas vel impietas est cum Creator non agnoscitur: Peccata gravia in operibus: Tertius gradus est levium.* Utraque porro ex Lombardi Commentario desumpta est, qui sic in eum locum habet: *Quia nullus est sine peccato originali vel veniali, postquam premisit, Beati quorum remissa sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata, ut non videantur a Deo ad penam, subdit: Beatus vir qui non imputavit Dominus peccatum, originale quod aliunde est, vel veniale: Tum deinde: Vel aliter: Tres gradus delictorum fecit. Videtur enim tripartita ratio in his dictis propriæ delicti.**

A P P E N D I X.

lib. de vera & falsa pœnit. cap. ult. a princ.) quod „ omnes illi erant in peccato mortali: venialia enim eis dimittebantur, per cœremonias. “ Ergo veniale peccatum potest remitti sine mortali.

2. Præterea. Ad remissionem peccati venialis non requiritur gratiæ infusio. Requiritur autem ad remissionem mortalis. Ergo veniale peccatum potest remitti sine mortali.

3. Præterea. Plus distat peccatum veniale a mortali quam ab alio veniali. Sed unum veniale potest dimitti sine alio, ut dictum est (art. præc. ad 2. & quæst. præc. art. 3.) Ergo veniale potest dimitti sine mortali.

Sed contra est quod dicitur Matth. v. 26. *Amen dico tibi, non exies inde, scilicet ex carcere, in quem intruditur homo pro peccato mortali, donec reddas novissimum quadrantem: per quem significatur veniale peccatum. Ergo veniale peccatum non remittitur sine mortali.*

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. præc. art. 3.) remissio culpæ cujuscumque numquam fit nisi per virtutem gratiæ: quia, ut Apostolus dicit Rom. iv. ad gratiam Dei pertinet quod Deus alicui non imputet peccatum: quod Glossa (interl. sup. illud, *Beatus vir cui non imputavit &c.*) ibi exponit de veniali. Ille autem qui est in peccato mortali, caret gratia Dei. Unde nullum veniale ei remittitur.

Ad primum ergo dicendum, quod venialia ibi dicuntur irregularitates, sive immunditiæ, quas contrahebant secundum egerem.

Ad secundum dicendum, quod licet ad remissionem peccati venialis non requiratur nova infusio habitualis gratiæ, requiritur tamen aliquis gratiæ actus, qui non potest esse in eo qui subjacet peccato mortali.

Ad tertium dicendum, quod peccatum veniale non excludit omnem actum gratiæ, per quem possunt omnia peccata venialia dimitti; sed peccatum mortale excludit totaliter habitum gratiæ, sine quo nullum peccatum mortale, vel veniale remittitur. Et ideo non est similis ratio.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis; quod peccatum veniale non remittitur homini, quamdiu est in peccato mortali. Ut per hoc, quod dicitur Matth. 5. *Amen dico tibi, &c.* secundum quod cum expositione ponitur in arg. contr. Quæ expositio confirmatur ex Luc. 12. *Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas.* Nam peccata minuta vocatur ad litteram a Doctoribus peccata venialia. Ac si dicamus. Donec reddas etiam novissimum minutum, idest ultimum peccatum veniale, vel novissimum minutum, idest minutissimum peccatum inter alia venialia. Ergo, secundum scripturam hanc, non remittitur veniale, etiam quantumcunque minimum, homini existenti in peccato mortali. De mortali enim agitur in præannexo contextu, ut patet legenti, & intelligenti, propter quod dicitur quis tradendus tortoribus, & mittendus in carcerem. Item insinuat per hoc, quod dicitur Genes. 4. *respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain autem, & munera illius non respexit.* Horum enim verborum ordine denotatur, quod amicitia personæ alicujus ad Deum præsupponitur, antequam aliquid de manu ipsius personæ, ut sic, acceptetur a Deo: & quod persona, quæ est in peccato mortali, hoc enim solum personam reddit Deo inimicam, quamdiu sic manet, tamdiu affectus ejus, a quo deinde munera procedunt, non est gratus Deo. Id, quod & apertius monstratum est per illud Is. 1. *Ne offeratis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi. Kalendas vestras, & solemnitates vestras odidit anima mea. Cum extenderit manus vestras, avertam oculos meos a vobis: & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam. Manus enim vestre sanguine plene sunt.* Hæc ibi. Ubi nota, quod *ly enim*, quod in ultima sententia ponitur, reddit rationem omnium prædictorum. Cum igitur peccatum mortale faciat ista omnia, quæ alias erant grata Deo, utpote ab ipso præcepta, 1. 2. 9. 99. a. 3. & 9. 101. a. 4. & 9. 102. a. &c. non esse grata, imo esse odiosa Deo; patet, quod ipsum peccatum multo magis faciet illud, quod de se est ingratum Deo

Summ. S. Tb. Tom. XII.

Y y

(quale

dellorum varietatem: Primus gradus est iniquitas vel impietas, cum Creator non agnoscitur, idest in

fideltas: Secundus gradus est in operibus gravium peccatorum: Tertius &c. ut supra.

(quale est veniale peccatum) remanere, sicuti erat, idest remanere ingratum Deo, hoc est, faciet ipsum veniale non remitti. Patet, inquam, hæc sequela multo magis, per illam regulam Philosophi in logicalibus, quæ est. Si de quo minus videtur inesse, inest; ergo & de quo magis videtur inesse, magis inest. Subsume tu huic regulæ, quod minus videtur verisimile, quod peccatum mortale reddat ingrata Deo, quæ alias ipsi grata sunt; quam quod faciat remanere ingratum Deo illud, quod secundum se eidem ingratum est: & mox applicando hæc ad supradicta videbis; non modo verum, sed etiam clarum esse, quod tibi concludebatur. *Secundo* vides: quomodo &c.

Q U Æ S T I O LXXXVIII.

De reditu peccatorum per pœnitentiam dimissorum,

In quatuor articulos divisa.

DEinde considerandum est de reditu peccatorum per pœnitentiam dimissorum: & circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo, utrum peccata per pœnitentiam dimissa redeant simpliciter per sequens peccatum.

Secundo, utrum aliquo modo per ingratitudinem redeant specialius secundum quædam peccata.

Tertio, utrum peccata redeant in æquali reatu.

Quarto, utrum illa ingratitudo per quam redeunt, sit speciale peccatum.

A R T I C U L U S I. 338

Utrum peccata dimissa redeant per sequens peccatum.

Inf. art. 2. & 3. corp. & IV. dist. XXI. quæst. 1. art. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur quod peccata dimissa redeant per sequens peccatum: Dicit enim Augustinus in Lib. I. de baptismo (cont. Donatistas cap. XII.

in med.) *Redire dimissa peccata, ubi fraterna caritas non est, apertissime Dominus in Evangelio docet in illo sermo, a quo dimissum debitum Dominus repetit, eo quod ille conseruo suo debitum nollet dimittere. Sed fraterna caritas tollitur per quodlibet peccatum mortale. Ergo per quodlibet sequens mortale peccatum redeunt peccata prius per pœnitentiam dimissa.*

2. Præterea. Super illud Lucæ XI. *Revertar in domum meam, unde exivi*, dicit Beda (cap. XLVIII. in Luc. secundum ejus ord.) "Timendus est iste versiculus non exponendus, in culpa quam in nobis extinctam, credebamus, per incuriam nos vacantes, opprimat. Hoc autem non esset, nisi rediret. Ergo culpa per pœnitentiam dimissa redit.

3. Præterea. Ezech. XVIII. 24. Dominus dicit: *Si averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitie ejus quas fecerat, non recordabuntur.* (1) Sed inter alias justitias, quas fecit, etiam præcedens pœnitentia continetur; cum supra dictum sit (quæst. LXXXV. art. 3.) pœnitentiam esse partem justitiæ. Ergo postquam pœnitens peccat, non imputatur ei præcedens pœnitentia, per quam consecutus est veniam peccatorum. Redeunt ergo illa peccata.

4. Præterea. Peccata præterita per gratiam reguntur, ut patet per Apostolum Rom. IV. inducentem illud Psalmi XXXI. 1. *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum relictæ sunt peccata.* Sed per peccatum mortale sequens gratia tollitur. Ergo peccata quæ fuerant prius commissa, remanent detecta; & ita videtur quod redeant.

Sed contra est quod Apostolus dicit Rom. XI. 29. *Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei.* Sed peccata pœnitentis sunt dimissa per donum Dei. Ergo per peccatum sequens non redeunt dimissa peccata, quasi Deus de dono remissionis pœniteat.

Præterea. Augustinus dicit in Libro I. responsonum Prosperi (2) *Qui recedit a Christo, & alienatus a gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem vadit? sed non in quod remissum est, recidit, nec pro originali peccato damnabitur.*

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum

(1) Sive. non erunt in memoria, ut Hieronymus legit; adiens quod sic justum ansas peccatorum non prægravant antiqua delicta, sicut peccatorem qui prius justus fuerit, non juvans veteres justitias.

(2) Vel Prosper ipse ad Gallorum objectiones pro

defensione Augustini respondens, ut ad 2. objectionem videre est, unde refertur in objectionibus distinctæ de pœnitentia cap. *Qui recedit*: Ubi adduntur quædam que prædictis contradicere notat Gratianus, ut inferius expenditur ad 1.

Stum est (quæst. lxxxvi. art. 4.) in peccato mortali sunt duo, (1) scilicet aversio a Deo, & conversio ad bonum creatum. Quidquid autem est ex parte aversionis in peccato mortali, secundum se consideratum, est commune omnibus peccatis mortalibus, quia per quodlibet peccatum mortale homo avertitur a Deo: unde & per consequens macula, quæ est per privationem gratiæ, & reatus pœnæ æternæ communia sunt omnibus peccatis mortalibus. Et secundum hoc intelligitur id quod dicitur Jacobi 11. 10. *Qui offendit in uno, factus est omnium reus*. Sed ex parte conversionis peccata mortalia sunt diversa, & interdu[m] contraria. Unde manifestum est quod ex parte conversionis peccatum mortale sequens non facit redire peccata mortalia prius abolita: alioquin sequeretur quod homo per peccatum prodigalitat[is] reduceretur in habitum, vel dispositionem avaritiæ prius abolitæ; & sic contrarium esset causa sui contrarii, quod est impossibile. Sed considerando in peccatis mortalibus id quod est ex parte aversionis absolute, per peccatum mortale sequens redit illud quod fuerat in prioribus peccatis ante dimissionem, inquantum per peccatum mortale sequens homo privatur gratia, & fit reus pœnæ æternæ, sicut & prius erat.

Verum quia aversio in peccato mortali ex conversione quodammodo causatur, (2) recipiunt ea quæ sunt ex parte aversionis, quodammodo diversitatem per comparationem ad diversas conversiones, sicut ad diversas causas; ita quod sit alia aversio, & alia macula, & alius reatus prout confurgit ex alio, et alio actu peccati mortalis. Et hoc modo in quæstionem vertitur, utrum macula, & reatus pœnæ æternæ, secundum quod causabantur ex actibus peccatorum prius dimissorum, redeant per peccatum mortale sequens.

Quibusdam igitur visum est quod simpliciter etiam hoc modo redeant. Sed hoc non

potest esse: quia opus Dei per opus hominis irritari non potest. Remissio autem peccatorum priorum fuit opus divini[m] misericordiarum: unde non potest irritari per sequens peccatum hominis, secundum illud Rom. 11. 3. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit?* (3).

Et ideo alii ponentes peccata redire, dixerunt quod Deus non remittit peccata pœnitenti postmodum peccaturo secundum præscientiam, sed solum secundum præsentem justitiam: præcitat enim se pro his peccatis eum æternaliter puniturum; & tamen per gratiam facit eum præsentialiter justum. Sed nec hoc stare potest: quia si causa absolute ponatur, & effectus ponitur absolute. Si igitur non absolute fieret per gratiam, & gratiæ sacramenta peccatorum remissio, sed cum quadam conditione in futurum dependente, sequeretur quod gratia, & gratiæ sacramenta non essent sufficiens causa remissionis peccatorum: quod est erroneum, utpote derogans gratiæ Dei (4).

Et ideo nullo modo potest esse quod macula, & reatus præcedentium peccatorum redeant, secundum quod ex talibus actibus causabantur. Contingit autem quod sequens actus peccati virtualiter continet reatum prioris peccati, inquantum scilicet aliquis homo secundo peccans, ex hoc ipso videtur gravius peccare quam prius peccaverat, secundum illud Rom. 11. 5. *Secundum duritiam tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ*, ex hoc scilicet solo quod contemnitur Dei bonitas, quæ ad pœnitentiam expectat. Multo autem magis contemnitur Dei bonitas, si post remissionem prioris peccati secundo peccatum ireretur, quanto majus est beneficium peccatum remittere quam peccatorem sustinere.

Sic igitur per peccatum sequens pœnitentiam redit quodammodo reatus peccatorum prius

Y y 2

(1) Ubi ergo tertium illud quod sibi fingunt qui peccatum propter destructionem Dei a se imaginatam simpliciter ac intrinsece infinitum contendunt esse præter apertam S. Thomæ doctrinam, qui nonnisi secundum quid & objective infinitum esse vult?

(2) Non quasi malitiam sive deformitatem ex huiusmodi conversione recipiens, cum conversio possit esse ad creaturam absque deformitate vel defectu, nec sit defectuosa vel deformis nisi propter aversionem; vel perfectam sicut in peccato mortali, vel imperfectam ut in peccato veniali; sed quod prædicta conversio sit materia vel occasio aversionis &c.

(3) Ex græco καταρτιου hoc est *osiosam* & fructuosam redder: Non sicut prius, evacuavit: Est

alia occasione ibi dicatur quam hic; nempe contra Judæos quibus credita sunt eloquia Dei, & ex quibus nihilominus quidam non crediderunt &c

(4) Huc pertinet quod Sess 6. in Concilio Tridentino can. 17. definitur: *Si quis justificationis gratiam nonnisi prædestinatis ad vitam consingere dixerit, reliquos vero omnes qui vocantur, vocari quidem sed gratiam non accipere, usque divina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit: Ut & Can. 23. Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse neque gratiam amittere; atque adeo eum qui labitur & peccat, nunquam fuisse vero justificatum, anathema sit.*

prius dimissorum, non in quantum causabatur ex illis peccatis prius dimissis, sed in quantum causatur ex peccato ultimo perpetrato, quod aggravatur ex peccatis prioribus. Et hoc non est peccata dimissa redire simpliciter, sed redire secundum quid, in quantum scilicet virtualiter in peccato sequenti continentur.

Ad primum ergo dicendum, quod illud verbum Augustini videtur esse intelligendum de reditu peccatorum quantum ad reatum pœnæ æternæ in se consideratum, quia scilicet post pœnitentiam peccans incurrit reatum pœnæ æternæ, sicut & prius; non tamen omnino propter eandem rationem. Unde Augustinus in Lib. de responsionibus Prosperi (1) cum dixisset, quod *non in eo quod remissum est, recidis, nec pro originali peccato damnabitur*, subdit. (loc. cit. ut sup.) *Qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur quæ ei propter illa quæ ei remissa sunt, debebatur*: quia scilicet incurrit mortem æternam, quam meruerat per peccata præterita.

Ad secundum dicendum, quod in illis verbis non intendit dicere Beda, quod culpa prius dimissa hominem opprimat per reditum reatus præteriti, sed per iterationem actus.

Ad tertium dicendum, quod per sequens peccatum iustitiæ priores oblivioni traduntur in quantum erant meritorie vitæ æternæ, non tamen in quantum erant impeditivæ peccati. Unde si aliquis peccet mortaliter, postquam restituit debitum, non efficitur reus quasi debitum non reddidisset; & multo minus traditur oblivioni pœnitentia prius acta, quantum ad remissionem culpæ, cum remissio culpæ magis sit opus Dei quam hominis.

Ad quartum dicendum, quod gratia simpliciter tollit maculam, & reatum pœnæ æternæ; tegit autem actus peccati præteritos, ne scilicet propter eos Deus hominem, gratia privet, & reum habeat pœnæ æternæ: & quod gratia semel fecit, perpetuo manet. (2)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem & ostendas, & recte intelligas, merito esse insinuatam a scripturis, Papa, & Augustino, quod peccata semel dimissa non redeunt per peccatum sequens. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Roman. 11. *Sine*, & cetera. A D. Augustin. autem per ly *Qui recedit*, & cetera, ut de his duobus ponitur in *argum. cont.* A Papa Gelasio quoque per hoc, quod dicit: *Divina clementia dimissa peccata in ultionem ulterius redire non possunt*. Hæc ille, ut recitatur, *De pœnit. dist. 4. Dixi ly & recte intelligas*; ut scias auctoritates contrarias in verbis, sed non in sensu, a præmissis discrepare; & consequenter, ut scias tu ab articulo isto edoctus, eos in bono sensu glossare, cum inveneris. Nam, præter quod tres ex articulo doctrina habuisti conclusiones de hac materia claras; habuisti etiam, velut omnium circa materiam hanc dubitabilium brevem Epilogum, tamquam munimen, atque defensorium, in text. corp. fin. dicentem. Et hoc non est, peccata dimissa redire simpliciter, sed secundum quid; in quantum, scilicet, virtualiter in peccato sequenti continentur: ratione, videlicet, ingratitudinis, ut explicat artic. secundo, text. corp. princip. Ac si, in proposito ipsorum dubitabilium, dicatur. Si quæ aliquorum dicta affirmant, quod peccata jam dimissa redeunt per hoc, quod homo post illorum dimissionem peccat de novo; ipsa dicta non sunt intelligenda de illorum reditu simpliciter, sed reditu secundum quid. Et, si quæ dicta negent, quod peccata jam dimissa redeunt per, &c. ipsa sunt intelligenda de reditu tantum simpliciter. Ut breviter ad omnia respondeamus. Redeunt secundum quid, non redeunt simpliciter. Secundo vides: quomodo &c.

AR-

(1) Sed Prosper ipse ut jam supra. Sic autem Gratianus ad caput *Qui recedit*, ubi etiam hæc referri prænotavimus: *Finis hujus auctoritatis principio contraria videtur: Neque enim aliud est dimissa peccata redire vel in originali peccato damnari quam pœnam peccato debitam post eiusdem remissionem excipere. Auctoritates vero sibi contrarias asserentes hujus sententia ita determinans: Peccata dimissa redire dicuntur, quia quisquis post acceptam remissionem peccatum ad comitum redierit, tanto gravius*

punitur, quanto magis benignitate Dei abusus, singulorum remissionis acceptæ ingratus existit: Quod ad sequentem articulum pertinet.

(2) Non eo sensu quod numquam amittatur effectus eius, vel iustitia quam contulit, cum id ante ut erroneum sit rejectum; sed quod ea quæ per illius efficaciam deleta sunt, non possint esse non deleta: Quo sensu sine pœnitentia esse dicitur, id est imponenda vel irrevocabilis &c.

ARTICULUS II. 537

Utrum peccata dimissa redeant per ingratitudinem, quæ specialiter est secundum odium fraternum, apostasiam a fide, contemptum confessionis, dolorem de pœnitentia habita.

IV. dist. XIII. quæst. I. art. I. cor. & art. 3.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod peccata dimissa non redeant per ingratitudinem, quæ specialiter est secundum quatuor genera peccatorum, scilicet secundum odium fraternum, apostasiam a fide, contemptum confessionis, & dolorem de pœnitentia habita, secundum quod quidam metricè dixerunt:

Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri.

Pœnituisse piget: pristina culpa redit. Tanto enim est major ingratitudo, quanto gravius est peccatum quod quis contra Deum committit post beneficium remissionis peccatorum. Sed quædam alia peccata sunt his graviora, sicut blasphemia contra Deum, & peccatum in Spiritum sanctum. Ergo videtur quod peccata dimissa non redeant magis secundum ingratitudinem commissam secundum hæc peccata quam secundum alia.

2. Præterea. Rabanus dicit (implic. Lib. V. in Matth. in fi. & hab. cap. *Si Judas, de pœnit. dist. iv.*) *Nquam servum tradidit Deus tortoribus, quoadusque redderet universum debitum: quia non solum peccata quæ post baptismum homo egit, reputabuntur ei ad pœnam, sed & originalia, quæ in baptismo sunt ei dimissa.* Sed etiam peccata venialia inter debita computantur, pro quibus dicimus: *Dimitte nobis debita nostra.* (1) Ergo ipsa etiam redeunt per ingratitudinem: & pari ratione videtur quod per peccata venialia redeant peccata prius dimissa, & non solum per peccata prædicta.

3. Præterea. Tanto est major ingratitudo, quando post majus beneficium acceptum

aliquis, peccat. Sed beneficium Dei est etiam ipsa innocentia, qua peccatum vitamus: dici tenim Augustinus in II. Confess. (2) *Gratie tue depuso, quæcumque peccata non feci.* Majus autem donum est innocentia quam etiam remissio omnium peccatorum. Ergo non minus est ingratus Deo qui primo peccat post innocentiam, quam qui peccat post pœnitentiam: & ita videtur quod per ingratitudinem, quæ fit secundum peccata prædicta, non maxime redeant peccata dimissa.

Sed contra est quod Gregorius dicit XVIII. Moral. (3) hab. Lib. IV. Dialog. cap. ult. ad fi.) *Ex dictis evangelicis constat quod si quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus; & illud rursus exigitur quod nobis jam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus: & ita propter odium fraternum specialiter peccata dimissa redeunt secundum ingratitudinem, & eadem ratio videtur de aliis.*

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. præc.) peccata dimissa per pœnitentiam redire dicuntur; in quantum reatus eorum, ratione ingratitudinis virtualiter continetur in peccato sequenti. Ingratitudo autem potest committi dupliciter. Uno modo ex eo quod aliquid fit contra beneficium, & hoc modo per omne peccatum mortale, quo Deum offendit, redditur homo ingratus Deo, qui peccata remisit: & sic per quodlibet peccatum mortale sequens redeunt peccata prius dimissa; ratione ingratitudinis. Alio modo committitur ingratitudo, non solum faciendo contra ipsum beneficium, sed etiam faciendo contra formam beneficii præstiti. Quæ quidem forma si attendatur ex parte benefactoris, est remissio debitorum: unde contra hanc formam facit qui fratri petenti veniam non remittit, sed odium tenet. Si autem attendatur ex parte pœnitentis, qui accipit hoc beneficium, invenitur ex parte ejus duplex motus liberi arbitrii. Quorum primus est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei formata: & contra hoc facit homo apostatando a fide. Secundus autem est motus liberi arbitrii in peccatum, quæ est

(1) Ut jam supra ex Augustino lib. 50. homiliarum homil. 27 & homil. 50. notatum est, ubi quotidiana peccata vocat, quia vix ea justii etiam vitant.

(2) Vel sic plerius c. 7. *Gratie tue depuso & misericordie quod peccata mea samquam glaciem solvisti: Gratie tue depuso & quæcumque non feci mala.*

(3) Sic etiam in Manuscripto indicatur: Sed unde index ille irrepit? cum in Glossa Matth. 13. hæc sententia sine ullo indice referatur: & in vete-

ri Decretorum editione tum manuscripta tum gothica, ubi eadem sententia dist. 14. de pœnitentia cap. *Constat* usurpatur, nullus alius extet index, nisi quod *Gregorius ex verbis Evangelicis* (vel *ex verbis Evangelii*) prænotatur: Sumptam est autem ex libro 4. Dialogorum c. 60. ut & moderna Editio Decreti notat. Hinc porro Gregorius mox infert: *Igitur dum per indulti temporis spatium licet, conflatum in lacrymis duritiam mentis; formemus in proximis gratiam benignitatis, &c.*

est actus pœnitentiæ: ad quem primo pertinet, ut supra dictum est (quæst. lxxxv. art. 2. & 5.) quod homo detestetur peccata præterita; & contra hoc facit ille qui dolet se pœnituisse. Secundo pertinet ad actum pœnitentiæ ut pœnitens proponat se subijcere clavibus Ecclesiæ per confessionem, secundum illud Psalmi xxxi. 5. (1) *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei:* & contra hoc facit ille qui contemnit confiteri, secundum quod proposuerat.

Et ideo dicitur, quod specialiter ingratitude horum peccatorum facit redire peccata prius dimissa.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc non dicitur specialiter de istis peccatis, quia sint ceteris graviora, sed quia directius opponuntur beneficio remissionis peccatorum.

Ad secundum dicendum, quod etiam peccata venialia, & ipsum originale redeunt modo prædicto (in cor. art.) sicut & peccata mortalia, inquantum contemnitur Dei beneficium, quo hæc peccata sunt remissa. Non tamen per peccatum veniale aliquis incurrit ingratitude: quia homo peccando venialiter non facit contra Deum, sed præter ipsum: & ideo per peccata venialia nullo modo peccata dimissa redeunt.

Ad tertium dicendum, quod beneficium aliquod habet pensari dupliciter. Uno modo ex quantitate ipsius beneficii: & secundum hoc innocentia est majus Dei beneficium quam pœnitentia, quæ dicitur secunda tabula post naufragium. (2) Alio modo potest pensari beneficium ex parte recipientis, qui minus est dignus; & sic magis fit sibi gratia, unde & ipse magis est ingratus, si contemnat: & hoc modo beneficium remissionis culpæ est majus, inquantum præstatur totaliter indigno; & ideo ex hoc sequitur major ingratitude.

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, & Greg. quod specialiter per ingratitude importatam in odio fraterno,

& aliis similibus, redeunt peccata dimissa. A scripturis quidem per hoc, quod narratur *Matth. 18.* de servo illo jam absoluto a debito decem millium talentorum: qui ideo pro dimissis ipsis talentis postea missus est in carcerem omnia illa redditurus, quoniam benefactori de recepto beneficio fuit ingratus, per hoc, quod noluit imitari benefactorem suum in miserendo alteri confervo suo: quinimo eum pro centum denariis sibi debitis male tractavit. Quod, ut clarius videas servire huic proposito, vide comparationem sequentem. Legitur *Luc. 17.* de decem leprosis novem fuisse Christo benefactori tam ingratos, ut nec ad referendum ei de tanto beneficio gratias redirent: & tamen eos propter hoc iterum in lepram incidisse, non legimus. Notato horum differentiam, ut perpendas, quod textus conclusionis art. non sine causa dixit *ly specialiter*. Servus ille, & novem hi leprosi conveniunt in ingratitude, ut patet, specialiter tamen solus servus propter suam ingratitude punitur in hoc, quod debita sibi prius dimissa redeunt. Scis quare? Audi, quare. Servum fecisse non tantum contra beneficium, sed etiam contra formam beneficii, habemus ex Evangelio: leprosus vero contra beneficium quidem venisse legimus, sed non contra formam beneficii. Ad servum enim illum, exprobrando ejus ingratitude, dicit Dominus suus *Matth. 18.* *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit, & te misereri confervi tui: sicut & ego tui miserus sum?* In his verbis inspicere formam beneficii contentam in *ly dimisi tibi, quoniam rogasti me*: inspicere, & ingratum peccasse contra istam formam in *ly oportuit, & te misereri, sicut ego tui miserus sum*. Ac si expresse dicatur *Petiisti a me veniam, ego concessi illam tibi*: en forma procedendi in beneficio dato: *confervus petiit a te veniam, tu non concessisti illam ei*; en peccatum directe contra formam ipsam. Leprosorum vero ingratitude exprobrans Dominus, nullam beneficii formam, contra quam fecissent, expressit, sed tantum simpliciter dixit *Luc. 17.* *Nonne decem mundati sunt? & novem ubi sunt? Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena*

(1) Quod ad confessionem ut sic, non ad ea refertur quæ nunc in Ecclesia sub illius clavibus ex mandato Christi fit, nisi analogice. Ad publicam etiam peccatorum confessionem refert ibi Cassiodorus quia pro *Confitebor* legit *Pronuntiabo*, sicut & Augustinus ipse juxta græcum *ἔκρυπτον* unde sic ait:

Pronuntiabo, id est Publice fatebor, ut alios ad imitationem trahat pia fidelisque confessio.

(2) Sicut a Hieronymo eam vocari jam notatum est supra: nec tantum Isaiæ 3. sed & epist. 7. quæ ad Demetriadem de servanda virginitate inscribitur.

gena. Patet enim, hic, quod aggravatam quidem illorum ingratitude esse ostendit ex comparatione ad unum alienigenam, sed eos contra beneficii formam peccasse, non annotavit. A B. Greg. autem id in principio appen. dictum insinuat per hoc, quod dicit, *in argu. contr.* Ubi, pro text. ly *eadem ratio videtur de aliis*, recole Máximam logicalem, sc. *De similibus idem est iudicium*: & mox viso, quod illa quatuor sunt similia, videbis veritatem ipsam, sc. quod eadem ratio est de aliis. Porro, omnia quatuor esse similia, docuit text. corp. quando, ea convenire in hoc, sc. quod sunt contra formam beneficii, demonstravit. Evangelium ergo, & Greg. per hoc, quod monstrarunt, intentum verificari de uno. idest de odio fraterno, commonstrasse idem intelliguntur de reliquis tribus. *Secundo* vides: quomodo &c.

ARTICULUS III. 538

*Utrum per ingratitude peccati sequentis
conferat tantus reatus, quantum
fuerat peccatorum prius di-
missorum.*

IV. dist. XII. quest. 1. art. 2. quest. 3.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod per ingratitude peccati sequentis conferat tantus reatus, quantum fuerat peccatorum prius dimissorum. Quia secundum magnitudinem peccati est magnitudo beneficii, quo peccatum remittitur, (1) & per consequens magnitudo ingratitude, qua hoc beneficium contemnitur. Sed secundum quantitatem ingratitude est quantitas reatus consequentis. Ergo est tantus reatus qui confertur ex ingratitude sequentis peccati, quantum fuit reatus omnium præcedentium peccatorum.

2. Præterea: Magis peccat qui Deum of-

fendit quam qui offendit hominem. Sed servus manumissus ab aliquo domino reducit in eandem servitutem a qua prius fuit liberatus, vel etiam in graviorem. (2) Ergo multo magis ille qui contra Deum peccat post liberationem a peccato, reducit in tantum reatum poenæ, quantum primo habuerat.

3. Præterea. Matth. XVIII. 34. dicitur, quod *iratus Dominus tradidit eum* (cui replicabantur peccata dimissa propter ingratitude nem) *tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.* (3) Sed hoc non esset, nisi confurgeret ex ingratitude tantus reatus, quantum fuit omnium præteritorum peccatorum. Ergo æqualis reatus per ingratitude nem redit.

Sed contra est quod dicitur Deut. XXV. 2. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus*: ex quo patet quod ex parvo peccato non confurgit magnus reatus. Sed quandoque peccatum mortale sequens est multo minus quolibet peccatorum prius dimissorum. Non ergo ex peccato sequenti redit tantus reatus, quantum fuit peccatorum prius dimissorum.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod ex peccato sequenti propter ingratitude confurgit tantus reatus, quantum fuit reatus peccatorum prius dimissorum, super reatum proprium huius peccati. Sed hoc non est necessarium: quia, sicut supra dictum est (art. I. hu. quest.) reatus præcedentium peccatorum non redit per peccatum sequens, in quantum sequebatur ex actibus præteritorum peccatorum, sed in quantum consequitur actum sequentis peccati. Et ideo oportet quod quantitas reatus redeuntis sit secundum gravitatem peccati subsequentis.

Potest autem contingere quod gravitas peccati subsequentis adæquetur gravitati omnium peccatorum præcedentium. Sed hoc non semper est necesse; sive loquamur de gravitate ejus quam habet ex sua specie (cum quandoque peccatum sequens sit fornicatio sim-

(1) Indeque magnitudo dilectionis erga Deum peccata remittentem in eo qui sincere poenitentiam agit, sicut Luc. 7. indicatur, & proficitur Paulus de seipso.

(2) Ut ex leg. 2. Cod. de liber. & cor. lib. 5. *Maxima* de cap. diminut. in Syntagmate juris indicatur lib. 14. cap. 3. §. 6.

(3) Ubi ex Remigio S. Thomas hanc appendicem in aurea catena sua sic explicat: *Tortores dicuntur demones quia semper ad hoc parati sunt ut perditas animas suscipiant & in parte æternæ damnationis eas torqueant: Numquid autem postquam aliquis demersus in æternam damnationem fuerit, poterit in-*

venire spatium corrigendi, aut aditum exeundi? Non: Sed quousque ponitur pro infinito terminus: Et est sensus: Semper solvet, sed nunquam persolvet, & semper panam luet. Similiter etiam Chrysostomus homil. 62. in Matth. *Tradidit eum tortoribus, donec universum debitum persolveret* (inquit) *id est ad perpetuitatem supplicii eum tradidit: Numquam enim persolvetur est &c.* Ut & ad iudicii tempus id Origenes refert quando eum traditurus est tortoribus ut in æternum puniatur: *Videtur* (inquit) *de temporibus iudicii hoc præstare: Tum postea: Qui autem sunt isti tortores? Qui constituti sunt super panas &c.*

simplex; peccata vero præterita fuerunt adulteria, vel homicidia, seu sacrilegia;) sive etiam loquamur de gravitate quam habet ex ingratitude annexa. Non enim oportet quod quantitas ingritudinis sit absolute æqualis quantitati beneficii suscepti, cujus quantitas attenditur secundum quantitatem peccatorum prius dimissorum. Contingit enim quod contra idem beneficium unus est multum ingratus vel secundum intensionem (1) contemptus beneficii, vel secundum gravitatem culpæ contra benefactorem commissæ; alius autem parum, vel quia minus contemnit, vel quia minus contra benefactorem agit. Sed proportionaliter quantitas ingritudinis adæquatur quantitati beneficii: supposito enim æquali contemptu beneficii, vel offensa benefactoris, tanto erit gravior ingratitude, quanto beneficium fuit majus.

Unde manifestum est quod non est necesse quod propter ingritudinem semper per peccatum sequens redeat tantus reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum; sed necesse est quod proportionaliter, quanto peccata prius dimissa fuerunt plura, & majora, tanto redeat major reatus per qualecumque sequens mortale peccatum.

Ad primum ergo dicendum, quod beneficium remissionis culpæ recipit quantitatem absolutam secundum quantitatem peccatorum prius dimissorum; sed peccatum ingritudinis non recipit quantitatem absolutam secundum quantitatem beneficii, sed secundum quantitatem contemptus, (2) vel offensæ, ut dictum est (in cor. art.) Et ideo ratio non sequitur.

Ad secundum dicendum, quod etiam servus manumissus non reducitur in pristinam eritutum pro qualicumque ingratitude, ed pro aliqua gravi. (3)

Ad tertium dicendum, quod illi cui peccata dimissa replicantur propter subsequenter ingritudinem, redit universum debitum, inquantum quantitas peccatorum præcedentium proportionaliter invenitur in ingratitude subsequenti, non autem absolute, ut dictum est (in cor. art.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem & ostendas, & recte intelligas merito esse insinuatum a scripturis, & Augustino, quod non redit tantus reatus poenæ post peccatum factum post poenitentiam, quantus ante poenitentiam fuerat propter peccata jam commissa. A scripturis, quidem per hoc, quod dicitur Deuter. 25. *Pro mensura*, &c. ut cum discursu ponitur in arg. contr. Item per dictum Apocal. 18. *quantum glorificavit se, & in delictis fuit, tantum date ei tormentum, & luctum*. Discurre super hoc, sicut fecit textus super illud Deuter. 25. Item per dictum Luc. 12. *Servus, qui cognovit voluntatem domini sui, & non se preparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit plagis multis: qui autem non cognovit, & fecit digna, plagis vapulabit paucis*. Per hoc namque; quod ponuntur hic peccata disparia, & his disparitas plagarum assignatur, datur intelligi illud esse verum, quod dicit discursus in argum. contra. A. B. Augustino autem idem insinuatur per hoc, quod in Homil. super Marth. 5. dicit. *Sicut levius est esse reum judicio, quam reum esse concilio, ita levius est esse reum concilio, quam esse reum gehennæ ignis*. Itaque oportet, ut levius esse intelligatur irasci sine causa fratri, quam dicere racha, & rursus levius esse dicere racha, quam dicere fasue. Non enim reatus ipse haberet gradus: nisi gradatim peccata etiam commemorarentur. Hæc ibi. Ex eo enim, quod reatum ponit correspondere peccatis, non quomodocumque, sed proportionaliter, idest major majoribus, & minor minoribus, dat intelligere, quod, si post poenitentiam quis peccet minori peccato, puta furto, quam ante poenitentiam peccaverat, puta cum blasphemaverat, non confurgit tantus absolute reatus, quantus fuerat ante: sed confurgit tantus proportionaliter, quanta est gravitas peccati post commissi. Secundo vides: quomodo &c.

AR-

(1) Ut est in Manuscripto, & in impressis passim ad contemptum intensionem exprimendum; tamethi quædam Editiones Parisienses (& receptor quidem) intensionem legant: Quod & habere potest sensum suum, si nempe mensuretur ingratitude ex eo quod ingratus plus vel minus intendit contemnere benefactorem &c.

(2) Hinc patet supra legi oportere intensionem, quæ nomen quantitatis magis exprimit.

(3) Scilicet cum nocere conatur; ut etiam de manumissis Ecclesiæ Causa 12. qu. 2. cap. *Episcopus* & cap. *Liberti* ex Concilio Toletano 4. cap. 67. & cap. 70. decernitur.

A R T I C U L U S IV. 539

Utrum ingratitude, ratione cujus sequens peccatum facit redire peccata prius dimissa, sit speciale peccatum.

2. 2. *quest. CVII. art. 2. ad 1. & IV. dist. 11. quest. 1. art. 3. quest. 3.*

AD quartum sic proceditur. Videtur quod ingratitude, ratione cujus sequens peccatum facit redire peccata prius dimissa, sit speciale peccatum. Retributio enim gratiarum pertinet ad contrapassum, quod requiritur in iustitia, ut patet per Philosophum V. Ethic. (1) Sed iustitia est specialis virtus. Ergo ingratitude est speciale peccatum.

2. Præterea. Tullius in II. Rethor. (seu de invent. aliquant. ante si.) ponit quod gratia est specialis virtus. Sed ingratitude opponitur gratiæ. Ergo ingratitude est speciale peccatum.

3. Præterea. Specialis effectus a speciali causa procedit. Sed ingratitude habet specialem effectum, scilicet quod facit aliquant. ante si.) ponit quod gratia est specialis virtus. Sed ingratitude opponitur gratiæ. Ergo ingratitude est speciale peccatum.

Sed contra. Illud quod consequitur omnia peccata, non est speciale peccatum. Sed per quodcumque peccatum mortale aliquis efficitur Deo ingratus, ut ex præmissis patet (art. 1. hu. *quest.*) Ergo ingratitude non est speciale peccatum.

Respondeo dicendum, quod ingratitude peccantis quandoque est speciale peccatum, quandoque autem non; sed est circumstantia generaliter consequens omne peccatum mortale, quod contra Deum committitur: peccatum enim speciem recipit ex intentione peccantis: unde, ut Philosophus dicit V. Ethic. (2) *ille qui mæchatur, ut furetur, magis est Summ. S. Tb. Tom. XII.*

fur quam mæchus.

Si igitur aliquis peccator in contemptum Dei, & suscepti beneficii aliquid peccatum committat, illud peccatum trahitur ad speciem ingratitude: & hoc modo ingratitude peccantis est speciale peccatum. Si vero aliquis intendens aliquid peccatum committere, puta homicidium, aut adulterium, non retrahatur ab hoc propter hoc quod pertinet ad Dei contemptum, ingratitude non erit speciale peccatum, sed trahetur ad speciem alterius peccati, sicut circumstantia quædam.

Ut autem Augustinus dicit in Lib. de natura, & gratia (3) non omne peccatum est ex contemptu; & tamen in omni peccato Deus contemnitur in suis præceptis. Unde manifestum est quod ingratitude peccantis quandoque est speciale peccatum, sed non semper.

Et per hoc patet responsio ad objecta. Nam primæ rationes concludunt, quod ingratitude secundum se sit quædam species peccati; ultima autem ratio concludit quod ingratitude, secundum quod invenitur in omni peccato, non sit speciale peccatum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, quod ingratitude consequitur omnia peccata, velut circumstantia aggravans illa. Insinuat autem id per hoc, quod dicitur 2. Reg. 12. *Hec dicit Dominus Israel. Ego unxi te in regem super Israel; & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in sinu suo, dedique tibi domum Israel, & Juda, & si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora. Quare ergo contempsisti verbum domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Etheum*

Z z

per-

(1) Non sicut prius cap. 5. sed 8. tum in græco- latinis tum in antiquis & apud S. Thomam lect. 8. Ubi proinde templum gratiarum (χαριτων ιναρ) in civitate constitui dicitur, ut æqualis retributio fiat, quæ indicatur per *contra passum* (αντιπασσοει) quando scilicet id aliquis recipit quod alicui dedit, sive simile pro simili patitur &c. Sequens autem appendix ex Tullio lib. 2. de inventionem num. 56. indicatur, ubi enumerando virtutes quasdam inter illas gratiam ponit, hoc est *gratitudinem* &c.

(2) Ex cap. 3 in antiquis & apud S. Thomam lect. 3. vel ex cap. 4. græco lat. colligitur, non sicut prius ex cap. 2. Paulo aliter autem ibi, si *luri causa mæchus* fiat &c.

(3) Cum ibi nempe cap. 29. Pelagium refellat sic dicentem, *Quomodo superbiam ipsam a peccato separabimus? Tam peccare superbia est, quam superbia peccare: Nam quare quid sit quodcumque peccatum, & vide si invenies aliquid sine superbia appellatione peccatum: Deinde addit: Hanc autem sententiam sic exequitur & sic probare conatur: Omne (inquit) peccatum, nisi fallor, Dei contemptus est; & omnis Dei contemptus superbia est. Quid enim tam superbum quam Deum contemnere? Omne ergo peccatum superbia est: Reponit porro August. quod non omnia superbe fiunt quæ peccata sunt, certe a mensuris, certe ab infirmis, certe plerumque a sensibus & gementibus &c.*

percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon. His etenim verbis monstratur, quod peccata Davidis ratione ingratitude aggrava-
bantur proportionaliter ad ipsa suscepta beneficia. Et, licet hæc non dicatur ingrati-
tudo propter beneficium remissionis peccatorum priorum; tamen hoc nihil obstat proposito articuli: quoniam formalitas principalis est utrobique de ingratitude ad beneficia jam recepta. A simili autem ex hoc loco lib. reg. monstratur universaliter, quod ingrati-
tudo est circumstantia consequens quodlibet peccatum, & illud aggravans. Ideo enim beneficia Dei ad David hic commemorantur, ut manifestum fiat peccata Davidis aggravari ex beneficiis ante receptis. *Secundo* vides: quo-
modo &c.

Q U Æ S T I O LXXXIX.

De virtutum recuperatione per pœnitentiam,

In sex articulos divisa.

DEinde considerandum est de recuperatione virtutum per pœnitentiam: & circa hoc quaeruntur sex.

Primo, utrum per pœnitentiam restituantur virtutes.

Secundo, utrum restituantur in æquali quantitate.

Tertio, utrum restituantur pœnitenti æqualis dignitas.

Quarto, utrum opera virtutum per peccatum sequens mortificentur.

Quinto, utrum opera mortificata per peccatum, per pœnitentiam reviviscant.

Sexto, utrum opera mortua, idest absque caritate facta, per pœnitentiam vivificentur.

A R T I C U L U S I. 540

Utrum per pœnitentiam virtutes restituantur.

2. 2. *quest. lxxi. art. 3. ad 3. & IV. dist. xiv. quest. ii. art. 2.*

AD primum sic proceditur. Videtur quod per pœnitentiam virtutes non restituantur. Non enim possent virtutes amissæ per pœnitentiam restitui, nisi pœnitentia virtutes causaret. Sed pœnitentia, cum sit virtus, non potest esse causa omnium virtutum; præsertim cum quædam virtutes sint naturaliter priores pœnitentia, scilicet fides, spes, & caritas, ut supra dictum est (*quest. lxxxv. art. 6.*) Ergo per pœnitentiam non restituantur virtutes.

2. Præterea. Pœnitentia in quibusdam actibus pœnitentis consistit. Sed virtutes gratiæ non causantur ex actibus nostris: dicit enim Augustinus in Lib. II. de libero arbit. (*cap. xviii. & in Psal. cxviii. conc. xxvi. ante med.*) quod *virtutes Deus in nobis sine nobis operatur*. Ergo videtur quod per pœnitentiam non restituantur virtutes.

3. Præterea. Habens virtutem sine difficultate, & deestabiliter actus virtutum operatur: unde Philosophus dicit in I. Ethic. (1) quod *non est justus qui non gaudet justa operatione*. Sed multi pœnitentes adhuc difficultatem patiuntur in operando actus virtutum. Non ergo per pœnitentiam restituantur virtutes.

Sed contra est quod, sicut Luc. xv. legitur, pater mandavit quod filius pœnitens indueretur stola prima, quæ secundum Ambrosium (*in hunc loc.*) est *amicus sapientie*, quam simul consequuntur omnes virtutes, secundum illud Sap. viii. 7. *Sobrietatem, & justitiam doces, prudentiam, & virtutem*, (2) *quibus utilius nihil est in vita hominibus*. Ergo per pœnitentiam omnes virtutes restituantur.

Respondeo dicendum, quod per pœnitentiam remittuntur peccata, ut dictum est (*quest. lxxxvi. art. 1.*) Remissio autem peccatorum non potest esse nisi per infusionem gratiæ. Unde relinquitur quod per pœnitentiam restituantur virtutes.

(1) Non cap. 8. sicut prius indicabatur ad marginem, sed in græco-latino cap. 9. & cap. 13. in antiquis ac apud S. Thomam lect. 13.

(2) Loco fortitudinis hic positam, ex græca voce *ἀρετή* quasi *virilitatem* dicas; cum & inde virtutis

nomen sumptum videatur. In istis autem virtutibus intelliguntur aliæ omnes, quia omnes ad illas referuntur veluti cardinales (loquendo saltem de moralibus) vel ex illis aliquo modo derivatæ videri possunt &c.

nitentiam homini gratia infundatur.

Ex gratia autem consequuntur omnes virtutes gratiæ, sicut ex essentia animæ fluunt omnes potentia, ut in secunda parte habitum est (1) Unde relinquitur quod per pœnitentiam omnes virtutes restituantur.

Ad primum ergo dicendum, quod eodem modo pœnitentia restituit virtutes per quem modum est causa gratiæ, ut jam dictum est (in corp. & quæst. lxxxvi.) Est autem causa gratiæ, in quantum est sacramentum: nam in quantum est virtus, est magis gratiæ effectus. Et ideo non oportet quod pœnitentia, secundum quod est virtus, sit causa omnium aliarum virtutum; sed quod habitus pœnitentiæ simul cum habitibus aliarum virtutum per sacramentum pœnitentiæ causetur.

Ad secundum dicendum, quod in sacramento pœnitentiæ actus humani se habent materialiter; sed formalis vis hujus sacramenti dependet ex virtute clavium. Et ideo virtus clavium effectivè causat gratiam, & virtutes, instrumentaliter tamen; sed actus primus pœnitentis se habet ut ultima dispositio ad gratiam consequendam, scilicet contritio; alii vero sequentes actus pœnitentiæ procedunt jam ex gratia, & virtutibus. (2)

Ad tertium dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. lxxxvi. art. 5.) quandoque post primum actum pœnitentiæ, qui est contritio, remanent quædam reliquiæ peccatorum, scilicet dispositiones ex prioribus actibus peccatorum causatæ, ex quibus præstatur difficultas quædam pœnitenti ad operandum opera virtutum; sed, quantum est ex ipsa inclinatione caritatis, & aliarum virtutum, pœnitens opera virtutum delectabiliter, & sine difficultate operatur; sicut si virtuosus per accidens difficultatem pateretur in executione actus virtutis propter somnum, aut aliquam corporis indispositionem.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, Ecclesia, & B. Vincentio, quod per pœnitentiam virtutes restituantur. **A**

scripturis quidem, ut per hoc, quod dicitur *Luc. 15.* secundum quod cum expositione ponitur in *arg. cont.* A B. Vincentio autem ordinis prædicatorum doctore celeberrimo per hoc, quod in serm. Sabbati post Dom. 2. Quadrag. super illud *Luc. 15.*, Proferte „ stolam primam, & induite illum, *inquit.* „ Ecce magna misericordia Christi: qui non „ solum remittit culpas, sed etiam restituit „ sibi gratiam pristinam, vestiendo animam „ veste gratiæ, qua fuerat nudata. Et, „ quando anima vestita est veste gratiæ, „ potest cantare, & dicere. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, *Isaïa 61.* Vestimenta salutis sunt habitus virtutum theologicalium, & moralium, sive Cardinalium, & septem dona Spiritus sancti. Omnia ista restituit Dominus pœnitenti. Indumentum iustitiæ, est gratia divina habitualis. „ Hæc ibi. Intellige, quod redditur fides theologicalis, & spes pœnitenti: in quantum fit, quod per gratiam datam sint meritoria, quæ prius remanserant informes: licet in peccatoribus multis non fuissent perditæ. Ab Ecclesia vero idem insinuat per hoc, quod in hymn. de B. Maria Magdalena dicit. *Uni Deo sit gloria pro multiformi gratia, qui culpas, & supplicia remittis, & dat præmia.* Scilicet, pœnitenti. Non enim dantur præmia, nisi meritis, & non meremur sine gratia, & virtutibus, 1. 2. *quæstion. 114. articuli. 2.* quoniam virtutes gratiæ sunt connexæ, 1. 2. *quæst. 65.* Ac si ergo dixerit Ecclesia quod Deus dat gratiam, virtutes omnes, & præmia. *Secundo vides: quomodo &c.*

ARTICULUS II. 541

Utrum post pœnitentiam resurgat homo in equali virtute.

Inf. art. 5. ad 3. & III. dist. xxxi. quæst. 1. art. 4.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod post pœnitentiam resurgat homo in equali

(1) Hoc est 1. 2. quæst. 110. art. 4. ad 1. non art. 1. sicut prius. Nec refert quod in statu peccati semper maneat fides, quia etsi maneat quantum ad id quod est credere, non remanent nihilominus quoad rationem virtutis, ut sit aut esse possit meritorius ejus actus: Unde hoc modo eam pœnitentia restitue-

re dici potest.

(2) Absolute ac simpliciter & in omni genere; cum ex illa etiam oriatur perfecta contritio in genere causæ formalis, quamvis in genere causæ materialis eam antecedit; sed imperfecta contritio quæ perficitur per sacramentum, sit omnimode anterior

æquali virtute. Dicit enim Apostolus Roman. VIII. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: ubi dicit Glossa Augustini (ord. Lib. de corrept. & grat. cap. ix. a med.) quod „ hoc adeo verum est ut si „ qui horum devient, & exorbitent, etiam „ hoc ipsum eis Deus faciat in bonum proficere. “ Sed hoc non esset, si homo resurgeret in minori virtute. Ergo videtur quod pœnitens numquam resurgat in minori virtute.

2. Præterea. Ambrosius dicit (1) quod *pœnitentia res optima est, qua omnes defectus revocat ad perfectam*. Sed hoc non esset, nisi virtutes in æquali quantitate recuperarentur. Ergo per pœnitentiam semper recuperatur æqualis virtus.

3. Præterea. Super illud Gen. 1. *Factum est vespere, & mane dies unus*, dicit Glossa (2) „ Vespertina lux est, a qua quis „ cecidit; matutina, in qua resurgit. “ Sed lux matutina est major vespertina. Ergo aliquis resurgit in majori gratia, vel caritate quam prius habuerit: quod etiam videtur per id quod Apostolus dixit Rom. v. 20. *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia*.

Sed contra. Caritas proficiens, vel perfecta est major quam caritas incipiens. Sed quandoque aliquis cadit a caritate proficiente, resurgit autem in caritate incipiente. Ergo semper resurgit homo in minori virtute.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (quæst. lxxxvi. art. 6. ad 3. & art. præc. ad 2.) motus liberi arbitrii, qui est in justificatione impii, est ultima dispositio ad gratiam; unde in eodem instanti est gratiæ infusio cum prædicto motu liberi arbitrii, ut in secunda parte habitum est (1. 2.

quæst. cxiii. art. 5. & 7.) in quo quidem motu comprehenditur actus pœnitentiæ, ut supra dictum est (quæst. lxxxvi. art. 2.)

Manifestum est autem quod formæ quæ possunt recipere *magis, & minus*, intenduntur, & remittuntur secundum diversam dispositionem subjecti, ut in secunda parte habitum est (1. 2. quæst. liii. art. 1. & 2. & quæst. lxxvi. art. 1.) Et inde est quod secundum quod motus liberi arbitrii in pœnitentia est intensior, vel remissior, secundum hoc pœnitens consequitur majorem, vel minorem gratiam. Contingit autem intensiorem motus pœnitentis quandoque proportionatam esse majori gratiæ quam fuerit illa a qua ceciderat per peccatum, (3) quandoque autem æquali, quandoque vero minori. Et ideo pœnitens quandoque resurgit in majori gratia quam prius habuerat, quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori: & eadem ratio est de virtutibus, quæ ex gratia consequuntur.

Ad primum ergo dicendum, quod non omnibus diligentibus Deum cooperatur in bonum hoc ipsum quod ipse peccatum a Dei amore cadunt; quod patet in his qui cadunt, & numquam resurgunt, vel qui resurgunt, iterum cadunt: sed his tantum, qui secundum propositum vocati sunt sancti, idest prædestinati, qui quotiescumque cadunt, finaliter tamen resurgunt. Cedit ergo eis in bonum hoc quod cadunt, non quia semper in majori gratia resurgant, sed quia resurgunt in permanentiori gratia: non quidem ex parte ipsius gratiæ, quia quanto gratia est major, tanto de se est permanentior; sed ex parte hominis, qui tanto stabilius in gratia permanet, quanto est cautior, & humilior. Unde & Glossa (4) ibidem subdit, quod *ideo proficit eis in bonum, quod*

(1) Sive potius author Hypognostici apud Augustinum lib. 3. cap. 9. ubi defectos legit, idest eos qui defecerunt.

(2) Ubinam porro? Nec enim in veteri vel moderna occurrit: Sed suppleri ex Augustino potest quoad sensum; qui nempe lib. 1. super Genesim ad litteram cap. 17. *An factum est vespere & mane, dies unus*, inquit, *us per hoc quod facta est vespere peccatum rationalis creatura, quod autem factum est mane, innovatio ejus significata videatur?* Ex Beda porro eam colligi posse cap. 8. in Genesim Editiones aliæ gratis notant ubi sic tantum Beda, *Vespere peccatum rationalis creatura, mane renovatio illius significatur*: Quod ex prædictis Augustini verbis mutatus est.

(3) Secundum illud Chrysostomi sermone de pœnitentia qui decem hominibus ab eo de eadem habitis annexitur. *O pœnitentia que vitam de inferis re-*

vocas statum restauras, gratiam abundantiorum refundis! Et inferius: *Quomodo ager frugifer, aut vinea facunda, aut arbor fructifera pinguescit &c.*

(4) Et ex eodem Augustini libro desumpta; ubi addit immediate post appendicem jam notatam, occasione horum verborum, *Servite Domino in timore & exultate ei cum tremore, ne perentis de via iusta*, sicut Psal. 2. vers. 11. habetur: *Dissonans omnis in ipsa via iusta cum tremore se exultare debere, non sibi arrogando sanquam de sua virtute fiduciam permanendi, nec dicendo in abundantia sua, non moverbor in æternum*, sicut habetur Psal. 29. vers. 7. ex persona Davidis qui subiungit ibidem: *Avertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus*: Indeeque Augustinus iterum post prædicta: *Ecce doctior & ob hoc etiam humilior factus est conturbatus, ut se invenires, & humiliter sapiens in quo spes habenda esset addisceret.*

quod cadunt, quia humiliores redeunt, atque doctiores.

Ad secundum, dicendum, quod pœnitentia, quantum est de se, habet virtutem reparandi omnes defectus ad perfectum, & etiam promovendi in ulteriorem statum; sed hoc quandoque impeditur ex parte hominis, qui remissius movetur in Deum, & in detestationem peccati; sicut etiam in baptismo aliqui adulti consequuntur majorem, vel minorem gratiam, secundum quod diversimode se disponunt.

Ad tertium dicendum, quod assimilatio illa utriusque gratiæ ad lucem vespertinam, & matutinam fit propter similitudinem ordinis: quia post lucem vespertinam sequuntur tenebræ noctis, post lucem autem matutinam sequitur lux diei: non autem propter similitudinem majoris, vel minoris quantitatis. Illud etiam verbum Apostoli intelligitur de gratia Christi, quæ superat omnem abundantiam humanorum peccatorum. Non autem est verum in omnibus quod quanto abundantius peccant, tanto abundantior gratiam consequantur, pensata quantitate habitualis gratiæ. Est tamen superabundans gratia quantum ad ipsam gratiæ rationem: quia magis gratis beneficium remissionis magis peccatori confertur: quamvis quandoque abundanter peccantes abundantius doleant, & sic abundantior habitum gratiæ, & virtutum consequuntur, sicut patet in Magdalena.

Ad id vero quod in contrarium obijcitur, dicendum quod una & eadem gratia major est proficiens quam incipiens, sed in diversis hoc non est necesse: unus enim incipit a majori gratia quam alius habeat in statu profectus, sicut Gregorius dicit in II. Dialog. (cap. 1. ante med.) *Quatenus & presentes, & secuturi omnes agnoscerent, Benedictus puer (*) conversationis gratiam a quantâ perfectione cepisset.*

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, quod post pœnitentiam aliquando in minori, aliquando in æquali, & aliquando in majori gradu virtutis, quam fuerat prius, resurgit homo. Quod quidem in majori, ut per hoc, quod Zachæus dicit Luc.

19. *Ecco dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus; & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Constat enim his verbis, quod post pœnitentiam Zachæus & plus reddit, quam defraudaverat, & plus dat pauperibus, quam sibi pro necessitate salutis opus erat. Porro ex *ly Ecco*, datur intelligi, quod Zachæus hæc, tamquam insolita sibi prius, Domino proponebat; & consequenter, quod per hoc confitebatur, se nunquam in tanto gradu virtutis vixisse. Item, quod in majori: *Ut per hoc, quod dicitur Baruch 4. Sicut fuit sensus vester, ut erraretis a Deo: decies tantum iterum convertentes requiretis eum.* Item, quod in majori: *Ut per hoc, quod de Petro legitur, quod altioris gradus virtutis fuit post pœnitentiam, quam ante lapsum: si bene penetrentur de illo narrata, Matth. 25. & Joan. 1. Etsi, inquit primo, omnes scandalizati fuerint, ego numquam scandalizabor. Si oportuerit, me mori tecum, non te negabo.* Fervidus quidem est utrobique Petrus, sed tamen fervorem suum gubernare nesciens, & utrobique magis sibi metipsum, quam Christo, credit; & in priori sententia seipsum, quasi ceteros de infirmitate taxans, præfert discipulis. Dixerat enim Christus *ly omnes vos scandalizabimini.* Et *ly ser me negabis*, respondit autem Petrus *ly ego numquam scandalizabor: Et ly non te negabo.* Cui ergo magis credit Petrus? Nonne sibi? Rursus ad *ly omnes vos scandalizabimini*; dum respondet *ly etsi omnes, scilicet alii, ego numquam, se firmum, reliquos infirmos esse posse concedens, testatur aperte. Verumtamen, sicut zelum non secundum scientiam, Apost. Rom. 10. non approbat: ita fervorem istum suum non secundum scientiam Petrus ipse humilior, & doctior ex lapsu factus, & animo, & verbis, tantum malum corrigit, Joan. 21. Christo siquidem ibi sibi ter dicenti *ly diligis me plus his?* Semper respondit *ly tu scis, quia amo te*, & in tertia interrogatione contristatur, & addit *ly tu omnia nosti.* Ac si colligendo omnia in unum, Petrus aperte dicat: *Mihi quidem videtur, quod ego amem te, sed ideo ad interrogationem tertiam contristor, quia forsan non esse verum illud, quod mihi videtur, conjicio ex tot interrogationibus continuis a te factis: quapropter iudicium meum de me tibi submitto dicens,**

14

(*) Ita cum Gregorio *miss. & edit. passim. Cod. Alcan. ordine tantum verborum translato incepisset.*

Edit. Rom. hoc retento conversionis.

in omnia nosti. Ecce: Petrum correxisse insipientiam prioris sui fervoris in hoc, quod nunc magis credit, & credere se protestatur Christo, quam sibi ipsi. Sed & ejusdem fervoris insipientiam correxit in hoc alio, quod se præferre suis condiscipulis recusavit: dum ad comparationem importatam per ly plus his expressum responsum non dedit, sed simpliciter dixit *ly amo se*. Quasi B. Petrus, tamquam & verus pœnitens, & aliorum pœnitentium bonum exemplar, prius deliberando prudentissime, intra se dixisset. Expertus sum factis ipsis, & quod mei condiscipuli, contra æstimationem meam pristinam fuerunt minus infirmi, quam ego: cum illi magistrum meum non negaverint, ego vero sic, & quod magister meus magis cognovit intrinsecum meum, quam ego ipse, cum ille affirmaret, me negaturum, quod feci, ego autem contra numquam me negaturum crederem, verbiq; credulitatem meam vere exponentibus confirmarem, quod tamen non feci. Idcirco animum meum, atque loquelam ita posthac temperabo, ut in primis magistro meo omnem honorem in omnibus, & per omnia deferam, & meorum fratrum bonitati, veritati, ceterisque virtutibus non me præferam. Pœnitentium ergo aliqui, secundum scripturas, resurgunt in majori gradu virtutum, quam ante fuerant. Quibus & B. Paulum connumerandum vult ly *in omnibus laboravi*, I. Corint. 15. & B. Mariam Magdalenam *ly lacrymis cepit rigare pedes ejus*, &c. Luc. 7. de qua etiam D. Greg. in quadam Homil. dicit, quod, *que prius peccando frigida remanserat, postmodum amando fortiter ardebat*. Quod vero quis in minori, vel etiam in virtute æquali confurgat, insinuat per hoc, quod ad quemdam dicitur Apoc. 2. *Caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac*. His enim verbis, ut ea considerantibus constar, innuitur id, quod nunc dicebamus. Sed &

qui diligenter intellectu vigili scrutatus fuerit ejusdem Apoc. totum secundum, ac tertium capitulum, inveniet, quod pœnitentiarum triplex est (illa, quam dixit articulus) differentia, videlicet, quod *quidam* in minori, *aliqui* in æquali, *nonnulli* in majori virtute resurgunt. Secundo vides: quomodo &c.

ARTICULUS III. 549

Utrum per pœnitentiam restituatur homo in pristinam dignitatem.

III. dist. xxxi. quest. 1. art. 4. quest. 7. ad 1. & dist. xiv. quest. 1. art. 5. quest. 1. ad 2. & dist. xix. quest. 1. art. 3. quest. 2. ad 2. & dist. xxxvii. quest. 11. art. 2. ad 4.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod per pœnitentiam non restituatur homo in pristinam dignitatem. Quia super illud Amos v. *Virgo Israel cecidit*, dicit Glossa (1) „ Non negat posse resurgere, sed *non resurget virgo Israel*: quia semel aberrans ovis, „ etsi reportetur humeris pastoris, non habet tantam gloriam, quantam quæ nuncquam erravit. „ Ergo per pœnitentiam non recuperat homo pristinam dignitatem.

2. Præterea. Hieronymus dicit (hab. cap. xxx. distinct. 1.) *Quicumque dignitatem divini gradus non custodiunt, contenti fiant animam salvare: reverti enim in pristinum gradum difficile est*: & Innocentius I. Papa (epist. vi. ad Agapitum, & hab. cap. Canonis, dist. l.) dicit, quod *apud Nicæam constituti canones pœnitentes etiam ab infimis officiis clericorum excludunt*. Non ergo per pœnitentiam homo recuperat pristinam dignitatem.

3. Præterea. Ante peccatum potest aliquis ad majorem gradum ascendere. Non autem hoc post peccatum conceditur pœnitenti: dicitur enim Ezech. xlv. 10. *Levite qui recesserunt a me, . . . numquam appropinquabunt mihi*

(1) Ex Hieronymo sumpta verbis paululum immutatis in eum locum sic dicente: *Qui de numero virginum est, si erraverit ob leve quoque peccatum, non poterit suscitari: Non quod non suscitetur, sed nequaquam suscitetur virgo Israel; Non est enim eadem gloria ejus qui semper sequutus est Dominum, & ejus qui aberravit a grege, ac postea boni Pastoris reportatus est humeris &c.* Sequens autem appendix Hieronymi nomine prænotata, sic in Decretis distinct. 10. cap. *Quicumque dignitatem indicatur, sed apud illum non occurrit, quia tale quiddam ex canone 27. Basilii ad Amphilochem insinuat Addi-*

tamenti author ibi. Quod ex Innocentio item subjungitur, habetur in eadem distinct. 59. cap. *Canonis* & ex illius epist. 6. quam Agapito scripsit, prænotatur: Ut & appendix Hierdenis (non Hilernenis) Concilii, cap. *Hi qui altariorum sic plenius habetur: Si Domino respiciente digne pœnituerint, ita ut mortificato corpore cordis contriti sacrificium Deo offerant, moneantur in potestate Pontificis vel veraciter affectos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiori tempore ab Ecclesia corpore segregare; ita tamen ut sic officiorum suorum &c.*

mibi, ut sacerdotio fungantur: & sicut habetur in Decret. dist. l. (cap. lxx.) in Ilerdensi Concilio (can. v.) legitur: *Hi qui sancto altari deseruiunt, si subito in flenda carnis fragilitate corruerint, & Domino respiciente digne pœnituerint, officiorum suorum sic loca recipiant, ut non possint ad altiora officia ulterius promoveri.* Non ergo pœnitentia restituit hominem in pristinam dignitatem.

Sed contra est quod, sicut in eadem distinct. (cap. xvi.) legitur, Gregorius scribens Secundino Lib. VII. Regist. indict. 2. epist. lrv. cir. med.) dicit: *Post dignam satisfactionem credimus, hominem posse redire ad suum honorem; & in Concil. Agathensi (can. II.) legitur: Consumaces clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur; ita ut cum eos pœnitentia correxit, gradum suum, dignitatemque recipiant.*

Respondeo dicendum, quod homo per peccatum duplicem dignitatem amittit, unam quantum ad Deum, aliam vero quantum ad Ecclesiam. Quantum autem ad Deum, amittit duplicem dignitatem. Unam principalem qua scilicet computatus erat inter filios Dei per gratiam, & hanc dignitatem recuperat per pœnitentiam: quod significatur Luc. xv. in filio prodigo, cui pœnitenti pater iussit restitui stolam primam, & annulum, & calcamenta. Aliam vero dignitatem amittit secundariam, scilicet innocentiam, de qua (sicut ibidem legitur) gloriabatur filius senior dicens: *Ecce tot annis serui sibi, & nunquam mandatum suum prœserui;* & hanc dignitatem pœnitens recuperare non potest; recuperat tamen quandoque aliquid maius: quia, ut Gregorius dicit in hom. de centum ovibus (xxxiv. in Evang. aliquant. a princ.) *qui errasse a Deo se considerans, damna prœcedentia lucris sequentibus recompensant. Majus ergo gaudium de eis fit in cœlo: quia & dux in prælio plus eum militem diligit qui post fugam reversus hostem fortiter premis, quam il-*

lum qui nunquam terga prœbuit, & nunquam aliquid fortiter fecit. (1)

Dignitatem autem ecclesiasticam homo per peccatum perdit, quia indignum se reddit ad ea quæ competunt dignitati ecclesiasticæ exercenda: quam quidem recuperare prohibetur. Uno modo quia non pœnitet: unde Isidorus (*) ad Massonem Episcopum scribit (a princ. & hab. inter op. Rabani) sicut in eadem dist. legitur (cap. Dominus :) *Illos ad pristinos gradus redire canones præcipiant, quos pœnitentiæ præcessit satisfactio, vel condigna peccatorum confessio. At contra hi qui a vitio corruptionis non emendantur, nec gradum honoris, nec gratiam recipiunt communionis. Secundo quia pœnitentiam negligenter facit: unde in eadem dist. (cap. Si quis diaconus) dicitur: (2) *Cum in aliquibus nec compunctio humilitatis, nec instantia orandi appareat, nec jejuniis, vel lectionibus eos vacare videamus; possumus agnoscere, si ad pristinos honores redireat, cum quanta negligentia permanerent.* Tertio si commisit aliquod peccatum quod habet irregularitatem annexam: unde in eadem distinct. (cap. viii.) ex Concilio Martini Papæ dicitur (hab. inter capitula Martini Bracarenfis cap. xxvi.) *Si quis viduam, aut ab alio relictam duxerit, non admittatur ad clerum: quod si irrepserit, deiciatur. Similiter si homicidii aut facti, aut præcepto, aut consilio, aut defensione post baptismum conscius fuerit. Sed hoc non est ratione peccati, sed ratione irregularitatis. Quarto propter scandalum: unde, ut in eadem dist. legitur, (cap. De his vero) Rabanus dicit (Lib. I. Pœnitentium (**) ad Heribaldum cap. 1. (1) *Hi qui deprehensi, vel capti fuerint publice in perjurio, furto, atque fornicatione, & ceteris hujusmodi criminibus, secundum canonum sacrorum instituta a proprio gradu decidant: quia scandalum est populo Dei; tales personas supra se postas habere. Qui autem de prædictis peccatis***

(1) Sed & aliam similitudinem in eadem sententiam subiungens addit: *Sic agricola illam amplius terram amat quæ post spinas uberes fruges profert, quam eam quæ nunquam spinas habuit & nunquam fertilem messem producit.*

(*) Ita edis. Patav. Al. Ad Massanum, item Militanum, item Massianum. Cod. Alean. ad Julianum.

(2) Ex Hornisdæ Rescripto ad omnes Episcopos per univas Provincias constitutos; ubi plenius, *instantia orandi vel plangendi: Et mox, Cum quanta negligentia & cum quanto corpore & anime sue inimica securitate permanerent*

(**) Nicolajus isa. Edis. Patav. ad Othgarium.

(3) Ubi plenius quoque: *Quia scandalum est populo Dei tales personas supra se postas habere quas ultra modum vitiosas esse constat: Nempè inde retrahuntur homines a sacrificio Dei. sicut quondam; Heli filiis peccantibus fecisse leguntur, (1. Reg. 2.) & rebelles hinc existentes, eorum prævis exemplis quotidie peiores sunt: Et mox: Qui autem de prædictis peccatis abstondito a se commissis per occultam confessionem coram oculis Dei (sive coram angelis Dei) præsentem etiam sacerdote qui eis pœnitentiam indicturus est, confitentur & semetipsos graviter deliquisse queruntur, si se per jejunia, &c.*

absconse a se commissis occulto sacerdoti confitentur, si se per jejunia, & eleemosynas, vigiliisque, & sacras operationes purgare curaverim, his etiam gradu proprio servato spes venie de misericordia Dei promittenda est. Et hoc est quod dicitur extra, de qualitate ordinandorum (cap. Quæstum:) Si proposita crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, præter reos homicidii, post pœnitentiam in susceptis, vel jam suscipiendis ordinibus impediri non possunt.

Ad primum ergo dicendum, quod eadem ratio est de recuperatione virginitatis, & de recuperatione innocentie, quæ pertinet ad secundariam dignitatem quoad Deum.

Ad secundum dicendum, quod Hieronymus in verbis illis non dicit esse impossibile, sed esse difficile, hominem recuperare post peccatum pristinum gradum: quia hoc non conceditur nisi perfecto pœnitenti, ut dictum est (in corp.) Ad statuta autem canonum, quæ hoc prohibere videntur, respondet Augustinus Bonifacio scribens (epist. clxxxv. al. num. 45.) *Ut consistere in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentia, sed rigore factum est discipline: alioquin contra claves Ecclesie datas disputabitur, de quibus dictum est: Quæcumque solveritis super terram, soluta erunt & in cælo. Et postea subdit; Nam & sanctus David de criminibus mortiferis egit pœnitentiam; & tamen in honore suo perstitit: (1) & beatum Petrum, quando amarissimas lacrymas fudit, utique Dominum negasse pœnituit; & tamen Apostolus permansit. Sed non ideo putanda est supervacua (*) posteriorum diligentia, qui ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, experti (ut credo) aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum (**)* potentias.

Ad tertium dicendum, quod illud statum intelligitur de illis qui publicam pœnitentiam agunt, qui postmodum non possunt ad majorem provehi gradum. Nam & Pe-

trus post negationem pastor ovium Christi constitutus est, ut patet Joan. ult. ubi etiam Chryostomus dicit (hom. lxxxvii. in Joan. ante med.) quod Petrus post negationem, & pœnitentiam ostendit, se habere majorem fiduciam ad Christum: qui enim in cæna non audebat interrogare, sed Joanni interrogationem commisit, huic postea & præpositura fratrum credita est, & non solum non commisit alteri interrogare quæ ad ipsum pertinent, sed de reliquo ipse pro Joanne Magistrum interrogat.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem & ostendas, & recte intelligas, merito esse infirmatum a scripturis, Papa, Gregorio, Chryostomo, & Augustino. quod per pœnitentiam homo restituitur, & non restituitur in pristinam dignitatem. A Gregorio, quidem, & Chryostomo, ut in arg. contr. A scripturis vero per hoc, quod dicitur Sapient. 5. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est.* Constat enim, quod multi sanctorum illorum, de quibus talia reprobi dicent, ceciderunt in peccata mortalia. Non ergo verificaretur de eis, ut verificatur, quod postea computantur inter filios Dei: nisi per pœnitentiam, quam egerunt, restituti essent in pristinam dignitatem. Item per hoc, quod dicitur Apocal. 14. *Nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia: qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum, quocumque jers.* Istis enim verbis manifeste datur intelligi, quod in cælo est quædam dignitas aliquibus sanctorum tam specialis, ut ad eam alii per nullas suas pœnitentias, quantumvis maximæ fuerint (ut in legendis vitis eorum patet) restitui numquam poterint. Neminem enim posse dicere canticum ipsum, nisi illa 144. millia, importat illud, quod nunc diximus. Sed & hoc idem significat illud singulare, quasi aliis non conveniens, de eis dictum, scilicet. *Hi sequuntur agnum*

(1) Hoc est, dignitatem Regiam non amisit, sicut amisit Saul ante illum, quia pœnitentiam fictam egit quando a Samuele reprehensus est, dicens: *Peccavi, verumtamen honora me coram senioribus, &c.* 1. Reg. 15. vers. 30. Præmittit autem Augustinus post illa verba, & in cælo quod ne forte defectis criminibus, spe honoris ecclesiastici animus intumescens superbo ageret pœnitentiam, severissima placuit ut post eam de damnabili crimine pœnitentiam ne-

mo sis Clericus; ut desperatione temporalis altitudinis medicina verior & major esset humilitas: Ac deinde subiungit: *Nam Sanctus David &c.* sic: refertur in Decretis distinct. 50. cap. *Ut constitueretur; seu 25. non sicut prius 26.*

(*) Ita cum Augustino cod. Aleam. juxta verum Garcia, Al. posteriorum doctorum diligentia.

(**) Ita cum Augustino mss. & edit. passim. Al. pompas.

agnum, quocumque jerit. Porro dignitas illa virginitas est, secundum contextum hunc, & innocentia est secundum Ecclesiam hoc sanctis Innocentibus, ut patet in festo ipsorum, applicantem. Nec mirum. Innocentia namque hoc commune cum virginitate habet, ut dicitur in ad *primum*, quod utraque, si perdat semel, semper est irrecuperabilis. Voluit ergo ad propositum nostrum per illa verba B. Joannes Apostolus dicere, quod ad pristinam tum virginitatis, tum innocentie dignitatem nullus per poenitentiam quamcumque redire potest. A B. August. quoque in libro de virginitate insinuat id, quod in principio appendicis dicebatur. Lumbis accinctis, & lucernis accensis, expectate Dominum virgines, quando veniat; afferatis ad nuptias agni canticum novum, quale nemo poterit dicere, nisi 144. milia sanctorum cytharædorum illibatæ virginitatis. Sequimini agnum: quia & agni caro utique virgo est. Sequimini eum, tenendo perseveranter, quod vovistis. Ardenter facite, quod potestis, ne virginitatis bonum pereat: cum nihil facere possitis, ut redeat. Sequimini virgines agnum, quocumque jerit. Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce. Hæc ibi. Quæ ideo adducta sunt, quia, quoad non reditionem idem est iudicium de dignitate innocentie, quod de virginitatis. A Papa autem Leone X. per hoc, quod in Concilio *Latevanensi* novissimo sess. 7. dicitur: „ leguntur litteræ subscriptæ per Bernardinum Caravajal, & Federicum de sancto Severino, olim Cardinales, super materia abjuratæ schismatis, & unionis Ecclesie, & confessionis erroris ipsorum, & venie petitionis propter suscitatum ab illis schisma, &c. Qui post paucos dies in palatio Apostolico pristinae dignitati sunt restituti in concistorio secreto: post solemnem abjuratæ schismatis, venientes ad palatium tamquam privati clerici, & ante pedes Papæ abjurato schismate, & ante pedes Papæ abjurato schismate, alta, & intelligibili voce. „ Hæc in summa conciliorum. *Secundo* vides: quomodo &c.

ARTICULUS IV. 543

Utrum opera virtutum in caritate facta possint mortificari.

2. 2. *quæst.* cxxxii. *art.* 3. ad 1. & III. *dist.* xxxvi. *art.* 5. ad 1. & IV. *dist.* xiv. *quæst.* II. *art.* 3. *quæst.* 2. & *dist.* xxi. *quæst.* I. *art.* 1. *quæst.* 1. ad 3. & *dist.* xxii. *quæst.* 1. *art.* 1. ad 6. & *Hebr.* vi.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod opera virtutum in caritate facta mortificari non possint. Quod enim non est, immutari non potest. Sed mortificatio est quedam mutatio de vita in mortem. Cum ergo opera virtutum, postquam facta sunt, jam non sint, videtur quod ulterius mortificari non possint.

2. Præterea. Per opera virtutum in caritate facta homo meretur vitam æternam. Sed subtrahere mercedem merenti est injustitia, quæ non cadit in Deum (1) Ergo non potest esse quod opera virtutum in caritate facta per peccatum sequens mortificentur.

3. Præterea. Fortius non corrumpitur a debiliore. Sed opera caritatis sunt fortiora quibuslibet peccatis: quia, ut dicitur Proverb. x. 12. *universa delicta operis caritas*. Ergo videtur quod opera in caritate facta per sequens mortale peccatum mortificari non possint.

Sed contra est quod dicitur Ezech. xviii. 24. *Si averterit se justus a justitia sua, omnes justitie ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* (2)

Respondendo dicendum, quod res viva per mortem perdit operationem vitæ. Unde per quamdam similitudinem dicuntur res mortificari, quando impediuntur a suo proprio effectu, vel operatione.

Effectus autem operum virtuosorum, quæ in caritate fiunt, est perducere ad vitam æternam: quod quidem impeditur per peccatum mortale sequens, quod gratiam tollit. Et secundum hoc opera in caritate facta mortificari dicuntur per sequens peccatum mortale.

Summ. S. Tom. Tom. XII.

A a a

Ad

(1) Nec ferendo injustitiam istam specialem quæ est mercedem subtrahere; nec absolute generalem injustitiam qualemcumque quam committere nullo penitus modo Deus potest.

(2) Sive, non erunt in memoria, ut Hieron. ibi

legit (ex græco ἢ ἡ ἀποδοῦν) Paulo plenius autem sacer textus vers. 24. *Si averteris se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominaciones quas operari solet impius, numquid vivet? Omnes justitie ejus, &c.*

Ad primum ergo dicendum, quod sicut opera peccatorum transeunt actu, & manent reatu; ita opera in caritate facta, postquam transeunt actu; manent merito (1) in Dei acceptatione: & secundum hoc mortificantur, in quantum impeditur homo ne consequatur suam mercedem.

Ad secundum, dicendum, quod sine injustitia potest merces subtrahi merenti, quando ipse reddidit se indignum mercede per culpam sequentem: (2) nam & ea quæ homo jam accepit, quandoque juste propter culpam perdit.

Ad tertium dicendum, quod non est propter fortitudinem operum peccati, quod mortificantur opera prius in caritate facta; sed est propter libertatem voluntatis, quæ potest a bono in malum deflecti.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, quod opera virtutum facta in caritate mortificantur per peccatum mortale sequens. Ut per hoc, quod dicitur Ezech. 18. *Si averteris*, &c. secundum quod est in *arg. cont.* Item per hoc, quod dicitur Galat. 3. *Tanta passi estis sine causa*. Ac si dixerit Meritum, quod in patiando tanta propter Deum habuistis, nunc per peccatum vestrum perditis. Item per dictum 1. Cor. 15. *Notum vobis facio, fratres, Evangelium, quod predicavi vobis, &c. nisi frustra credidistis*. Item per dictum Apocal. 3. *Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*. Item per dictum Isa. 14. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* Miratur enim propheta casum Luciferi post subsequenter, cum tamen antea, tamquam primo mane, oriretur: & consequenter per hoc dat intelligere etiam, quod talis ejus casus contigit ex eo, quod ipse Lucifer clarum suum ortum, idest suam primam operationem in caritate factam mortificavit per mortale peccatum sequens, quod fuit superbia: de qua

mox subditur ibid. *Dicebas in corde tuo: in cælum conscendam: supra astra exaltabo solium meum, &c. Similis vero altissimo*. Pro cuius dicti prophetalis captu, quantum ad præsentis articuli intentum facit, sciendum est, quod Lucifer fuit creatus in gratia, 1. q. 62. a. 3. & per operationem suam in gratia factam meruit beatitudinem, ibid. a. 4. Sed ideo hanc non est consecutus, quia statim per culpam voluntariam præcedens meritum mortificavit, 1. q. 63. a. 5. ad 4. Ipsam namque beatitudinem, postquam illam meruit, mox accepisset: nisi statim impedimentum suæ beatitudinis præstitisset peccando, 1. q. 63. a. 6. Hanc etiam mortificationem boni operis per peccatum Luciferi factam subtiliter denotavit Christus de eo, sub nomine Diaboli, dicens Joan. 8. *In veritate non stetit*. Quod exponens B. Aug. in lib. 11. de civit. Dei, c. 15. dicit: *Oportet, ut sic accipiamus: quod in veritate fuerit, sed non permanferit*. Secundo vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S V. 544

Utrum opera mortificata per peccatum per penitentiam reviviscant.

W. dist. XIV. quest. 11. art. 3. quest. 3. & dist. XXI. quest. 1. art. 1. ad 6. & Hebr. v. lect. 1. & 3.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod opera mortificata per peccatum, per penitentiam non reviviscant. Sicut enim per penitentiam subsequenter remittuntur peccata præterita, ita etiam per peccatum sequens mortificantur opera prius in caritate facta. Sed peccata dimissa per penitentiam non redeunt, ut supra dictum est (quæst. præc. art. 1. & 2.) Ergo videtur quod etiam opera mortificata per caritatem non reviviscant.

2. Præterea. Opera dicuntur mortificari, ad similitudinem animalium quæ moriuntur, ut dictum est (art. præc.) Sed animal mortuum

(1) Idest quoad meritum: ut sit sensus quod est actus transit, meritum tamen actus manet; ne quis hic adverbium sibi fingat.

(2) Eo sensu explicat Hieronymus illud Aggæi 1. vers. 6. *Et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum*: cum sic ait: *Si quis a nobis bona operatur & digna mercede quam nobis redditurus est Dominus, de quo dicitur (Isaie 40. vers. 10. & Apoc. 22. vers. 12.) Ecce Dominus & merces ejus in manu illius reddere unicuique secundum opera*

suæ: & illud Apostoli (1. ad Corinth. 3. vers. 14.) Sic ut opus manserit, quod superadificaveris mercedem accipiet: iste congregat conservandas mansurasque mercedes: & virtutibus virtutes semper adiungant, coarctatas petunias in sacculum non pertusum: Qui autem post bona opera non semel & bis sed frequenter peccat, & præteritam caritatem sequentibus vitis obscurat & sordidat, iste in pertusum sacculum pecunias congregat, &c.

tuum non potest iterum vivificari. Ergo nec opera mortificata possunt iterum per pœnitentiam reviviscere.

3. Præterea. Opera in caritate facta merentur gloriam secundum quantitatem gratiæ, vel caritatis. Sed quandoque per pœnitentiam homo resurgit in minori gratia, vel caritate. Ergo non consequitur gloriam secundum meritum priorum operum: & ita videtur quod opera per peccatum mortificata non reviviscant.

Sed contra est quod super illud Joel. 11. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta*, dicit Glossa (1) „ Non patiar perire ubertatem, quam cum perturbatione animi amisistis. “ Sed illa ubertas est meritum bonorum operum, quod fuit perditum per peccatum. Ergo per pœnitentiam reviviscunt opera meritoria prius facta.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod opera meritoria per peccatum sequens mortificata non reviviscunt per pœnitentiam subsequentem, considerantes quod opera illa non remanent, ut iterum vivificari possint. Sed hoc impedire non potest quin vivificentur: non enim habent vim perducendi in vitam æternam (quod pertinet ad eorum vitam) solum secundum quod actu existunt, sed etiam postquam actu esse desinunt, secundum quod remanent in acceptatione divina. Sic autem remanent, quantum est de se, etiam postquam per peccatum mortificantur: quia semper Deus illa opera, prout facta fuerunt, acceptabit, & sancti de eis gaudebunt, secundum illud Apoc. 111. 11. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam suam.*

Sed quod isti qui ea fecit, non sint efficacia ad ducendum in vitam æternam, provenit ex impedimento peccati supervenientis, per quod ipse redditus est indignus vita æterna. Hoc autem impedimentum tollitur

per pœnitentiam, in quantum per eam remittuntur peccata. Unde restat quod opera prius mortificata, per pœnitentiam recuperant efficaciam perducendi eum qui fecit ea, in vitam æternam; quod est ea reviviscere. Et ita patet quod opera mortificata per pœnitentiam reviviscunt.

Ad primum ergo dicendum, quod opera peccati per pœnitentiam abolentur secundum se, ita scilicet quod ex eis ulterius, Deo indulgente, nec macula, nec reatus inducitur; sed opera in caritate facta non abolentur a Deo, in cuius acceptatione remanent; sed impedimentum accipiunt ex parte hominis operantis: & ideo remoto impedimento, quod est ex parte hominis operantis, Deus implet ex parte sua illud quod opera merebantur.

Ad secundum dicendum, quod opera in caritate facta non mortificantur secundum se, sicut dictum est (in corp. art.) sed solum per impedimentum superveniens ex parte operantis. Animalia autem moriuntur secundum se, in quantum privantur principio vitæ: & ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod ille qui per pœnitentiam resurgit in minori caritate, consequetur quidem præmium essenziale, secundum quantitatem caritatis in qua invenitur; habebit tamen gaudium majus de operibus in prima caritate factis, quam de operibus quæ in secunda fecit; quod pertinet ad præmium accidentale.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse iniquatum a scripturis, quod opera in caritate facta, si mortificentur, possunt per pœnitentiam reviviscere. Ut per hoc, quod dicitur Joel. 2. *Reddam*, &c. secundum quod cum expositione

A a a z ne,

(1) Interlinealis ex Hieronymo sumpta qui sic paulo aliis verbis & plenius: *Conside terra & latere que prius dominicam sementem tua ariditate perdideras; quia magnificavit Dominus ut faceret tecum misericordiam, & lignum crucis afferret fructum suum, & Spiritus sancti dona dulcissima suam cunctis tribuere largitatem. Vos quoque quos post pœnitentiam iuste voco filios Sion & Ecclesie, letamini atque gaudete, quia tribuit vobis Deus Pater Dilectorem iustitie (vel alimenta iustitie, sicut 70. le. gunt) Et non solum hoc dedit, sed fecit vos novis virtutum frugibus abundare: Tum deinde mox: *Es annos quos perturbationibus ante regnantibus perdideras inis vobis, quando opera vestra locusta, bru-**

chus, rubigo, erucaque (peccati) consumpserat, Deus vobis perire non passus est: Indeque inter: Si post pœnitentiam autem tantam ubertatem serena omnium Deus pollicetur, quid respondabit Novatus negans pœnitentiam, & reformari posse peccatores in pristinum statum si digna fecerint opera pœnitentie? In tantum enim Deus recipit pœnitentes ut viciet eos populum suum, &c. Ex his omnibus ergo colligit Glossa quod hic ex illa refert S. Thomas; nisi quod legit ex Hieronymi sensu, quam perturbationibus (id est passionibus & affectibus vestrīs) amisistis; non sicut hic in textu quam cum perturbatione animi, quasi sit sentis, cum dolore ac tristitia, &c.

ne, & discursu ponitur *in argum. cont.* Item per hoc, quod dicitur Galat. 3. *Tamen passi estis sine causa; si tamen sine causa.* Nam per *ly si tamen sine causa*, monstratur intentum. Vult enim dicere Apostolus Galatis. Vestra instabilitas, qua ad dictum pseudo Apostolorum legalia cum Evangelio servare proposuistis, facit, quod tanta pro Christo antea passi fueritis sine causa, idest sine utilitate; hoc est, istud vestrum peccatum mortale mortificat vestræ patientiæ præteritæ meritum. Si tamen ab hujus noxiæ instabilitatis proposito respiscatis per pœnitentiam veram, tunc illa pristina patientia non erit vobis amplius sine causa, idest frustratoria: hoc est, per pœnitentiæ vigorem reviviscet non quidem in se, quia sic semper viva mansit, cum nata sit viva, utpote in caritate, sed reviviscet vobis, idest ad utilitatem vestram. *Secundo* vides: quomodo &c.

ARTICULUS VI. 545

Utrum per pœnitentiam subsequenter etiam opera mortua vivificentur.

IV. dist. XIV. quest. II. art. 3. quest. 1. & dist. XV. quest. 1. art. 3. quest. 4. & 5.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod per pœnitentiam subsequenter etiam opera mortua, quæ scilicet non sunt in caritate facta, vivificentur. Difficilius enim videtur quod ad vitam perveniat illud quod fuit mortificatum, quod numquam sit secundum naturam, quam illud quod numquam fuit vivum, vivificetur: quia ex non vivis secundum naturam aliqua viva generantur. (1) Sed opera mortificata per pœnitentiam vivificantur, ut dictum est (art. præc.) Ergo multo magis opera mortua vivificantur.

2. Præterea. Remota causa removetur effectus. Sed causa quare opera de genere bo-

norum sine caritate facta non fuerunt viva, fuit defectus caritatis, & gratiæ; sed iste defectus tollitur per pœnitentiam. Ergo per pœnitentiam opera mortua vivificantur.

3. Præterea. Hieronymus dicit (in illud Aggæi 1. *Seminastis multum*: (2) *Si quando videris inter multa mala opera facere peccatorem quemquam aliqua que justa sunt, non est tam injustus Deus ut propter multa mala obliviscatur paucorum bonorum.* Sed hoc maxime videtur, quando mala præterita per pœnitentiam tolluntur. Ergo videtur quod per pœnitentiam Deus remuneret priora bona opera in statu peccati facta; quod est ea vivificari.

Sed contra est quod Apostolus dicit I. Corinth. XIII. 3. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Hoc autem non esset, si saltem per pœnitentiam subsequentem vivificentur. (3) Non ergo pœnitentia vivificat opera prius mortua.

Respondeo dicendum, quod opus aliquod dicitur mortuum dupliciter. Uno modo effectively, quia scilicet est causa mortis; & secundum hoc opera peccati dicuntur opera mortua, secundum illud Hebr. IX. 14. *Sanguis Christi . . . emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis.* Hæc igitur opera mortua non vivificantur per pœnitentiam, sed magis abolentur, secundum illud Hebr. VI. 1. *Non vultus facientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis.*

Alio modo dicuntur opera mortua privative, scilicet quia carent vita spirituali, quæ est ex caritate, per quam anima Deo conjungitur, ex quo vivit, sicut corpus per animam: & per hunc modum etiam fides, quæ est sine caritate, dicitur mortua, secundum illud Jacobi II. 20. *Fides sine operibus mortua est.* Et per hunc etiam modum omnia opera quæ sunt bona ex genere, si sine caritate fiant, dicuntur mortua, inquantum scilicet non procedunt ex principio vitæ; sicut si dicamus sonum citharæ vocem mortuam

(1) Vel transposita constructione ac serie verborum, *ex non vivis aliqua viva generantur secundum naturam* sicut mures ex putredine, aut etiam ex cadavere vermes, &c.

(2) Loco jam superius indicato in primum caput Aggæi verbis paululum immutatis, nempe sic: *Si quando videris inter multa opera peccatorem facere quempiam nonnulla que justa sunt, non est tam injustus Deus.*

(3) Hoc enim casu, quamvis propter defectum

caritatis prius inutilia extitissent, prodesse tandem inciperent cum per pœnitentiam vivificata esse supponerentur. Cur sic porro non possint; rationem duplicem S. Thomas ibidem reddit lect. 1. sub finem: Nempe vel *quia simul cum predictis operibus adeo voluntas peccandi mortaliter*: Vel *quia fiunt propria inanem gloriam*: Ad quod referri potest illa lectio quam aliquando sequutus est & sequendam putavit Hieronymus, *ita ut gloriæ* (καυχασαται) *pro ita ut ardeam* (καυθισμαται).

tuam. (1)

Sic igitur differentia mortis, & vite in operibus est secundum comparisonem ad principium a quo procedunt. Opera autem non possunt iterum a principio procedere, quia transeunt, & iterum eadem numero re- sumi non possunt. Unde impossibile est quod opera mortua iterum fiant viva per penitentiam.

Ad primum ergo dicendum, quod in rebus naturalibus tam mortua, quam mortificata carent principio vite. Sed opera dicuntur mortificata, non ex parte principii, ex quo processerunt, sed ex parte impedimenti extrinseci; mortua autem dicuntur ex parte principii. Et ideo non est similis ratio.

Ad secundum dicendum, quod opera de genere bonorum sine caritate facta dicuntur mortua propter defectum caritatis, & gratie, sicut principii. Hoc autem non prestat eis per penitentiam sequentem, ut ex tali principio procedant. Unde ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum, quod Deus recordatur bonorum quae quis facit in statu peccati, non ut remuneret ea in vita aeterna, quae debetur solis operibus vivis, id est ex caritate factis; sed remunerat ea temporali remuneratione, sicut Gregorius dicit in homil. de divite, & Lazaro (xl. in Evang. cir. med.) (2) quod nisi dives ille aliquod bonum egisset, & in presenti seculo remunerationem accepisset, nequaquam ei Abraham diceret: *Recepisti bona in vita tua.* Vel etiam hoc potest referri ad hoc quod patitur tolerabilis iudicium. Unde dicit Augustinus in Lib. de patientia (cap. xxvi.) *Non possumus dicere. Sehismaius melius fuisset ut Christum negando nihil eorum pateretur quae passus est confitendo: sed existimandum est, tolerabilius ei futurum iudicium, quam si Christum negando, nihil eorum pateretur; ut illud quod ait Apostolus. Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* *S. Th. Tom. XII.*

nihil mihi prodest, intelligatur pertinere ad regnum caelorum obtinendum, non ad extremi supplicii iudicium tolerabilius subeundum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, quod opera extra caritatem facta non vivificantur per subsequentem penitentiam. Insinuat autem per hoc, quod dicitur 1. Cor. 13. *Si distribuero, &c. secundum quod ponitur cum discursu in arg. cont.* Ubi constat, quod sic exponendum est *ly nihil mihi prodest*, id est nihil mihi unquam prodesse potest. Nisi enim exponendam sic esse vidisset D. Th. procul dubio mox auctoritati illi non subsumpsisset *ly hoc autem non esset, si saltem per penitentiam subsequentem vivificarentur.* Potuisset siquidem negari *ly hoc autem non esset*, dicendo, quod sufficiebat ad verificandum sensum Apostolicum exponere *ly nihil mihi prodest*, scilicet pro tempore tantum illo, quo extra caritatem tale opus fiebat. Quia vero sic replicari iure non posse, vidit sanctus doctor ex eo, quod Apostolus absolute locutum oportebat absolute, id est sine coarctatione ad praemissam differentiam temporis, intelligere: ideo recte, & efficaciter illi dicto subsumpsit *ly hoc autem non esset, si per, &c.* Item insinuat id ipsum per hoc, quod de operibus malorum hominum universaliter dicit Sap. 4. *Fructus illorum inutilis; & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti.* Si enim fructus eorum de genere bonorum, nam quandoque bonum morale agunt, cum peccata non tollant totaliter bonum naturae, 1. 2. q. 89. a. 2. imo nec infidelitas, 2. 2. q. 10. a. 4. possent aliquando vivificari, tunc non dicerentur absolute fructus inutilis, & quod magis sonat in futurum, ad nihilum apti. Nec igitur acta vivificabuntur unquam, nec in potentia: quia, cum ad nihilum sint apti, de necessitate sequitur, quod ad hoc, *A a a 3* *ut*

(1) Qualem indicat Apostolus 1. ad Corinth. 14. vers. 7. ubi ait: *Quae sine anima sunt vocem dantia (sive sibia, sive cithara) nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id quod canitur aut quod citharizatur? Per quamdam porro similitudinem vocem hanc dicit ibidem S. Thomas lect. 4. Et Chrysostomus homil. 35. in eum locum etiam arguit id est sonos nihil significantes vocat.*

(2) Seu homil. 40. in Evang. paulo alii verbis & plenius: *Hec sententia (inquit) pavore potius indiget quam expositione: Nam si qui estis qui in*

hoc mundo exterioris boni aliquid accepistis, ipsum (ut ita dicam) donum exterius periremere debetis ne vobis pro quorundam alium vestrorum recompensatione sit datum, ne iudex qui hic bona exteriora restituit, a restitutione boni insimi vos pellat; ne honor hic vel divitiae non adjuvantium virtutis vobis sed remuneratio sine laboris: Ecce enim dum dicitur diviti, Recepisti bona in vita tua, indicatur & isto boni aliquid habuisse. ex quo in hac vita quadam etiam bona reciperet.

in quandoque vivificentur, non sunt apti. Item insinuat per dictum Psalmi. 89. *Qua pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* Anni enim malorum, idest, aliqua saltem ipsorum opera moraliter bona in ipsis annis facta, si possent aliquando vivificari, non dicerentur absolute, ut patet, esse tamquam ea, quae pro nihilo habentur. Patet ergo ex hoc intentum: cum revera anni eorum sint apud Deum, sicut illa; quae habentur pro nihilo. In cujus signum evidens est differentia, quae in sacris Dei litteris, idest in *quarto, & quinto Genesis capitulo* fit, inter annos bonorum, & annos malorum. Nullo enim modo pensandum est, scripturam in amborum descriptione sine causa legitima observasse discrimen, & quod sine illius mira providentia, qui singulas marium guttas sapienter annumeravit, quidquam in suo sacro eloquio positum sit, vel non positum. Nota ergo differentiam illam. In capitulo 4. ubi malorum, utpote descendentium ex Cain, vitae ponuntur, non fit mentio de illorum diebus, aut annis; sed simpliciter dicitur: *Enoch genuit Irad, & Irad genuit Maviael, & Maviael genuit Matusael, &c.* In capitulo autem quinto, ubi bonorum, utpote fidelium descendentium a Seth, vitae ponuntur, fit mentio dierum, atque annorum, & mentio quidem exactissima. *Vixit, inquit, Seth centum quinquaginta annis, & genuit Enos. Vixitque Seth, postquam genuit Enos, 807. annis, genuitque filios, & filias. Et facti sunt omnes dies Seth. 912. annorum, Vixit vero Enos 90. annis, & genuit Caiman. Post ortum vixit 815. annis, & genuit filios, & filias. Factique sunt omnes dies Enos 905. anni. Vixit quoque Caiman 70. annis, & genuit Malalehel. Et vixit Caiman, postquam genuit Malalehel 840. annis, genuitque filios, & filias. Et facti sunt omnes dies Caiman. 910. anni, &c.* Ex hoc differenti modo loquendi de utrisque putas ne, quod mali vixerint sine diebus, & annis Deo acceptis, in quantum nulla in his opera ex caritate fecerunt. Unde impiorum dies, & anni simul apud Deum pro

nihilo reputari sunt: & sicut ipsos malos se nescire fatetur per *ly nescio vos*, Matth. 25. ita dies eorumdem, & annos se nescire demonstrat per hoc, quod nullam dierum, vel annorum voculam exprimit, dum vitas illorum in libro suo Gen. recenset. Hac de causa & de malis dictum est, Psal. 77. *de fecerunt in vanitate dies eorum;* & e contra de bonis, Psal. 72. *dies pleni inveniuntur in eis.* Ex praemissis itaque scripturis omnibus patet, quod Deus noster, cum sit *Deus veritatis*, Psal. 30. & non vanitatis, iustorum dies, & consequenter opera tunc facta approbat, ita ut etiam mortificata quandoque per eorumdem poenitentiam vivificet: malorum autem dies, & consequenter opera tunc facta pro ignotis habet, ita, ut ipsa nunquam poenitentia etiam eorum accedente, vivificet. *Secundo* vides: quomodo &c.

QUESTIO XC.

De partibus poenitentiae in generali,

In quatuor articulos divisa.

DEinde considerandum est de partibus poenitentiae: & primo in generali; secundo in speciali de singulis.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo, utrum poenitentia habeat partes.

Secundo de numero partium.

Tertio, quales partes sint.

Quarto de divisione ejus in partes subje-ctivas.

ARTICULUS I. 346

Utrum poenitentia debeant partes assignari.

IV. dist. XVI. quest. I. art. I. quest. I. & 4.

AD primum sic proceditur. Videtur quod poenitentiae non debeant partes assignari. Sacramenta enim sunt in quibus divina, virtus secretius operatur salutem. (1) Sed virtus divina est una, & simplex. Non ergo

(1) Ex Isidoro lib. 6. Etymologiarum vel originum tit. de officiis in dictione *Sacramentum*; indeque in Decretis refertur Causa 1. qu. 1. cap. *Multis secularium*. §. *Sacramentum vero est*: Ut & 4. Sententiarum ad marginem Prologi notavimus, ubi voluit ex Augustino citat S. Thomas: Tamen Augustinus aliquid aequivalens indicat quest. 83. in Leviticum & Traet. 80. in Joan. ubi priori loco ait: *Quo-*

modo sanctificat Dominus? Invisibili gratia per Spiritum sanctum, ubi est totus fructus visibilium sacramentorum, &c. Posteriori autem: *Unde ista tanta virtus aequae ut corpus sanguis & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipse verbo aliud est sonus transiens aliud virtus manens, &c.*

ergo pœnitentiæ, cum sit sacramentum, debent partes assignari.

2. Præterea. Pœnitentia & est virtus, & est sacramentum. Sed ei, in quantum est virtus, non assignantur partes; cum virtus sit habitus quidam, qui est simplex qualitas mentis: similiter etiam & pœnitentiæ, in quantum est sacramentum, non videtur quod sint partes assignandæ, quia baptismo, & aliis sacramentis non assignantur partes. Ergo pœnitentiæ nullo modo debent partes assignari.

3. Præterea. Pœnitentiæ materia est peccatum, ut supra dictum est (quæst. lxxxiv. art. 2.) Sed peccato non assignantur partes. Ergo etiam nec pœnitentiæ sunt partes assignandæ.

Sed contra est quod partes sunt ex quibus perfectio alicujus integratur. Sed pœnitentiæ perfectio integratur ex pluribus, scilicet contritione, confessione, & satisfactione. Ergo pœnitentia habet partes.

Respondeo, dicendum, quod partes rei, sunt in quas materialiter totum dividitur; habent enim se partes ad totum sicut materia ad formam; unde in II. Physicor. (tex. 31.) partes ponuntur in genere causæ materialis, totum autem in genere causæ formalis. Ubi cumque igitur ex parte materiæ invenitur aliqua pluralitas, ibi est invenire partium rationem.

Dictum est autem supra (quæst. lxxxiv. art. 2. & 3.) quod in sacramento pœnitentiæ actus humani se habent per modum materiæ. Et ideo cum plures actus humani requirantur ad pœnitentiæ perfectionem, scilicet contritio, confessio, & satisfactio, ut infra patebit (art. seq.) consequens est quod sacramentum pœnitentiæ habeat partes. (1)

Ad primum ergo dicendum, quod quodlibet sacramentum habet simplicitatem ratione virtutis divinæ, quæ in eo operatur; sed virtus divina propter sui magnitudinem operari potest & per unum, & per multa, ratione quorum alicui sacramento possunt partes assignari.

Ad secundum dicendum, quod pœnitentiæ, secundum quod est virtus, non assignantur partes: actus enim humani, qui multiplicantur in pœnitentia, non comparantur ad ha-

bitum virtutis sicut partes, sed sicut effectus. Unde relinquitur quod partes assignentur pœnitentiæ, in quantum est sacramentum, ad quod actus humani comparantur ut materia. In aliis autem sacramentis materia non sunt actus humani; sed aliqua res exterior una, sive simplex, ut aqua, vel oleum sive composita, ut chrisma. Et ideo aliis sacramentis non assignantur partes.

Ad tertium dicendum, quod peccata sunt materia remota pœnitentiæ, in quantum scilicet sunt materia, vel objectum humanorum actuum, qui sunt propria materia pœnitentiæ, prout est sacramentum.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo; quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, quod pœnitentiæ debent partes assignari. Insinuat autem per hoc, quod dicitur Ps. 79. *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura.* Ecce pars una, scilicet contritio. Item Psal. 31. *dixi: confitebor adversum me iniquitatem meam Domino.* Ecce alia pars, scilicet confessio. Item Matth. Luc. 3. *facite fructus dignos pœnitentiæ.* Ecce alia pars, scilicet satisfactio. Item per id, quod in figura nostræ pœnitentiæ antiquitus dicebatur Levit. 5. *Anima, qua peccaveris per ignorantiam, & peccati rea intellexeris iniquitatem suam, offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, juxta mensuram, estimationemque peccati.* Namque per *ly rea peccati intellexeris iniquitatem suam*, denotatur una pars pœnitentiæ, scilicet contritio, quoniam ille, ut reus peccati, intelligit iniquitatem suam, qui dolet de peccato suo. Et per *ly offeret a. immat. sacerdoti*, designatur alia pars, scilicet confessio: quoniam, cum diversæ oblationes pro diversis peccatis offerri mandarentur, ut sæpius per Leviticum patet. Specialis oblatio allata sacerdoti notificabat qualitatem peccati offerentis: & ita gerebat vicem confessionis. Et per *ly juxta mensuram, estimationemque peccati*, significatur alia pars, scilicet satisfactio: quoniam in hac fit quædam recompensatio proportionaliter, quamvis non æqualiter, correspondens offensæ divinæ, q. 85. a. 3. hoc est, juxta mensuram peccati.

Si-

(1) Sic in Decreto Eugenij post Concilium Florentinum vocantur, cum dicitur: *Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentiæ qui in eam distinguuntur partes; Ut & in Concilio Tridentino Sess. 14. c. 4. Sunt autem*

quasi materia hujus sacramenti actus ipsius pœnitentiæ; qui quatenus in pœnitentiæ ad integritatem Sacramenti ad plenamque ac perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur, &c.

Simile autem ejus, quod annotavi nunc de Lev. 5. invenies in ipsius libri capitulis multis: ex quibus dices juxta normam præscriptam. Quod vero a figuris ad figurata liceat ad veritatem inveniendam argumentari, docuit suo facto Concilium *Hispanense* 2. ut recitatur in Veritatibus aureis super totam legem veterem, *Levit. 3. circa conclus. 2.* Item per hoc, quod legitur Luc. 15. *In se reversus dixit, surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam: Peccavi, &c.* Ecce plures partes (ut patet) pœnitentiæ. Item per dictum Zachæi ad Dominum Luc. 19. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Constat enim, quod his verbis promittit satisfactionem pro peccatis præteritis; secundum quod Spiritus sanctus talem viam esse bonam ad satisfaciendum declaraverat per os Danielis in hoc, quod quidam maximo peccatori dixit cap. 4. *Peccata tua elemosynis redimo & iniquitates tuas misericorditis pauperum. Secundo vides: quomodo &c.*

ARTICULUS II. 547

Utrum convenienter assignentur partes pœnitentiæ, contritio, confessio, & satisfactio.

IV. dist. XVI. quest. 1. art. 1. quest. 2. & IV. dist. XVII. quest. III. art. 3. quest. 4. & dist. XXI. quest. II. art. 1. quest. 2. ad 3. & II. Cor. VII. lect. 1.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter assignentur partes pœnitentiæ, contritio, confessio, & satisfactio. Contritio enim est in corde, & sic pertinet ad interiorē pœnitentiā; confessio autem in ore; & satisfactio in opere: & sic duo ultima pertinent ad exteriorē pœnitentiā. Pœnitentia autem interior non est sacramentum, sed sola pœnitentia exterior, quæ sensui subjacet. Non ergo convenienter assignantur hæ partes sacramento pœnitentiæ.

2. Præterea. In sacramento novæ legis

(1) confertur gratia, ut supra habitum est (quest. lxxii. art. 1. & 3.) Sed in satisfactione non confertur aliqua gratia. Ergo satisfactio non est pars sacramenti.

3. Præterea. Non est idem fructus rei, & pars. Sed satisfactio est fructus pœnitentiæ, secundum illud Luc. 111. 8. *Facite fructus dignos pœnitentiæ* (2). Ergo non est pars pœnitentiæ.

4. Præterea. Pœnitentia ordinatur contra peccatum. Sed peccatum potest perfici solum in corde per consensum, ut in secunda parte habitum est (1. 2. quest. lxxii. art. 7.) Ergo & pœnitentia. Non ergo pœnitentiæ debent partes poni confessio oris, & satisfactio operis.

Sed contra. Videtur quod debeant poni plures partes pœnitentiæ. Pars enim hominis ponitur non solum corpus, quod est ejus materia, sed etiam anima, quæ est ejus forma. Sed tria prædicta, cum sint actus pœnitentis, se habent sicut materia; absolutio autem sacerdotis se habet per modum formæ. Ergo absolutio sacerdotis debet post quarta pars pœnitentiæ.

Respondeo dicendum, quod duplex est pars, ut dicitur in VII. Metaph. (tex. 33. & 34.) scilicet pars essentiæ, & pars quantitatis. Partes essentiæ sunt naturaliter quidem forma, & materia, logice autem genus, & differentia. Hoc autem modo quodlibet sacramentum distinguitur in materiam, & formam, sicut in partes essentiæ. (3) Unde & supra dictum est (q. lx. art. 5. & 6.) quod sacramenta consistunt in rebus, & verbis. Sed quia quantitas se tenet ex parte materiæ, partes quantitatis sunt partes materiæ. Et hoc modo sacramento pœnitentiæ specialiter assignantur partes, ut dictum est (art. præc.) quantum ad actus pœnitentiæ, qui sunt materia hujus sacramentis.

Dictum est autem supra (quest. lxxxv. art. 3. ad 3.) quod alio modo fit recompensatio offensæ in pœnitentia, & in vindicativa justitia. Nam in vindicativa justitia fit recompensatio secundum arbitrium judicis, non secundum voluntatem offendentis, vel offensus; sed in pœ-

(1) Indefinite sumpto pro quolibet, quia quodlibet Sacramentum ad novam legem spectans gratiam confert.

(2) Quod ad satisfactionem satis aperte refert Gregorius hom. 10. super Evangelia, cum sic ait: *Si quis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod est gravius, in adulterium lapsus est, tanto a felicitate debet abscindere quanto se meminit & illicita perpetrasse: Per hoc ergo quod dicitur. Facite dignos fructus pœnitentiæ; uniuscujusque conscientia*

convenitur, ut tanto majora quarat bonorum operum luera per pœnitentiā, quanto graviora sibi intulit damna per culpam.

(3) Nec obstat porro quod in hoc ipso Sacramento Pœnitentiæ non materia simpliciter sed quasi materia dicitur ut jam supra ex Concilio Tridentino; quia in ejusmodi compositis non semper vera materia, sicut nec vera essentia, ut in physicis, queri debet.

pœnitentia fit recompensatio offenzæ secundum voluntatem peccantis, & secundum arbitrium Dei, in quem peccatur: quia hic non queritur sola redintegratio æqualitatis iustitiæ, sicut in iustitia vindicativa, sed magis reconciliatio amicitiz; (1) quod fit, dum ostendens recompensat secundum voluntatem ejus quem offendit. Sic igitur requiritur ex parte pœnitentis primo quidem voluntas recompensandi; quod fit per contritionem: secundo quod se subiciat arbitrio sacerdotis loco Dei; quod fit in confessione: tertio quod recompenset secundum arbitrium ministri Dei; quod fit in satisfactione. Et ideo contritio, confessio, & satisfactio ponuntur partes pœnitentiæ. (2)

Ad primum ergo dicendum, quod contritio secundum essentiam quidem est in corde, & pertinet ad interiorem pœnitentiam; virtualiter autem pertinet ad exteriorem pœnitentiam, in quantum scilicet implicat propositum constandi, & satisfaciendi.

Ad secundum dicendum, quod satisfactio confert gratiam, prout est in proposito, & auget eam, prout est in executione; sicut etiam baptismus in adultis, ut supra dictum est (quæst. lxxvii. art. 2. & quæst. lxxx. art. 8.)

Ad tertium dicendum, quod satisfactio est pars pœnitentiæ sacramenti, fructus autem pœnitentiæ virtutis.

Ad quartum dicendum, quod plura requiruntur ad bonum, quod procedit ex integra causa, quam ad malum, quod procedit ex

singularibus defectibus, secundum Dionysium cap. iv. de div. Nom. (par. iv. lect. 22.) Et ideo licet peccatum perficiatur in consensu cordis; ad perfectionem tamen pœnitentiæ requiritur & contritio cordis, & confessio oris, & satisfactio operis.

Ad contrarium vero patet solutio per ea quæ dicta sunt (in corp. art.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem tum directam (Hæc est in text. corp.) tum indirectam (Hæc est solutio argumentorum. Et hoc semper subintelligi in similibus locis appendicum, alias dictum fuit) interimas hæreles *Lutheri* dicentis; pœnitentiæ sacramenti non esse tres partes. Et *Joannis Spangebergi*, dicentis: pœnitentiæ partes esse tantum duas, sc. contritionem, & fidem. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari a Concilio *Florentino sub Eug. IV.* in decreto Armenis dato, sive (ut alias prætitulatur) in constit. *Concilli Florentini super unione Armenorum.*
 „ Quartum sacramentum est Pœnitentiæ, cuius
 „ jus quasi materia sunt actus pœnitentis,
 „ qui in tres distinguuntur partes. Quarum
 „ prima est cordis contritio, ad quam pertinet,
 „ ut doleat de peccato commisso cum
 „ proposito non peccandi de cetero. Secunda
 „ est oris confessio, ad quam pertinet,
 „ ut peccator omnia peccata, quorum memo-

(2) Hinc sacramentum Pœnitentiæ reconciliatio-nem S. Leo epist. 91. & Chrysostomus in serm. de illa vocat: Sicut & Chrysologus de Magdalena pœnitente ac pedes Christi osculante, *Oscula sunt reconciliatio-nis iudicia*, serm. 93. versus finem.

(2) Sic enim supra in Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 3. *Sunt quasi materia hujus sacramenti pœnitentis ipsi actus; nempe contritio, confessio, satisfactio: Qui &c.* ut præmissum est: Ac sub finem capituli: *Hæc de partibus hujus sacramenti sancta Synodus tradens; simul eorum sententias damnat qui pœnitentiæ partes incussos conscientie terrores & fidem esse contendunt: Ut & Can. 4. Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus: in pœnitente quasi materiam sacramenti pœnitentiæ, videlicet contritionem confessionem, & satisfactionem, & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit duas tantum esse pœnitentiæ partes; et terrores scilicet incussos conscientie agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio vel absolutione, qua quis credit sibi per Christum remissa esse peccata, anathematis sit.* Eandem quoque partes Decretum Eugenii 4. jam indicatum enumerat: *Primo est (inquit) cordis contritio, ad quam pertinet ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Secunda est oris*

confessio ad quam pertinet ut peccator omnia peccata quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter: Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis: quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium, & elemosynam. Quin & jam olim Chrysologus in sermone prædicto qui de pœnitentiâ incipitur: Perfecta pœnitentiâ cogit peccatorem omnia libenter ferre: in corde æjus contritio, in ore confessio, in opere toto humilitas; ut quibus modis Deum offendimus (corda, ore, opere) iisdem reconciliemur Deo; corde quidem per contritionem, ore per confessionem, ac opere per satisfactionem. Et Gregorius lib. 6. in 1. Reg. cap. 15. *fictam Saulis confitentis peccatum quidem sed honorari desiderantis pœnitentiâ reprehendens, Quid prodest (inquit) consistere flagitia, si confessionis vocem non sequitur afflictio pœnitentis? Tria quippe in unoquoque consideranda sunt veraciter pœnitentis; videlicet conversio mentis (qualis est contritio) confessio oris, & vindicta peccati (sive satisfactio) nempe cum dolore nititur digna afflictionis austeritate quod loquendo confiteretur, ut inferius addit. Quidpiam porro tale in Magdalena pœnitentiâ notari potest; in lacrymis nimirum conversio in oculis confessio; in unguenti effusione satisfactio: Ad implicite Chrysologus in serm. prædicto innuat.*

moriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis, secundum arbitrium sacerdotis. *Hæc ibi. Item a Concilio Tridentino sess. 14. cap. 3.* Sunt autem, quasi materia huius sacramenti, ipsius pœnitentis actus; nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio. Qui, quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes pœnitentiæ dicuntur. *Hæc ibi. Et can. 4.* Si quis negaverit, ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti pœnitentiæ, videlicet, Contritionem, Confessionem, & satisfactionem; quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur: Aut dixerit, duas tantum esse pœnitentiæ partes terrores scilicet, inconfessos conscientie, agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis, sibi per Christum remissa peccata: anathema sit. *Hæc ibi. Item merito damnari a SS. Doctoribus, Augustino, Ambrosio, Hieronymo, Gregorio, Chrysostomo, Cypriano, cum fundamentis sacrarum scripturarum, & aliis opportunis ad longum dictis. Quæ nos brevitati studentes hic ad verbum non recensemus; sed pro plena horum notitia lectorem remittimus ad librum, cuius titulus est Assertiois Lutherane confutatio per Reverendum patrem Joannem Episcopum Rossensem. Vide igitur ibi eum contra articulum quintum Lutheri. Item merito damnari a dictis supra articulo numero 186. 204. Elucid. Tertio vides: quomodo &c.*

ARTICULUS III. 548

Utrum prædicta tria sint partes integrales pœnitentiæ.

IV. dist. XVI. quest. 1. art. 1. quest. 3.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod prædicta tria non sint partes integrales pœnitentiæ. Pœnitentia enim, ut dictum est (quest. lxxxiv. art. 3.) contra peccatum ordinatur. Sed peccatum cordis, oris, & operis sunt partes subjectivæ peccati, & non partes integrales: quia peccatum de quolibet horum prædicatur. Ergo etiam in pœnitentia contritio cordis, confessio oris, & satisfactio operis non sunt partes integrales.

2. Præterea. Nulla pars integralis in se continet aliam sibi divisam. Sed contritio continet in se confessionem, & satisfactio-

nem in proposito. Ergo non sunt partes integrales.

3. Præterea. Ex partibus integralibus simul, & æqualiter constituitur totum, sicut linea ex suis partibus. Sed hoc non contingit hic. Ergo prædicta non sunt partes integrales pœnitentiæ.

Sed contra. Illæ dicuntur partes integrales ex quibus perfectio totius integratur. Sed ex tribus prædictis integratur perfectio ipsius pœnitentiæ. Ergo sunt partes integrales pœnitentiæ.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, hæc tria esse partes subjectivæ pœnitentiæ. Sed hoc non potest esse: quia singulis partibus subjectivis adest tota virtus totius & simul, & æqualiter; sicut tota virtus animalis, in quantum est animal, salvatur in qualibet specie animalis quæ simul, & æqualiter dividunt animal. Sed hoc non est in proposito.

Et ideo alii dixerunt, quod sunt partes potentiales. Sed nec hoc verum esse potest: quia singulis partibus potentialibus adest totum secundum totam essentiam, sicut tota essentia animæ adest cuilibet ejus potentiæ. Sed hoc non est in proposito.

Unde relinquitur quod prædicta tria sint partes integrales pœnitentiæ: ad quarum rationem exigitur ut totum non adsit singulis partibus, neque secundum totam virtutem ejus; neque secundum totam ejus essentiam, sed omnibus simul.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum, quia rationem mali habet, potest in uno tantum perfici, ut dictum est (art. præc. ad 4.) Et ideo peccatum quod in solo corde perficitur, est una species peccati. Alia vero species est peccatum quod perficitur in corde & ore. Tertia vero species est peccatum quod perficitur in corde, ore, & opere. Et huiusmodi peccati partes quasi integrales sunt quod est in corde, & quod est in ore, & quod est in opere. Et ideo pœnitentiæ, quæ in his tribus perficitur, hæc tria sunt partes integrales.

Ad secundum dicendum, quod una pars integralis potest continere totum, licet non secundum essentiam: fundamentum enim quodammodo virtute continet totum ædificium: & hoc modo contritio continet virtute totam pœnitentiam.

Ad tertium dicendum, quod omnes partes integrales habent ordinem quemdam ad invicem: sed quædam habent ordinem tantum in situ; sive consequenter se habeant, sicut partes exercitus; sive se tangant, sicut partes acervi, sive etiam colligentur, sicut partes

tes

tes domus; five etiam continuentur, sicut partes lineæ: quædam vero habent insuper ordinem virtutis; sicut partes animalis, quarum prima virtute est cor, & aliæ quodam ordine virtutis dependent ab invicem: tertio modo ordinantur ordine temporis, sicut partes temporis, & motus. Partes igitur pœnitentiæ habent ad invicem ordinem virtutis, & temporis, quia sunt actus; non autem ordinem situs, quia non habent positionem.

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam esse a Concilio, quod contritio, confessio, & satisfactio sunt partes pœnitentiæ integrales, ut per hoc, quod seff. 14. c. 3. de contritione, confessione, & satisfactione expresse dicit *ly Ad integritatem Sacramenti requiruntur*. Vide ipsum Concilium recitatum supra art. 2. appen. *Secundo* vides: quomodo &c.

ARTICULUS IV. 549

Utrum convenienter dividatur pœnitentia in pœnitentiam ante baptismum, pœnitentiam mortaliæ, & pœnitentiam venialiæ,

IV. dist. XVI. quæst. 1. art. 2. quæst. 1. & 5. cor. & Matth. 111.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter dividatur pœnitentia in pœnitentiam ante baptismum, pœnitentiam mortaliæ, & pœnitentiam venialiæ. Pœnitentia enim est secunda tabula post naufragium, ut supra dictum est (quæst. lxxxiv. art. 6.) baptismus autem prima. Illud ergo quod est ante baptismum, non debet poni species pœnitentiæ.

2. Præterea. Quod potest destruere majus, potest etiam destruere minus. Sed mortale est majus peccatum quam veniale: illa vero pœnitentia, quæ est de mortalibus, eadem etiam est de venialibus. Non ergo debent poni diversæ species pœnitentiæ.

3. Præterea. Sicut post baptismum pecca-

tur venialiter, & mortaliter, ita etiam ante baptismum. Si ergo post baptismum distinguitur pœnitentia venialium, & mortaliæ, pari ratione debet distingui ante baptismum. Non ergo convenienter dividitur pœnitentia per has species.

Sed contra est quod Augustinus in Lib. de pœnitentia (1) ponit prædictas tres Pœnitentiæ species.

Respondeo dicendum, quod hæc divisio est pœnitentiæ, secundum quod est virtus. Est autem considerandum, quod quælibet virtus operatur secundum congruentiam temporis, sicut & secundum alias debitas circumstantias: unde & virtus pœnitentiæ actum suum habet in hoc tempore, secundum quod convenit novæ legi.

Pertinet autem ad pœnitentiam ut detestetur peccata præterita cum proposito immutandi vitam in melius, quod est quasi pœnitentiæ finis. Et quia moralia recipiunt speciem secundum finem, ut in secunda parte habitum est (1. 2. quæst. 1. art. 3. & quæst. xviii. art. 4. & 6.) conveniens est quod diversæ species pœnitentiæ accipiantur secundum diversas immutationes, quas pœnitens intendit.

Est autem triplex immutatio a pœnitente intenta. Prima quidem per regenerationem in novam vitam: & hæc pertinet ad pœnitentiam quæ est ante baptismum. Secunda autem immutatio est per reformationem vitæ præteritæ jam corruptæ: & hæc pertinet ad pœnitentiam mortaliæ post baptismum. Tertia autem immutatio est in perfectiorem operationem vitæ: & hæc pertinet ad pœnitentiam venialiæ, quæ remittuntur per aliquem ferventem actum caritatis, ut supra dictum est (quæst. lxxxvii. art. 2. & 3.)

Ad primum ergo dicendum, quod pœnitentia quæ est ante baptismum, non est sacramentum, sed est actus virtutis disponens ad sacramentum baptismi.

Ad secundum dicendum, quod pœnitentia quæ delet peccata mortalia, delet etiam venialia; sed non convertitur. Et ideo hæc dicitur pœ-

(1) Sive in lib. 50. homiliarum homil. ult. que de necessitate pœnitentiæ inscribitur, ubi sic ait: *Tres sunt actiones pœnitentiæ quas mecum vestra eruditio recognoscit: Sunt enim usitata in Ecclesia, & diligenter attendentibus nota: Una est quæ novum hominem parturit donec per baptismum salutatem omnium præteritorum sine ablutione peccatorum: Omnis enim qui jam arbiter suæ voluntatis constitutus est, cum accedit ad sacramenta fidelium, nisi eum pœnitentiæ veteris vitæ, novam non possit inchoare: Pri-*

ma ista pœnitentiæ præcipitur Judæis, dicens Apostolo Petro, Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum (ut. Actuum 2. videre est) Tum deinde reliquas duas addit ac explicare pergit in adiunctis: Et ad Seleucianam epist. 108. Agunt homines ante baptismum pœnitentiam, &c. Agunt etiam post baptismum si peccaverint, sicut illi qui appellantur propriis pœnitentes: Est etiam pœnitentia bonorum fidelium pene quotidiana in qua postora tundimus, &c.

pœnitentiæ se habent sicut perfectum, & imperfectum.

Ad tertium dicendum, quod ante baptismum non sunt peccata venialia sine mortalibus. Et quia veniale sine mortali dimitti non potest, ut supra dictum est (quæst. lxxxvii. art. 4.) ideo ante baptismum non distinguitur pœnitentia mortalium, & venialium.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendat, & recte intelligas, merito esse insinuatam a scripturis, & Augustino, quod pœnitentia alia est ante baptismum, alia est mortalium, alia venialium peccatorum. A scripturis quidem quoad pœnitentiam ante baptismum, per hoc, quod dicitur Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Item ab eisdem, quoad pœnitentiam mortalium, per hoc, quod Simoni mago jam baptizato Act. 8. Apostolorum princeps dixit ibid. *Cor tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua.* Item ab eisdem quoad pœnitentiam venialium per hoc, quod legitur Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra.* Constat enim, quod peccatum, quantumcumque veniale, numquam remitti potest absque pœnitentia virtute, qu. 86. a. 2. & consequenter dicentes *ly Dimitte nobis debita nostra*, si fructuose, quantum ad remissionem debitorum ipsorum dicere velint, agunt pœnitentiam, idest pœnitentem de illis. Dicit vero Concilium Trid. sess. 6. cap. 11. *Licet in hac mortali vita quantumvis sancti, & iusti in venialia saltem peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti. Nam iustorum illa vox est & humilis, & verax, Dimitte nobis debita nostra.* Hæc ibi. Christus ergo per hoc, quod nos sic orare docuit, connotavit, quod pœnitentia venialium datur. A D. Augustino autem illud in principio appendicis positum insinuat expresse in lib. de pœnit. secundum quod dicitur in arg. cont. Porro, quia de pœnitentia mortalium delictorum, sine qua peccatori non potest esse salus, qu. 86. ar. 2. incidit sermo, libet hic, tum pro tex. hujus quoad istam particulam declarationem, tum pro tam necessariz rei practicali, ut ita dixerim, cognitione, adducere Beatum Ambrosium sic eam, dum ad quamdam corruptam scribit, depingentem. "Secundum conscientiz molem exhibenda est pœnitentiz magnitudo. Pœnitentia ergo non verbis

agenda est, sed & actu. Hæc autem sic agitur. Si tibi ante oculos ponas, de quantæ gloria rueris: & quod de libro vitæ nomen tuum deletum sit: & si te jam credas prope ipsas positam tenebras exteriores, ubi erit stetus, & stridor dentium sine fine. Cum hoc certa fide, sicut est, animo conceperis: quia necesse est, prævaricatricem animam tartareis pœnis, & gehennæ ignibus tradi, nec aliud remedium constitutum esse post baptismum, quam pœnitentiz solatiū: quantumvis afflictionem, quantumvis laborem, & indecorem subire, esto contenta; dummodo ab æternalibus pœnis libereris. Ergo hæc tu tecum cogitans, & mente retractans, proprii facti tu ipsa iudex esto crudelior. In primis omnis cura vitæ hujus intermenda tibi est: & quasi mortuam te existimans (sicut es) quomodo possis reviviscere, cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis: & mens, ac membra singula digna castigatione punienda. Amputantur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt: defluant oculi lachrymis, qui masculam simpliciter non aspexerunt: palleat facies, quæ quondam viruit impudice. Denique totum corpus incuria maceretur, cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat, quia sibi male de pulchritudine placuit. Cor vero fit liquefcens, sicut cera, jejuniis in quietans seipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subversum. Sensus etiam crucietur, quia, in membra corporis cum haberet dominationem, malo cessit imperio. Talis vita, talis actio. Si fuerit petens, audebit sperare, &, si non gloriam, certe pœnæ evacuationem. Peccator ergo, si sibi ipsi non pepercerit; a Deo illi parcitur, &, si futuras pœnas gehennæ perpetuas in hoc parvo vitæ spatio contempserit, seipsum ab æterno iudicio liberat. Grandi plagæ alta, & proluxa opus est medicina. Grande scelus graudem habet necessariam satisfactionem. "Hæc ille ibi. Qui & in lib. de pœnitent. ait. *Qui agit pœnitentiam, non solum diluere lachrymis debet peccatum suum, sed etiam emendationibus factis operire, & regere delicta superiora: & non ei impulerit peccatum.* Hæc ille. In quibus, tamquam in imagine, fit cuique, pro sua cuiusque portione, descripta pœnitentia mortalium peccatorum, de qua loquebatur conclusio textus. Secundo vides: quomodo &c.



